


A
43
339



3-3-206





recollegio de la Comp^a de Jesus de Granada

OECUMENII GRAE

R. 22465

CI VETVSTIQVE SCRIP-
TORIS IN OMNES S. PAULI

Epistolas absolutissimi comentarij, cum
ex alijs probatissimis quibusque Cracis

Theologis, tum praecipue ex aureo illo

CHRYSOSTOMO, diuina breuitate
collecti: ita vt post hunc supernuaca-

neus Theophilaetus vide-

ri possit.

MAXIMO FLORENTINO,

INTERPRETE.



BASILEAE, 1554.

del apozento del P^o m^o de Escritura

1747
OCCIDENTI GRAE

DE VESTITIVIS
PROBIS IN OMNIBUS
CHRISTO ST
recollet: in re
mau I hee dicitur vide
in post.

MAXIMO THEOPHILINO
INTERPRETE



MAXIMO THEOPHILINO

Handwritten text at the bottom of the page, likely a signature or a note, which is mostly illegible due to fading and bleed-through.

ILLVSTRISSIMO
AC PRAECLARISSIMO PRIN
CIPi, D. COSMO MEDICI, DVCE
Florentiæ, uiro magnanimo, Maximus Flo-
rentinus, monachus Casi-
nensis, S. P. D.



CVM totius Christianæ philoso-
phiæ summa, optime Princeps,
in eo certissimè constet, vt ho-
mo, gratia Dei adiutus, Chri-
stum ipsum imitatus, ei simili-
mus, quoad fieri potest, reddatur: sequitur vt
is magis Christianus dicendus sit, qui germa-
nius id præstiterit: qui verò ab hoc studio con-
tus retraxerit, Christiani nomine omnino ha-
beatur indignus. Hinc à secretis ille Dei, ac spi-
ritus sancti tuba Paulus, ad huius perfectio-
nis culmen iam se conscendisse nō nescius, au-
dacter eiusce rei formam sese proponebat Co-
rinthijs, inquit: Imitatores mei estote fratres, 1. Cor. 11.6
sicut & ego Christi. Qua verò in re huic imi-
tationi studere potissimū debeamus, Ephesijs
aperiens, Imitatores Dei, inquit, estote fratres, Ephes. 5.
& ambulate in dilectione, qua Christus dile-
xit nos, & tradidit semetipsum pro nobis ob-

EPISTOLA

lacionē & hostiam Deo in odorem bonæ fragrantie. Nos igitur nedum tanto nomine indignè censerī abhorrentes, Verū etiā, quam dignissimè per nos fieri posset, Christiani dici optantes, quicquid in nobis est viriū, quicquid ingenij, id vniuersum flagranti animo, Pauli imò Christi prouocati exemplo, proximorum

2. Cor. 12. vtilitati dicauimus. Vnde licet eximia illa spiritus sancti dona in nobis haud cernamus, quæ tamen vtcunq; attigisse videmur, ad communem omniū vtilitatem in medium contulimus, vt cum dies illa reddendæ rationis ad-

Matth. 25. uenerit, si nec quinq; nec duo, quæ nõ acceperamus, talenta Domino duplicata referre poterimus, vel hoc vnum pro viriū nostrarū imbecillitate nõ terræ suffossū, nec strictum sudario, sed cum lucro ac fœnore reddamus exigenti. Quamuis, inquam, talis ipse nõ sim, cuius sacra scripta magnorū virorum cōmentarijs illustrentur, seu qui sacrosanctas scripturas meis commentationibus enucleare cateris valeam, non tamen omittam, quin viri illustres idipsum præstantes, & hucusq; solis noti Grecis, Latinis quoq; meis lucubrationibus
 inno-

NUNCUPATORIA.

innotescant. Hac itaq³ Christiana dilectione
 duce, Oecumenium & Aretam in Christia-
 na Republica & inter ecclesiasticos scripto-
 res non extrema sanè fortuna, priorè quidem
 in omnes D. Pauli epistolas, inq³ eas quæ Ca-
 tholica nuncupantur, necnon & in Aposto-
 lorum Acta, posteriorem verò in Ioan. Apo-
 calypsim, summa fide & exacta diligentia la-
 tinitate donauimus. Qui posteaquam ad um-
 bilicum perducti sunt, querere mecū ipse cœ-
 pi, cui nam (vt moris est) aptissimè dicaren-
 tur. Et cum nonnulli tales (ni fallor) occurre-
 rent circumspecti, tu tamen præ cæteris ita
 vnus ille multis iustisq³ nominibus visus es,
 vt præter tui, imò nostri, vel operis ipsius iniu-
 riã præteriri nullo modo potueris. Quæ sanè,
 nisi adulationis notã vitarem, recensere sin-
 gillatim libuisset. Verū (vt cætera prætermi-
 tam) in hac quoq³ electione in tantū me non
 aberrasse cōfido, vt te ex ijs coluisse (si tamen
 ex me honoris tibi accessio fieri vlla queat) æ-
 mulari Deum ipsum fuerit, qui te non solum
 præ cæteris Florentinis, verum etiã supra cun-
 ctos Italiæ principes decore ac potentia illu-

EPISTOLA

stravit: & cui profuisse, nostro etiam commo-
do, qui inde Christianè regendi sumus, consu-
luisse sit. Multi enim philosophi, & mundi hu-
ius sapientes, vt gratiam sibi ac beneuolentiã
principũ aucuparentur, ea illis præcepta præ-
ponere conati sunt, quibus subditos eis popu-
los tutò moderarentur. Sed dum optimo prin-
cipi instituendo intenderent, præstantissimã
ac maximè necessariam regiminis eius partẽ
contempserunt. Non enim principes tantũ com-
ponendi erant, & ex sola principum parte re-
gnorum firmamentũ quærendum, Verũ et
populi in ordinem redigendi, sine quibus nec
reges quidem regnare dicuntur: quibusq; in-
compositis posthabitis, necessariò infirma om-
nia redduntur, instabilia & confusa. At Pau-
lus noster cũ reliquis Apostolis, suis hisce scri-
ptis, eorumq; cõmentatores (quos en tibi dica-
mus) Oecumenius & Areta, ita principem
componũt, vt nec incompositum relinquunt
populum: sic vnã instituunt partem, vt ne
alteram omnino cõtemnant: ita spiritũ intra
se se viuere præ se ferunt, vt & sapientissimos
se ac prudentissimos supra omnẽ philosopho-
rum,

N V N C V P A T O R I A .

rum, eo expertium, turbam comprobent. Ne autem singulis immoremur, quæ longum fuerit vel attingere, talem (ut summam dicam) erga subiectos constituunt principem, ut non iam se dominum, sed patrem agat. Et rursum ita populum in suum afficiunt dominatorem, ut nullum vel durum tyrannum, nedum te clementissimum dominum, non æquo animo ferant, colant, & amplectantur. Igitur si populi tibi subiecti, tui impulsu exemplo, doctrinæ huic cœlesti operam nauare & ipsi cœperint, facile pestiferum simul illum ac impiu[m] è cordibus eximent morẽ, ne Gracchos, Syllas, Marios, vel ceteros huius farinae viros agant, qui suas immaniter respublicas subuertendo, magni sibi videbantur. Vides modò inexpugnabilem tibi à me arcem meis hisce vigilijs ac sudoribus structam, omnibus quibusuis necessarijs munitissimam, eamq[ue] gratis? Nihil enim à te peto, nil moror. Satis superq[ue] mihi satisfactum censeo, si inde proficiens, te colentem deames. Valeat igitur qui diuina ineptè religioni haud addicto dicari infulse garrunt: quandoquidẽ siue ad tui muneris functionem, vel ad com-

EPISTOLA

parandam populi beneuolentiam, seu ad Dei
 tibi gratiam conciliandam, nec minus regnū
 tibi posterisq; tuis quietum relinquendum, &
 tuto diutiusq; regendum, spectet, nulli, velint
 nolint, magis quam tibi Christiano Principi,
 ac Christiani populi iudici, Christi dogmata, le-
 ges ac placita congruere fateri cogentur. Hic
 enim si aliò oculos auertat, quid obsecro re-
 etum, imò quid non perperam aget? quid non
 dictabit iniquum? Si autē populus ad alia &
 ipse, quam ad Christi scita ac Dei providentiā
 sese verterit, quid non in principe suo damna-
 bit? quando à seditionibus, ab insidijs, à nece il-
 lius abstinebit? Et hunc in modū nutantia om-
 nia & confusa, regno taliter diuiso ac dissi-
 de, ruent in præceps, & per sese, quanquā ma-
 xima, dilabentur. Hinc vorax ille nascitur
 Vermis, qui principum animos vsque adeo ro-
 dit atq; depascitur, vt eorum sanè vita, mors
 magis dicenda sit. Viueré ne, an millies singu-
 lo quoque die mori censendus est, qui semper
 mortem se inuadentem, iam iamq; capiti im-
 minentem sibi cernere videtur? Quòd si econ-
 trà, & princeps Dei timore Christi legum te-
 nax

N V N C V P A T O R I A .

nax, piè Christiano populo dominetur, & populus eodem Dei timore ductus, sacris obsequens monitis, velut à Deo donatum sibi regem obseruet, ad quantũ eminent, Deum immortalem, eorum res fastigium conscendent? Quid porrò eiusmodi vita iucundius? eo quid regno firmitus? quid tanta concordia dulcius? Vel humillimũ tali in statu non reddetur sublimè? Quid deniq; hac repub. præstantius ac diuinius? Vides igitur quanti sit munus quod tibi beneuolenti animo, meq; vnà cum eo, offero? Amplectere illud ac deosculare, & eo per inde ac fidiſſimo à secretis vtens, nunquam è latere, nunquã è manibus abscedere patiare. Hoc etiam filijs, hoc amicis, hoc subditis, hoc deniq; Christianis vniuersis appone legendũ, quod tam tibi, quàm illis non modò vtile, verũ etiam maximè necessariũ cernis. Quod si feceris, mihi credito, veluti peritiſſimus ac fidiſſimus nauta, omnes pariter ad portum salutis perducet æternæ. Efficiet, inquam, vt ne morte quidem ipsa, quæ mundo huic addictis finem gloriæ infert, nomen tuum obliteretur: imò Vrbe, quam lateritiam accepisti, marmo

EPIST. NVNCVP.

rea reddita, ditioneque tua longè lateque aucta,
ac posteris tuis firmissima relicta, ipse ad nobi-
liorem longè splendidiorēque, cœlestem vide-
licet, adsumaris: è Duce, inquam, Florentiæ, rex
fiat cœlorum: è temporali ac caduco
principatu, ad regnum sta-
bile & æternum mi-
gres. Vale.

MAXIMI FLORENTINI

MONACHI CASSINENSIS AD

Christianum lectorem præfatio.



*Um nullius Volumen hoc auctoris
 nomen in Græcis exemplaribus
 prodat, miraberis forsân pie Le-
 ctor, cur nos Oecumenio adscri-
 pserimus. Qui scrupulus facilè eximetur, si
 vel locû illum Paulinæ prioris ad Corinthios
 intueare, vbi de virginibus agitur: vel episto-
 læ finem ad Colossenses: quibus maximè locis
 Oecumenius se illum fuisse desert, qui hæc ex
 Chrysostomo sumpsit. Ea enim quæ Chryso-
 stomus latè atq; diffuse disseruerat, sermonis
 hic luxurijs amputatis, summa fide, mira lu-
 ce, & grata breuitate collegit. Verùm quia nõ
 omnia possumus omnes: & Chrysostomus
 etiam quandoque nonnulla scitu dignissima
 sicco pertransit pede: ne quid ad plenâ textus
 intelligentiam desiderari detur, quæcunq; bre-
 uius ille, obscuriùsue tractauit, hic vel sui-
 ipsius, siue aliorum illustrium Græcorû, quo-
 rum nomina semper apponit, appendice aper-
 tius latiusq; explicat. Hinc igitur habes, vnde
 sacra Pauli dogmata piè, doctè, germanè, ac è*

AD LECTOREM.

compendio discas. Quo fit vt tibi minimè post hac Theophylacto opus sit: quod enim ille conatus est, absolutè hic præstitit. Decreueram etiam eundem Oecumenium, vt in Paulum, ita & in Acta Apostolica, & in eas, quæ Catholicae appellantur, epistolas, postquam & in Euangelia vertissem (quod fuerat cum primò ocium adesset) transferre: ceterum cum pars illa commentarij huius, videlicet in Acta & Catholicas, à Ioan. Bernardo Feliciano, viro sanè & erudito & amico, iam latinitate donata in manus venisset, superfluum duximus, eadem rursus vertendo, incassum laborare. Nostræ igitur in Paulum, eius in Acta Apostolica & epistolas Catholicas adiūximus versionem. Interpretati quoque sumus Aretam Cesareæ Cappadociæ Episcopum in Apocalypsim Ioannis theologi, eumq; (vt in græcis exemplaribus habebatur) Oecumenio adneximus: qui eisdem & ipse, quibus Oecumenius, vestigijs gradiens, nequaquam sui vnus Marte innititur, sed eruditorum illustriumq; virorum baculo sustentatur. Huius etiam te omnino admonitū velim, nos in vertendo haud

AD LECTOREM.

impresso tantum exemplari usus esse, Verum
 Galijs quatuor peruetustis, quæ mihi Floren-
 tiæ, vnum ex monasterij nostri, quæ Abbatia
 Florentina dicitur, tria verò alia ex bibliothe-
 ca Medicea, ad votum præstò erant. Quapro-
 pter factum est, vt interpretatio nostra neu-
 tiquam Veronensi illi omnimodis respondeat.
 Nonnulla enim in alijs reperimus, quæ in Ve-
 ronensi vel desiderantur, vel secus habentur.
 Lubenti igitur ac benigno animo labores no-
 stros excipias, eisq; inuigiles: Et si quid ex eis te
 frugis nactum senseris, meritas Deo gratias
 age, eumq; precare nostros vt cona-
 tus pius & fauens se-
 cundet.

ARGVMENTVM OE CVM E-
nij in Epistolam ad Romanos.

HAnc Paulus Apostolus e Corintho mittit, nondum quidem uisis Romanis, sed fama tantū illorum ad se perlata, & eos uidendi cupidus. Et primū quidem fidem eorum, quam uisibiq; annuntiari ac diuulgari cernit, gratā sibi ait. Deinde significat, sēpenumero ad eos se proficisci statuisse, ob id, quo in illos afficiebatur, desiderū, nondum tamen potuisse. Scribit deinceps doctrinę & eruditionis plenissimā epistolam de Gentū uocatione, de circuncisione, quā tantūm data ad tempus fuerat, tunc cessata: deq; per Christum & Adę pręuaricatione soluta, & umbra legis digressa. Cōsectanter igitur uocationē Gentū hac ratione asserit, omnibus hominibus insitā legem demonstrans: & omnes, tum natura ipsa, quę nullo doctore indiget, tum creatione Deum cognoscere potuisse. Idcirco nō iniuria sanē Gręcos primū accusat, ut quibus iam Deus ex mundi huius creaturis suūp̄suis cognitionē ostenderit, ac sempiternę uirtutis suę, quę est ipsius uerbum, in quo, & per quod, creauerat omnia. Illi tamen ex creaturis nequaquā Deo earum creatore agnito, creaturam, quā ipsum Deum, colere maluerūt. Arguit autem & Iudęos, ut qui, lege non seruata, per ipsam legis pręuaricationem Deum dehonestassent. Et hoc pacto per uotraq; maxima hęc scelera Iudęos pariter & Gręcos conuincit, & pręuaricationis accusat, ut ostendat, quōd omnes quotquot nati sunt, utpote æquālium criminū reos, ex æquo redemptore indiguerint. Gratia uerō redēptioneq; in Iudęos inq; Gentes æquē delapsa, meritō tum Gentes quoque uocatae sunt. Gentibus autem uocatis, necessariō & circuncisio, & quęcunq; in lege habebatur euanuit umbra. Abraham enim, inquit, nō sub circuncisione, sed ante ipsam circuncisionem iustificatus, nomen,

Argumentum

men, quod ei erat Abram, in Abraham commuta-
tur, quod iuxta nominis interpretationem multa-
rum Gentium pater futurus esset, iuxta fidem il-
lam, quam etiam antequam circumcideretur ha-
bebat. Postquam uero iustificatus fuit, circumcisio-
nem accepit in carne: quæ signum n̄s esset, qui ex
ipso nascituri erant: & tum demum abolenda, ubi
Gentes filij Abrahæ factæ essent, cum uidelicet uis-
tæ institutum iuxta fidem illam Abrahæ tenere
cepissent, per quã, etiã antequã circumcisione ad-
mitteret, iustificatus fuit. Et hæc ratio est transmu-
tati nominis Abrahæ. Erat porro necessarium, ubi
significata aduenissent, ipsum cessare signum. Ve-
rum si Gentes quidem circūcidi omnino uelint, no-
men quoq; obliterent Abrahæ, uoceturq; Abram.
Si autem ab ipso Deo nomen ipsius Abræ mutatū
fuit in Abraham, nullo modo Gentes circumcidan-
tur oportet, imò ne ipsi quidem, qui iuxta carnem
Iudæi sunt, quod nomen sit firmum, multarumq;
Gentiū appelletur pater. Nemo enim posthac, qui
fidei acquiescit Abrahæ, uel circumcisione, uel qua-
libet alia legis umbra indiget. Non enim ex his, sed
ex fide, perinde ac ipse Abraham, quotusquisq; ius-
tificatur. His ita probatis rursus declarat, nequa-
quã uel Israëlī uel Gentibus, tum redemptio, tum
gratia adueniret, uetere illo Adæ peccato, quod in
omnes dimanarat, non obliterato. Per nullum ue-
rò alium, quàm per Christum Dei, inquit, abroga-
ri poterat. Qui enim fieret ut per alium hominem
transgressio solueretur, quando quidem per ipsum
hominem ab initio transgressio uenerit? Nullo au-
tem id modo fieri potuisse scribit, nisi filius Dei, fas-
ctus homo, corpus assumpisset: quo pro omnibus
oblato, uniuersos morte liberaret. Et quemadmo-
dum per unum hominem mors introiuit in mun-
dum, ita & per unum hominem gratia adueni-

In epist. Pauli ad Rom.

ret. Deinceps uerò uti bonus œconomus Iudæos
quidem consolatur, inquit, nequiquam eos idcirco
legis fieri transgressores, si in Christum credant.
His rursus, qui ad fidem ex Gentibus uenerant,
ne in Iherosolimam efferantur imperat: imò nouerint,
quòd sicut super radicem rami, sic super eos insiti
ipsi sunt. Postremùm uerò ubi sermonibus admo-
nitionis adhortationisq; ad mores il-
los edocuisse, finem scri-
bendi facit.

IN DIVI PAVLI
EPISTOLAM AD ROMANOS

OECUMENII COMMENTARIA,

Maximo Florentino, Monacho

Cassinensi, interprete.

CAPVT I.



PAVLVS^a seruus^b IESV^c CHRI
STI, uocatus^d Apostolus, se-
gregatus^e in Euangeliū Dei,
quod^f antè promiserat per pro-
phetas suos in scripturis san-
ctis de filio suo, genito ex semine Dauid, se-
cundū^g carnem.

^a ¶ Paulus.) Hic contextus est: Paulus Apосто-
lus omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, uocatis
sanctis, gratia uobis & pax. Quasi, Talis tali salu-
tem. Rationē subinde tum Euangelij, tum sui ipsius
promit: Euangelium quidem nequaquā tempore re-
centius esse dicens, sed per Prophetas antea prænun-
clatum, nunc autem manifestatum. Ipsius quoq; Da-
uidis, ad quem promissio facta fuerat, meminit. Se-
ipsum uerò eiusdem præconem præmissum fatetur,
ne temeritate quadam, post illam Petri doctrinam,
ad mittendas epistolas impulsus uideretur: sed po-
tius ut diuinum compleret mandatū. PHOTII:
Nomen uerò suum prima fronte adponit, uel iuxta
ueterem morem: ut, Claudius Lissias optimo præsidi
Felici salutem. Vel ideo præponit, Paulus, nolens uel



os quidem aperire, quin Domini beneficij meminisset: ut, Paulus (inquit) ille, qui & ipsam uocationem ex Domini beneficio ac humanitate habet: Paulus, qui omnia ab ipso CHRISTO, uocationem inquam, gratiam, & Christianæ reipublicæ administrationē fert. VEL, cum scribat absentibus, iurē suū apposuit nomen. Verūm ab Saulo in Paulum ideo permutatū est, ne uel in hoc cæteris Apostolis inferior esse uideretur: ne ipso quidem coryphæo Petro. **b** ¶ Seruus.) Complures sunt seruitutis modi: alius namq; creationis est, alius fidei, alius apostolatus, alius ad rempublicā seu uiuendi normā attinet: quos omnes obtinuit Paulus. Solitus autem nomini suo adponere, Apostolus, nūc seruus præposuit, ut ad pietatem Romanos alliciat. Adeo enim mente erant elati, ut per suffragia deos, quos uellent, crearent. Vnde, quemadmodū fama est, significante illis, eo qui tunc Iudææ præerat, de CHRISTO, quod quendam IESVM, qui uenit magna ac mira patrans in his locis, post mortem exurrexisset asserunt, Deumq; prædicant, id per suffragia abnuisse dicuntur, quod præter eorum sententiam & iudicium præsumptū fuisset. Sed diuinæ dispensationis fuit, ne humano studio id consecutum esse uideretur. **c** ¶ IESV.) IESVS humanitatem indicat: CHRISTVS uerò, spiritus unctionē. **d** ¶ Vocatus Apostolus.) Ingenue fatetur, quod nō spontē ad munus accesserit Apostolatus, sed accitus. Vocatus autem nō ad fidem tantummodo,

tummodo, uerumetiam ad muneris Apostolici functionem. e ¶ (Segregatus in Euangeliū.) Alius quidem, inquit, ad alia, ego uerò ad Euangeliū segregatus sum: quippe quod Deum esse CHRISTVM bene nunciabat. Nam Patrem ex ueteri Testamento antè didicerāt. Nihil uerò, ait, uelut Prophetæ, triste dicā: sed hoc bonū apporto nunciū, nēpe quòd Deus homo factus sit. f ¶ (Quod antè promiserat.) Nemo, inquit, noua me tradere putet: iam enim olim promissum fuit Euangelium hoc. Quod uerò ait, In scripturis, non modò Prophetas dixisse, imò & scripsisse indicat. Non dixit simpliciter, de filio: sed, de filio suo, ut naturalem, unicum, propriū filium, & unigenitum indicaret. g ¶ (Secundū carnem.) Nam secundum spiritum filius Dei erat.

Definito^a filio Dei in^b uirtute, secundum^e spiritum sanctificationis, ex resurrectione^d mortuorum IESV CHRISTI domini nostri, per^e quem accepimus gratiam & Apostolatum^f, ad obediendum^g fidei, in omnib.^h gentibus, proⁱ nomine eius, inter^k quas estis uos, uocati IESV CHRISTI. Omnib.^l qui sunt Romę, dilectis Dei, uocatis sanctis, gratia^m uobis & pax à Deoⁿ patre nostro, & Domino IESV CHRISTO.

a ¶ (Definito filio Dei.) Hoc est, demonstrato, declarato, cum per Prophetas, tum per tot ac tanta mira Dei signa, perq; resurrectionem. Horū nanq; con-

cursus definit ipsum, atq; distinguit ab omnibus alijs,
 qui per gratiã filij nuncupantur. Quapropter qui-
 dam, definito, cognito dixit, atq; ad hominum notio-
 nem profecto. Nam consueuimus ea per definitiones
 aliquas cognoscere, de quibus firmi, & nulla cum am-
 biguitate certi sumus. *b* ¶ (In uirtute.) Id est, nõ
 gratia, quemadmodum cæteri, sed uirtute propria,
 quam signis operabatur diuinis. *c* ¶ (Secundũ spi-
 ritum sanctificationis.) Et ex spiritu, inquit, san-
 cto, quem in se credentibus præbet. *d* ¶ (Ex resur-
 rectione mortuorũ.) Et ex resurrectione, inquit,
 mortisq; dissolutione. Resurrectione autem, qua ip-
 se Dominus noster IESVS CHRISTVS exur-
 rexit. *e* ¶ (Per quem accepimus gratiã.) Nõ ex
 proprijs, inquit, uirtutibus, egregijsue facinoribus
 accepimus Apostolatũ: sed quicquid illud est, gra-
 tiæ est ac doni. Gratiam & Apostolatũ, pro gratiam
 ad Apostolatũ. *f* ¶ (Et Apostolatũ.) Atqui Apo-
 stolatus ipsius, spiritus sancti est, ut habetur in Actis:
 sed omnia quæ ad sanctam pertinent Trinitatem, cõ-
 munita nouerat. *g* ¶ (Fidei.) Non oportet Dei ge-
 nerationem & substantiam curiosius rimari, sed so-
 lum obtẽperare. *h* ¶ (In omnibus gentib.) Nam
 etsi ipse non omnes adiit gentes, omnes tamen Euan-
 gelium per Apostolos reliquos acceperũt. *i* ¶ (Pro
 nomine eius.) Fides enim ad eius nomen uenit:
 nam ipsum Gentes haud oculis aspexerunt, sed cum
 tantũmodo nomen eius prædicaretur, crediderunt.

Reuera

Reuera plenus fuit gratia Apostolatus discipulorū,
 quādoquidem persuaserunt Gentibus credere & o-
 bedire CHRISTO, idq; homines piscatores & il-
 literati. *k* ¶ Inter quas.) Hoc est, cū quibus Gen-
 tibus & uos uocati estis. Haud enim à uobismetipsis
 uenistis. Adimit uerò corū fastum, tanquam dixerit:
 Ne existimetis, quemadmodū urbs uestra rerum po-
 titur, ita uos quoq; reliquis præstare: imò cum cete-
 ris gentibus uocati fuistis. *l* ¶ Omnibus.) Non
 enim, inquit, discrimen est apud ipsum inter diuitem
 & pauperem. Deinde quoniam dixerat, omnibus,
 ne dicerent, Quid igitur? omnes pari honore dignos
 ducis, bonos & malos, fideles & incredulos? adiun-
 xit, uocatis sanctis. Nam omnes sancti apud eum
 pari honore habentur, nullumq; inter eos discrimen
 est. Primū autem, dilectis Dei, posuit: deinde, uoca-
 tis sanctis. Vnde uocati estis? inquit: ex quibus labo-
 ribus? ex quibus egregijs facinoribus? unde estis san-
 cti? profectò ex sola Dei beneuolētia. Ipse enim cū
 gratuitò nos amarit, ac sanguinem suū pro nobis fu-
 derit, uocauit in sanctificationē, suiq; regni heredita-
 tem. Idcirco etiam in omnibus locis, uocatis dicens,
 beneuolentiæ ac doni ipsius Dei nos meminisse facit.
m ¶ Gratia uobis.) Nemo enim operibus serua-
 ri, inquit, potest. *n* ¶ A Deo patre.) Nam à Deo
 gratia & pax stabilis ac firma est. Quod uerò ait, A
 patre, adoptionem insinuat.

Primū quidem gratias^a ago Deo meo^b per

^c IESVM CHRISTVM pro omnibus uobis, quoniã ^d fides uestra annunciai in toto mundo. ^e Testis enim mihi est Deus, ^f cui seruiò in spiritu meo, in Euãgelio & filij ipsius, ^h quòd incessanter memoriã uestri faciã semper in orationib. meis: ⁱ precãs, si quo modo iam demũ ^k prosperũ iter nanciscar in uoluntate Dei ueniendi ad uos.

a ¶ (Gratias ago.) Decebat enim ut per gratiarũ actiones loquẽdi principiũ auspicaretur. Gratias, in quã, agere decebat, nõ pro suis modò uirtutib. uerũ etiã pro egregijs proximorũ factis: id enim charitatis refert. b ¶ (Deo meo.) Euidẽs id charitatis argumentũ est: Deũ quippe omnib. cõmunem sibi uni uẽdicat. c ¶ (Per Iesum Christum.) Nam ipse nobis gratiarũ actiõis, quã patri exhibemus, autor est, qui nostra assumpta natura, proprio sanguine Deo patri nos recõciliauit. d ¶ (Fides uestra.) Romanorũ siquidem fidem apud omnes diuulgari indecorum nõ erat. e ¶ (Testis enim.) Meritò Deũ testẽ adducit, cùm incognitis hominib. uellet persuadere. f ¶ (Cui seruiò.) Multe nãq; diuini seruitij seu cultus sunt species. Qui enim precatur Deũ, qui ieiunio utitur, qui diuinis inheret sermonibus, qui peregrinorũ curã gerit, is Deo famulatur, is Deũ colit. At diuus Apostolus seruire se Deo professus est, offerens Gentibus Euangelium filij: ac seruire Deo in spiritu, hoc est, in tradito sibi dono. VEL, quoniam nõ studio

contigit mihi seruire Deo, sed spiritus sancti gratia.
 SEV, quòd nō carnalis est mea seruitus, sed spiritua-
 lis. Mōstrauit se ex hoc propter necessitatem sollicitū
 esse pro eis, ut qui uerbum & amplexi sint, & am-
 plexuri. g ¶ In euangelio filij.) An uides, quòd
 cū suprā dicebat, in euangeliū Dei, CHRISTI di-
 xerit? h ¶ Quòd incessanter.) Sincere charitatis
 est, cū meminisse, tum id citra intermissionem, pre-
 sertimq; in precibus. i ¶ Precans.) Proficisci Ro-
 mam urgebat: at id citra Dei uoluntatem facere no-
 lebat. Quòd uerò ait, iam demum, pro Tandem, di-
 xit: quippe quod ualde urgentis est. k ¶ Prospe-
 rum iter.) Facile, inquit, & bonum iter habeam.

Desidero enim uidere uos, ut ^a aliquid im-
 pertiā gratiæ uobis spiritualis, ut ^b fulciamini
 uos: hoc autē est, ut ^c pariter consolationē ac-
 cipiam in uobis, per mutuā fidem, uestram &
 meam. Nolo autē uos ignorare fratres, quòd ^d
 sæpe proposui uenire ad uos, & ^e prohibitus
 sum hucusq;: ut ^f fructum aliquem & in uobis
 habeā, quēadmodū & sinter reliquas gentes.
 a ¶ Vt aliquid impertiam.) Non temerē, inquit,
 neq; insipienter: sed ut uobis munus cōmunicem. Di-
 cit autem doctrinam, & institutionem: id enim fulciri
 est. Admodū (ut hinc colligere est) commoti fuerant.
 Quòd uerò ait, ut aliquid, moderantis est: quasi di-
 cat, parum quippiā. Cū autē subdit, impertiā, indi-
 cat, nihil sanē meū dabo, sed quod ipse quoq; accepi.

b ¶ Vt fulciamini.) Enimvero nequaquam paruum do-
 num est, non uacillare fide. c ¶ Vt pariter conso-
 lationem accipiam.) Postquam fulciri memine-
 rat, ne eos, quod dimouerentur, contristaret, mox in-
 tulit, ut pariter consolationem accipiam: id est,
 ut & ego uos, & uos me consolemini. Mutua enim
 consolatione, inquit, indigemus, ob eam, quae in nobis
 habitat, fidem. Mira uero modestia utitur. Potest e-
 tiam sic ista intelligi consolatio: Vt uos quidem à me
 adhortemini ad fidem, ego uero, quando quidem in
 CHRISTVM uos credentes uideam, ad letitiam
 inciter. VEL sic: Quod dixeram de gratia imper-
 tienda, meum duntaxat non est, uel meae praeelectio-
 nis ac ministerij: sed commune est tam meum, quam ue-
 strum. Administratio sanè mea est, subsidiū uero ue-
 strum. Et neque tunc simpliciter, sed per eam, quae mu-
 tuò in utrisque est, fidem. Qua ratione? quomodo? Si fi-
 dem, inquit, ipsi accipiendi muneris habueritis, egoque
 rursum fidem uobis impertiendi. Si quidem fidem e-
 go dandi habeam, & multum certamen, ac studium:
 uos autem accipiendi fidem non habueritis, nec desi-
 derium, nec studium: donum spirituale, licet ego ue-
 lim, nequaquam ad uos accedet. Oportet igitur ut ambo
 concurrant, tum quod ex parte mea, tum quod ex ue-
 stra. Tunc enim fidem ac desiderium accipiendi asse-
 quemini, quando per bona opera dignos uos ipsos ex-
 hibueritis gratia spirituali. Vobis autem munus ac-
 cipientibus, nimirum mutuò consolationē accipimus,

et letitiam: nam cōmune est lucrū. Conuentus enim fidelium plurimorū, maximam efficit consolationē.

VEL RVR SVM: Si uos me, inquit, idoneum ad prædicandū ducitis ac docendum: itemq; ego uos dignos, quibus eloquia Dei, perfectiorq; doctrina cōcredatur, iudicauero. VEL: Si uidero cum promptitudine atq; animi alacritate uos prædicationē amplecti, rursumq; uos meam circa hoc curam et studium cōsideraueritis. Hoc autem ad maiorem exhortationem et certitudinem fidei utrisq; conducit, cum is quidem, qui prædicat, hominum animos miro quodam modo ad obedientiam inspicit accurrentes: magis enim ad prædicandum confirmatur: et contrā, cum discipuli contemplantur cum firma spe prædicatorem fidem tradere, maiori eam suscipiunt alacritate: atq; ita per mutuam fidem accipiunt consolationem. d ¶ Quod sæpe proposui.) Si igitur uenire optas, et utilitatis causa iter instituis, cur nō aduenis? e ¶ Prohibitus sum.) Prohibitus fui, inquit, propterea non ueni. Nō autem iam causam interditi huius curiose rimatur. Non enim nostra interest à Deo eorum poscere rationem quæ mandat, sed tantum obedire. f ¶ Ut fructum aliquem.) Omnino dixerit aliquis: Idcirco prohibitus es, quòd non secundum Dei uoluntatem uolebas. Nequaquæ sanè ait: nam fructum aliquem in uobis quoq; habere optabam. Fructum uocans, si eos ad fidem perduceret. VEL SIC: Cum hyperbato dictum est, ut ali-

quem fructum habeã. Effet utiq; cõsequens: Sæpe proposui uenire ad uos, ut fructũ aliquem haberem etiam in uobis, sed prohibitus sum hucusq;. Sed dicet quispiam: Si fides illorum per totum annunciabatur mundũ, quemnam fructum ipsam profectioem præbere uolebat? Enimuero multũ sanè, dicemus. Licet enim crediderint, multis tamen indigebant: idq; ostenditur cum per totam epistolam, tum per id quod paulò antè dicit, ut fulciamini uos, & quando ad non iudicandum inuicem hortatur, & mille alia, ut fructum aliquem haberem, inquit: hoc quidem indicans, quòd fructus illorũ suus proprius iudicabatur à Paulo. Ita enim proximorum bene gestis rebus gaudebat, ut ipse eorum fructum carpere sibi uideretur: hoc autè, quoniã utilitatis illorũ causa iter ad eos arripere festinabat. Alioqui etiam Pauli illorũ fructus reuera erat. Cum enim studeret enitereturq;, ut uidelicet Gentes uberem fructum redderent, rectè in eorum fructu, fructus Pauli demonstratur. Sed hæc ita habent. Sũt etiam & qui nõ iuxta hyperbaton hunc locum acceperint, sed ut ordo habet suscipientes, hic ab eis custoditur sensus: Prohibitus sum hucusq;: quãobrem? inquit, ne si citius uenissem, sine fructu uos offendissem. Idcirco aduentũ distuli, usquequo in uobis etiam fructum aliquem pullulantem pro fidei dignitate, ac fructificantem perdiscerem. Potest autem & aliter intelligi. Prohibitus sum hucusq;: qua re? quia fructum aliquem adhuc mihi reliquum colligebam.

Atq;

Atq; hunc intellectum in calce epistolæ confirmatum uidere est, quasi ea recogitate Apostolo, quæ dixerat in principio. Etenim ait: Ideo præpeditus fui quin ad uos uenirem: at nunc nõ iam amplius locum in his regionibus habens, abibo ad uos. Quare fructus, qui hucusque in alijs regionibus sperabatur colligendus, ipsum Romã uenire prohibuit, ne opus relinqueret imperfectũ. Quod uerò ait, & in uobis, & quæ sequitur, est quasi solutio resistentis, opponentisq; sese. hoc est, Quid? ait, in nobis nõ habiturus es fructũ? Sanè, inquit, etiã in uobis: huic studeo, id requiro, debitor sum, omnib. debeo. g ¶ Et inter reliq. gent. Dum cæteris eos copulat gentib. fastũ illorũ retũdit.

^aGræcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus ^bdebitor sum: ^cita quantũ in me est, promptus sum & uobis, qui Romæ estis, Euangeliũ prædicare. ^dNon enim pudet me Euangeliũ CHRISTI: potentia enim Dei est, ad salutem omni credenti, Iudæo primũ & Græco.

a ¶ (Græcis & Barbaris.) Perinde, inquit, ac Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientib. debitor sum, ita etiã uobis debitor sum, b ¶ (Debitor sum.) Nihil, ait, propriũ erogo, omnib. debeo Euangelij prædicationem, ac implere mandatũ quod mihi imperatũ fuit. c ¶ (Ita quantũ in me est.) Vt, inquit, Græcis et Barbaris, sapientib. & insipientib. debitor sum: sic, quantũ ad meũ studiũ et animi promptitudinẽ spectat, uobis quoq; Euangelij prædicandi debitor sum. Illud enim

quod ait, debitor sum, repetendū est. d ¶ Non enim pudet me.) Quia uerò incredulis complura ignominiosa Euāgelio inesse uidebantur, uti crux, mors, & Iudæorū insania: docet iam eos, nihil in ipso inglorium suspicandum, propter quod pudore affici quisquā debeat. Deinde uerò ad reliqua pergens, extollit Euangelium. ET ALITER: Quonia Romani plerisq; quibus præditi erāt prærogatiuis turgēbant, ut diuitijs, potentia, sapientia: Vos quidem, inquit, illorum causa intumescitis, ego autem Deum prædicaturus uenio in medio uestrum, & non erubescō. Quamobrem? Virtus enim ac potentia Dei est, ad salutē suscipientiū. Rectē uerò ait, ad salutem: est enim & ad pœnam potentia Dei: ad salutem uerò non cuiuis, sed credenti. Inobedientibus enim & incredulis, pœnam interminatur Euangelium.

e ¶ Iudæo primū.) Quod ait, primū, uerbotenus tantum honor est, non gratiæ exuberantia. Primū enim à Iudæo petitur ut credat, ut ab eo qui iam ex lege & Prophetis, de ijs quæ ad CHRISTVM pertinent, instructus fuerit, magis quàm Gentes: & quòd licet pro cōmuni salute totius generis humani CHRISTVS aduenerit, attamen inter Iudæos & natus est, & cōuersatus, & docuit, & diuina inter eos signa patrauit: propter quæ omnia debitores sunt Iudæi, ut prius ipsi q̄ Gentes in CHRISTVM credāt.

Iustitia^a enim Dei in ipso^b reuelatur, ex fide^c
Abac. 2. in fidem, quemadmodum^d scriptum est: Iu-

stus

stus autem ex fide uiuet.

a ¶(Iustitia.) Ut ne salutem ac iustitiam audiens, eam solummodo significare arbitraris quæ hîc habetur, infert, Reuelatur, quod eam innuit quæ illic est, perinde quasi nunc nequaquã tota manifestata sit.

b ¶(In ipso.) In ipso, Euangelio uidelicet. Iustitia enim Dei, inquit, in Euangelio reuelatur: hoc est, omnis uirtus per Euangelium perficitur. Iustitiam namque sepe numero omnem uirtutem dicere consuevit. Et quomodo, uel quibus reuelatur? nempe ijs, qui per fidem Euangelio adherent. Omnibus siquidem uirtutem prædicat Euangelium, & omnibus uirtutem amplecti suadet. Illis uerò eam reuelat uirtutis pulchritudinẽ, eosque ipsius efficit amatores, qui cum fide accedunt. Quid igitur? cessat ne fides uirtute strenuè peracta? Nequaquam sanè: imò uerò ad id procedit, quod perfectius sit atque sublimius. Nam prima quidem fides cõpunctio quædam fuit, et præoptitudo animæ: at quæ bonis operibus aucta sit, perfectiorque effecta, confirmatio stabilimentumque est nulla unquam sententia dimouendum, ac certitudo mentis. Et hæc quidem seminis iactui comparatur: illa uerò, scilicet bonorum operum actio, fructificationi: fides autem per hæc perfecta, fruitioni ac felicitati. Sic itaque iustitia Dei ex fide in fidem in Euangelio reuelatur. Vocat autem Dei iustitiam uirtutem ipsam, quòd diuinum quiddam sit ipsa uirtus, & quòd bona quæque ex Deo sint. c ¶(Ex fide in fidem.) A fide incipit, &

in credentē definit. VEL: A fide orditur, & in fidem
 desinere debet: tanq̄ nō debcamus nos omnia, quæ in
 ipso sunt, curiose rimari. VEL SIC: Oportet fidem
 adhibere Prophetis, per q̄; illos ad Euangelij fidem
 perducī. ALITER: Qui enim CHRISTO Domino
 credit, baptismatis gratia percepta, illò per ea transfertur,
 ut bonis credat futuris, nimirū resurrectioni
 à mortuis, æternæ uitæ, regnoq̄; cœlorū. Nam crede
 re oportet, Christū cū carne uisum super terrā fuisse:
 quippe quod in itū est: ac rursum, cœlorū regnum in
 sortem atq; hæreditatem cessurū ijs qui crediderint:
 quod reuera fidei finis est. AC ACII. Vel sic: Iud. eo
 quidem reuelatur ex legis fide, in eam fidem quæ est
 per IESVM Christū: Græcò aut̄ ex naturali fide, in
 fidem IESV Christi. d ¶ Quemadmodū scriptū
 est.) Vt nō uideretur imperuasibile uerbū, quòd fides
 salutē donet atq; iustitiā, testimoniū demonstratio
 nemq; prophetica m elocutionē adducit, quæ ad Ab
 bacum prolata fuit. Tale uerò quiddā dixit: Pulchrè
 dixi, studiosum ex fide in fidē per uirtutē proficere:
 etenim, ait, Abbacū supernè hoc per spiritū clamat,
 quòd studiosus homo fide uiuit: id est, totā uitā suam
 fide exporrectā habet. SEV familiaris: Quoniam
 uita uera iusto, pullulare est ac reuiuiscere per uirtu
 tum acquisitionem: iustus, inquit, seu studiosus uitam
 illam uiuet, quæ est secundū uirtutem. Atq; id quod
 ait: Iustus autem ex fide uiuet, illius est assertiuum
 quod dixerat, Reuelatur iustitia ex fide. Sed hæc qui
 dem

dem ita sese habent. At si quis uocem illam, iustitia Dei, non eam accipiat quæ in homine à Deo donatur, uerū (quod ad lectionē magis accedit) eam quæ Deo iuncta est, atq; ab eo redditur efficax, hunc mihi sensum elicere uidetur: quòd Dei iustitiā, quam circa nos demonstrat, humanitatis termino ac lege, in Euangelio suo demonstrat. Et quonam pacto? quoniam ex sola fide nos seruat: & eos qui olim occubuerint, etsi nulla iam opera præ se tulerint, uiuificat. Idq; in sequentibus Paulus manifestus cōprobat, ubi ait: Et iustificantem eum, qui ex fide est. Ac rursum: Iustificati igitur ex fide. Uemq;: Si confitearis in ore tuo Dominū I E S U M, & deinde credideris in corde tuo, salutem assequeris. Hoc igitur opus iustitiæ Dei est, quæ omnem uincit benignitatē ac liberalitatē humanā, nempe ex sola fide nos, qui iamolim mortui peccatis fueramus, resuscitari ac uiuificari. Rectē igitur antea dixit, uirtutē esse Euangeliū ad salutē credenti. Nam potens efficitur is, qui fidē admiserit, per iustitiā illam quæ in eo reuelatur. Per fideles porrò iustitia reuelatur, ac propalatur. Sed ad quodnā is, qui credit, uiuificatur? Ad fidem illā quæ et perfectissima est, & uim habet assuetudinis immutabilē. Ex fide enim in fidem uiuificatio est. Potest autē & alio modo intelligi. Dei iustitia per Euangeliū declaratur, quòd sumens à nobis initiū solūmodo, ac fidei semen, ipse suppeditat augmētū, et stabiles et perfectos nos efficit ad hāc ipsam. Id iustitia reuera Dei est, cū, sola à nobis

Cap. 3.

Cap. 5.

Cap. 10.

electionis occasione ac uoluntatis accepta, ipse totū
 perficit. Suprà enim dicente Paulo, quòd potentia
 est credenti ad salutem Euangeliū: ne quis dicat, ec-
 qui fieri potest ut fidem ille adhibeat, qui crucem au-
 dierit, qui mortem, quiq; passionem? insert: iustitia Dei
 in eo reuelatur. Non igitur hæc, inquit, accuses. Nam
 si tantummodo uelis, tunc magis admirari potes Dei
 circa te providentiam atq; curam. Quoniam cum ex
 sola uoluntate, animiq; deliberatione abs te fidem ac-
 ceperit, ipse eam tibi fidem suppeditat, quæ & certa
 & firma est. Postea ne putares quòd nouū quiddam
 eloqueretur ac recens, Prophetam in medium testem
 adducit. Id ipsum mihi iam olim Propheta confirma-
 Abbacum, quòd uita iusti fide cōprehenditur, & ter-
 minatur: incipiens quidem à fide quæ ex animi deli-
 beratione & uoluntate est, desinens autem proce-
 densq; ad fidem illam quæ est secundum diuinam ef-
 ficaciam & reuelationē. Quapropter semper iustus
 ex fide uiuit. Porrò illud, uiuet, non ineptè dicitur.
 id est, iustus nequaquā ex fide quidem uiuit, desinit au-
 tem: imò perpetuò uiuet, in ea proficiens, firmiter
 tenetq; accipiens. At uiuet, dixit, & nihil aliud, uide-
 licet proficit, uel cōfirmatur, uel quippiam aliud ab
 iusmodi, ut intentum propositū indicaret, quòd neq;
 uiuere eliget, neq; respirare absq; fide.

Reuelatur enim ira Dei de cœlo super bo-
 mnem impietatem, & iniustitiam hominū, ue-
 ritatem^c in iniustitia detinentium, eò quòd^d id
 quod

quod de Deo cognosci potest, manifestum^e est in ipsis: Deus^f enim ipsis manifestauit. Inuisibilia^g enim ipsius à creatione mūdi ex operibus intellecta conspiciuntur, ipsaq;^h eius sempiterna potentia & diuinitas, ad hocⁱ ut sint inexcusabiles, propterea^k quòd cū Deum cognouissent, ^lnō ut Deum glorificauerunt, aut gratias ei egerunt, ^msed inanes facti suntⁿ per disceptationes suas, ^oobtenebratumq; est inscium cor eorum.

a ¶ Reuelatur enim.) In die iudicij. Primū quidem, post præfationem, de iudicio tractat, quod contra Gentes, quæ naturæ legem nō custodierunt, futurum est. b ¶ Super omnem impietatem.) Iustitia enim uniformis est: uaria uerò circa dogmata impietas, & circa normā uiuendi malitia. c ¶ Veritatem in iniustitia detinentium.) Veritas quidem est Dei cognitio, iniustitia uerò idolorum error. Illi igitur ueritatem Dei in iniustitia detinent, quotquot cultum Dei idolis tribuunt. Porro quòd ait, detinentium, idem est ac obseruantium, siue occultantium, prauaq; sententia & ingenio adumbrantium. Facile nanq; si quidem uellent, ab ijs quæ oculis conspicua sunt, tam sibi quàm cæteris ad Dei notionem prodesse potuissent: at illi per hæc eadem Dei notitiã contegere & cohibere, ne illucesceret, maluerunt: & dum hæc ipsa deificauerunt, iniuria quoq; affecerūt, quantum in ipsis fuit, ipsam cognitionis Dei uerita-

tem, semetipsos, & eadem quoq; ipsa, quæ sibi honore afficere uisi sunt. Planū uerò est, quòd Græcorū sapientes, eisq; similes pungat. d ¶ (Eò quòd.) Cognitio enim Dei in eis, & in omnib. manifesta est, inquit. Per uisibile enim creaturā, inuisibilis cognoscitur Deus. Proinde huiusmodi spōtē in errorem prolabantur. Quòd uerò ait, Id quod de Deo cognosci potest, hoc significat, quòd fieri potest ut cognoscatur creator, prouisor, & cætera id genus. e ¶ (Manifest. est.) Per pulchritudinē ac magnitudinē ipsius creaturæ. f ¶ (Deus enim &c.) Dum apponeret omnib. creaturā doctricē suæ maiestatis. Cœli enim, ait Dauid, enarrāt gloriā Dei. g ¶ (Inuisib.) Vbi dixisset Apostolus, quòd suā illis Deus notitiā reuelauit, ipsiq; sua spōtē eū neglexerūt, nūc id demōstrat, dicēs. Quoniā per ea quæ cōdidit Deus, hoc est, tam inuisibilia, q̄ uisibilia, suā ipsius maiestatem ostendit. Nam creatura ipsa uocē edens per uisum, auctore suū reprædicat. Inuisibilia enim angelos dicit, atq; omnē, quæ in cœlis est, uirtutem: uisibilia uerò creaturas ipsas, ut cœlū, terrā, mare. Vide ergo quid inquit: Inuisibilia ipsius, inquit, per uisibilia cōspicua sūt. Qui enim cœlum intuetur, cogitabit omnino, quòd intra ipsum nō nulli sint administratorij spiritus. Quod igitur nō apparet, ex eo quod apparet, declaratur. Ne enim cœternos Deo angelos arbitraris, sub creationē illos agit. Inuisibilia nanq; aut, ueluti angeli, ac cæteræ incorporeæ uirtutes. Quenā hæc? quæ à creatione mū

di ad generationē deducta sunt: seu, à creationē mūdi deprehendūtur, atq; uidentur. Quomodo? sanē cū inter creaturas hæc intelligūtur, cōnumerāturq;. Cū hyperbato itaq; cōstructio hæc cōstat, uel quod per creaturas intelligūtur, hoc est inter creaturas ipsas existere, Dei famulari uolūtati, ac iussa cōplere. Seu inuisibilia nūcupat inuisibilitatē, ut ita dicā, ipsius substantiæ. Et qua, inqt, ratione fieri potest, ut diuinitas, quæ nulli cōspiciua est, perspiciatur & intelligatur? Possūmus, inqt, profectō etiā ex ipsius creaturis diuinitatē eius atq; potētia perscrutari. *ch* (Itaq; eius &c.) Repete, Intellecta cōspiciūtur. at quomodo per creaturas æterna ipsius cognoscitur uirtus et potētia? Quia cū ea quæ generationis uia producta sunt, naturā habeāt corruptibile, certoq; tēpore ad subsistentiā sunt traducta, horū nimirū autorē & incorruptibile & sempiternū esse, omnino necessariū fuerit. **PHOTII:** Vel certē sic intelligito quod ait, A mūdi creatione diuinitas ipsius Dei, ac sempiterna uirtus et potētia cognoscitur. Siue quispiā mundū ipsum animaduertat, et quæ in ipso, stellarū inquā pulchritudinē, magnitudinēq;, lunæ cursum ac solis, ordinē & seriē immutabilem. Nō luna diem, nō sol noctem efficit: ether proprium locū seruat, & aër similiter: terra constitit, nullum habens fulcientē pondus illius: effluxit ac circumfluxit eam aqua, pondus auxit, attamen immobilis perdurauit, uirtutē quandam esse, atq; potentiam, quæ ipsam contineat, prædicans: fert mille fructus,

tum specie, tum uirtute differētes. Cū sit unica, cū sit teres, plurima ipsa animalia nutrit: imò uerò constances statutasq; temporū mutationes, et annas pluuias, & quæ uidentur passionēs, terra motus, fulmina, & si quid tale fueris cōtemplatus, ad factor em te remittunt, quid est quod continet: quid quod moderatur: inuestigantem. Est itaq; nosse à creatura manifeste, quod est creator, quod prouisor, quod omnipotens, quod bonus (ad bonū nanq; pertinet creatio, ac prouidentia) quod æternus: omnipotenti enim qui insidiabitur? Ita ergo diuinitas eius, ac sempiterna uirtus & potentia in creaturis cōspicitur. Sic à mundi creatione cognitio Dei hominibus aduenit: sic id, quod de Deo cognosci potest, in omnibus patefecit. Id quod de Deo cognosci potest, h. ec. & huiusmodi sunt: substantia uerò & natura Dei omnino quibusuis incomprehensibilis est. Hæc Græci quoq; nouerūt: sed cū cognouissent, non ut Deum glorificauerunt.

i. ¶ Ad hoc ut sint inexcusabiles.) Cū enim tot tantaq; sint quæ Dei maiestatem indicent, quomodo se purgabunt qui sponte exc. ecati sunt? Nequaquā sanè id studij à Deo processit, minime, tametsi ita contigerit. k. ¶ Propterea quod.) Cognouerunt quidem per creationem Deum, sed suapte sponte neglexerunt, nec ipsum ut Deū glorificauerunt. PHOTII: Cū Deum cognouissent, hoc est, quidnam sit Deus, quid credi debeat Deus: hoc cū sciuisent, suapte sponte in errorē prolapsi sunt. V. E. L. Cū Deū

cogno-

cognouissent, id est, nosse potuissent, modò uoluissent. SEV, quo ad creationem & doctrinā cognouerunt, & tamen eorum cognitio aberrauit. Siue, quòd cognouerunt Deum, quantum fieri potest ut hominibus cognoscibilis sit. Quid igitur est id quod Deo cognosci potest? quòd creator, quòd prouisor, quòd bonus, quòd Dominus, & quòd colendus: his cognititis, & hucusq; prosperè profecti, deflexerunt deinceps. His nanq; adeò præcelsis de Deo cognititis atq; perspectis, postea non ut Deum decebat, uel Deū crediderunt, uel glorificauerūt. I ¶ (Non ut Deum.) Pro quibus enim oportebat ut glorificarent Deum, eiq; gratias agerent, quòd mundum hunc, quem cernimus, condiderit propter nos, ipsi cōtrā etiam ignominia affecerunt. m ¶ (Sed inanes facti.) PHOTII: In errorem, inquit, delapsi sunt, & exciderunt à toto. Quid enim erat facilius? circulos et zodia, animalcula inquam nonnulla, instar idolorum ac simulacrorū quorundam, in coelo locare, an nosse quòd huius, quam cernimus, admirandæ pulchritudinis creator, & procurator, & gubernator sit? n ¶ (Per disceptationes suas.) Quoniam dixerat suapte eos sponte excæcatos esse, causam quoq; adfert, quæ est, quòd omnia suis cōmiserant rationibus, & nō fidei. Volentes enim per formas atq; figuras, formæ omnis expertem, perq; imagines corporeas, incorporeū deprehendere, in errorem delapsi sunt, cum nō possent cogitationibus suis ac rationibus ad finē deduci. Ver

bi gratia, unde nam pateat, quòd cœlũ uel terrã con-
diderit Deus. Quis nã pater Dei, quæ uero causa hypo-
staseos, uel quæ ipsa sit hypostasis. o ¶ (Obtenebra-
tum.) Nubib. enim cogitationes rationesq; humane
adæquatæ, eorũ cor obtenebrarũt. Insciũ uerò idcir-
co appellat, quòd noluerint fide totũ cõprehendere.

Dicentes^a se esse sapientes, stulti facti sunt.
permutauerũtq; ^b gloriã incorruptibilis Dei,
in similitudinẽ imaginis^c corruptibilis, homi-
nis, & uolucrũ, & quadrupedum, & serpentũ.
Propterea^d tradidit illos deus in desideria cor-
dium suorũ ad immunditiam, ut dehonestent
corpora sua inter semetipsos, qui^e permutaue-
runt ueritatẽ^f Dei in mendacio, & coluerũt g,
& seruiuerunt creaturæ^h potius quàm creato-
ri, qui est benedictus in secula.

a ¶ (Dicẽtes se esse sap.) Causam reddit, cur omnia
suis permiserint cogitationib. Putarũt, inquit, se esse
sapientes, seq; sufficere sibi ad cuiuslibet rei appren-
sionẽ: idcirco stulti facti sunt. Quid enim demẽtius, q̃
lapides et ligna adorare? b ¶ (Permut.) Habebant
sanẽ scientiã Dei, sed hac abdicata, pro ea gloriã &
cultũ idolorũ acceperũt. Porro gloriã Dei dicit crea-
tionẽ ac præsciẽtiã: hãc igitur idolis attribuerũt, quæ
cõficta fuerãt ad similitudinẽ hominũ, uolucrũ, ac ce-
terorũ. Nec interea pudore suffusi sunt sapientes, dum
quæ solius dei propria sunt ac peculiaria, serpentib.
attribuenda censent. c ¶ (Corrupt. ho.) Ipsum idẽ
quòd homo corruptibilis est, satis erat ad illorũ de-

mentia argueda. Quod uero similitudinib. corrupti-
 bilib. adiudicaru't dei gloria, maxima stoliditatis fuit
 d ¶ Propterea trad. ill.) No ipse sane tradidit, ab-
 sit: uerū is quidē istos, uti cura sua indignos, neglexit:
 inde uerò assumptos illos satanas, tradidit in que tra-
 didit. Igitur permissionē Dei, traditionē uocat. PHO-
 TII: Tradidit illos Deus, hoc est, delictū in Deū, &
 iniquitas seu iniuria, et propriū ipsoꝝ factū, et uolū-
 taria obsecatio: hæc inquā sunt, que eos in passiones
 ignominie tradiderūt. Nam etiā cōtrā dicere cōsueu-
 mus, Perdidit hūc pecunia, tanetsi nō pecunia, sed ab-
 usus ipsius pecunie perdat. et, illū adulantiuū multitu-
 do corruptit: atqui nō ij corrupunt, sed quia adh. esit
 illis, fidē q; accommodauit: quippe cū de meo pēdeat ar-
 bitrio, utrū credere illis, uel nō credere uelim. OECV-
 MENII: Vel fortē seipso tradiderūt, quoniā id cupie-
 bant. In desideria enim, inqt, cordiū ipsoꝝ. e ¶ Qui
 perm.) Vides rursus uerbū illud, permutauerūt,
 significare quod scientes mutauerūt. f ¶ Veritatē
 Dei.) Hoc est, ea que uerē de Deo dicūtur, que q; in-
 telligi possunt, mēdacio attribuerūt, idolis uidelicet.
 THEODORETI: Veritatem Dei uocat nomen hoc,
 Deus: mendaciū autē, manufactū idolum. Cū igitur
 debuissent uerū adorare Deū, creaturæ diuinū obtu-
 lere cultū. SEVERIANI. Vel: Quod Deus quidem
 reuera Deus est, idola uerò que ipsi adorāt, falso ap-
 pellātur dii. g ¶ Et col. Colentes uerò & seruietes,
 obstinati sunt effecti. h ¶ Creaturæ.) Cōparatione



semper terribiliorem facit suum sermonem. Creaturae, inquit, potius quam creatori seruiuerunt. i ¶ Quis est benedictus.) Atqui per hoc, inquit, nihil in sua propria gloria lesus est Deus: nam ipse permansit idq; in secula, benedictus: ipso autem praedictae poenitentiae sunt, tum corporis dicendae ignominiae, tum mercedis

Propterea^a tradidit eos Deus in passionem ignominiae. Feminae^b namque eorum mutauerunt naturalem usum in eum^c qui est praeter naturam. Similiter^d & mares relicto naturali usu femininae, exarserunt in concupiscentia sua inter se mutuò, masculi in masculos turpitudinem operantes^e, & mercedem^f, quam oportebat, erroris sui in se recipientes.

a ¶ Propterea.) Quenam illa sunt? nempe quod seruiuerunt creaturae potius quam creatori. b ¶ Feminae namque eorum.) Habentes namque ex naturae congressum legitimum, permutauerunt illum in illegitimum. c ¶ In eum qui est.) Turpissimum quiddam palliatè loquitur. d ¶ Similiter & mares.) Ostendit quòd non modò aduersus diuinas, uerum etiam aduersus ipsius naturae leges bellum gerebant. Porrò, exarserunt, multam insaniam & aestum insinuauit. Et non dixit, concupiscentiam suam exercentes, sed, turpitudinem: planum faciens, quòd ipsam etiam naturam pudore affecerint. e ¶ Turpitudinem operantes.) An uides, quòd non ignorantiae fuerint passionis, sed quòd studium adhibuerint ad haec pertrahenda.

tranda? κατὰ enim præpositio cum hoc participio
 ἰσχυροὶ, hoc est, operantes, cōposita, intentionem
 quandam cōtentionemq; ostendit: perinde ac si quis-
 quam contendat, ac totus in hoc sit, ut offendat Deū.
 ¶ Et mercedem.) Quæ illis congruebat, quæq;
 illos decebat qui tales essent. Mercedem dicit, quæ il-
 lorum debebatur errori (porrò errorem uocat, quòd
 adorauerint creaturam) quam in se recipiūt, mulier
 à muliere, uir à uiro turpia patientes. Ex quo ser-
 monibus de gehenna fidem non adhibebant, hanc eis
 mercedem ac uicissitudinem Paulus profert, quò eos
 pudore suffundat.

Et quemadmodum^a non probauerunt ut
 ipsi Deum agnoscerent, tradidit illos Deus in
 reprobam^b mentem, ut facerent quæ non con-
 ueniebat, repletos^c omni iniustitia, fornicatio-
 ne, uersutia, auaritia, malitia, refertos inuidia,
 cæde, lite, dolo, prauis moribus, susurriones, de-
 tractores, Dei osiores, iniurios, superbos, arro-
 gantes^d, inuentores^e malorum, parentibus im-
 morigeros, insipientes, fœderis expertes, à cha-
 ritatis affectu alienos, irreconciliabiles^f, immi-
 sericordes. Qui^g cùm Dei iustitiam agnouis-
 sent, nempe quòd ij qui talia patrant, digni sint
 morte, nō^h solùm ea faciunt, uerumetiam con-
 sentiunt facientibus.

^a ¶ Et quemadmodum.) Vides quòd nō igno-
 rantie fuit error, sed scientiæ? Magis uerò nonnul-

los etiam ex eis clam pungit, et si de alijs formatus sermo. b ¶ In reprobam mentem.) Auerfio namq; Dei, reprobamens à demonibus inducitur. enim, inductione, traditionemq;, moris est Scripturam appellare. c ¶ Repletos.) Nullam mensuram dicit, sed repletos omnis iniustitie. Quadocumq; enim Dei auersio euenerit, merito omnia uicarie mala subintrant. Deinde generaliter iniustitia nominata, in posterum specialiores ipsius partes descendit. GENNADI: Haec una iniustitie appellatio, omnia malorum, quae iniuste admiserunt, genera complexus, singula deinde recenset. Et uersutiam quidem dicit conatum illum, qui ex industria et labore in aliquem fit. Auaritiam autem, nocuum illud, quod fit ex cupiditate auiditateq; plura habendi. Malitiam uero, conatum quo proximum suum quisquam iniuria studet afficere. Inuidiam porro, ob proximi secundiorum fortunam, liuorem. Cedem uero, ad ipsum usq; homicidium motum. Sed litem, uituperandam contentionem uocat. Dolum, in fratrum perniciem insidias et machinam. Morum prauitatem, ipsam improbitatem. Susurrationem autem, subdente presentium maleloquentiam. Detractionem uero, maledicentiam à quibusdam in absentes. Deum autem osores, non eos dicit quos Deus ipse oderit (non enim id iam monstrare propositum illi est) sed eos qui Deum oderint. Iniurios uero, temerarios et conuiciatores uocat. Superbos autem eos, qui contra illos, qui ea non habent quae ipsi possident, intumescunt. Arrogantes eos uocat, qui pro ijs quae non habent, ac si habeant, gloriantur.

tur. Inuētores malorū, qui super uetera mala coacer
 uant noua. Parentib. immorigeros, qui ingritudinē
 suā atq; perfidiā in parentes usq; protendūt. Inspien
 tes uerò, cōscientia uacātes, quibus nihil est inspien
 tius. Fœderis expertes, qui pacta, quæ cum aliquib.
 inierūt, nō seruāt. A charitatis affectu alienos appel
 lat, qui nullā uel comitatē habent, uel amicitia. Irre
 conciliabiles, qui reconciliationē, aut inducias nullas
 admittūt, iniuriarūq; nō sunt immemores. At immi
 sericordes, inflexibiles, atq; ad misericordiā minimē
 propensos. d ¶ Arrogantes.) Si enim qui rectē a
 git, arrogātia utēdo sua quæq; recta facinora inania
 reddidit, quanam obsecro uindicta dignus erit is, qui
 in peccatis arrogans fuerit? e ¶ Inuētores mal.)
 Quippe quod exercentiū sese propriū est, et studiose
 quicq; agentiū, nō certē ignorantū. f ¶ Irreconci
 liabiles.) Dissidentes ab omnibus, hoc est, omnes o
 dio prosequentes auersantesq;. g ¶ Qui cūm Dei
 iustit.) Rursum indicat per cognitionē eos peccasse.
 Iustitiam uerò Dei mandata uocat. Lex nanq; Mosai
 ca manifestē ac rigide cōdemnat, dignos morte eos iu
 dicans, qui talia patrant. Isti enim iustitiam Dei di
 xerim, & mandatū. h ¶ Non solūm ea faciunt.)
 Duas ponit accusationes: alteram facere, seu adiuua
 re faciētes: alterā, ad malū proximū cohortari. I S I
 DORI: Nonnulli quod dictū est haud affecti, sed du
 bitantes et apostolicas lectiones deprauatas rati, hoc
 modo eas interpretati sunt: Non modò faciētes hæc,

uerumetiam consentientes facientibus. Ita enim, in
 quiunt, antiquum habeat exemplar, ut maius sit
 cere, & minus assentiri. Ego uerò neq; Apostolicos
 bros peccasse dicens, neq; assentiens ijs qui mentes
 Pauli non sunt affecuti, lectoribus id iudicandū per
 mittam. Dico itaq; quòd cū delinquentes laudat
 quàm delinquere, multò molestius sit & maius, quàm
 ad punitionis rationem: merito dictum est, Non se
 ea faciunt, uerumetiam consentiunt facientibus. Quia
 enim obnoxius delicto peccatū alterius condemnare
 poterit tempore quandoq; se ipsum recuperare, ma
 ximum habens ad morum suorū emendationem ad
 iumentum, peccati condemnationem. At qui neq; se
 tiam laudat, sese ipse auxilio priuat, quòd esset
 permutatione morū in melius. Cū igitur corrupti
 sententia sit, anim. eiq; immedicabiliter egrotātis in
 dici: uoc. hoc, iurè delinquentis flagitium laudans, la
 gè sceleratior esse iudicatus est.

Quapropter^a inexcusabilis es ô homo, qui
 quis es qui iudicas. Nam^b eo ipso quòd iudi
 cas alterum, te ipsum cōdemnas: eadem enim
 cis quæ iudicas. Nouimus^c enim, quòd iudi
 cium Dei est secundū ueritatē, aduersus eos
 qui talia agunt. Arbitraris^d autē, ô homo, qui
 iudicas talia agentes & eadem facis, quòd effu
 gies iudicium Dei? Aut^e diuitias bonitatis ip
 sius & patientiæ^f & longanimitatis cōtemnis,
 ignorans quòd bonitas Dei ad penitentiam
 ducit

ducit: Sed & iuxta duritiem tuam, & cor pœnitendi nescium, thesaurizas^h tibi ipsi iram in die iræ, & reuelationisⁱ, & iusti iudicij Dei, qui reddet cuiq; iuxta opera sua.

a ¶ Quapropter.) Notat Apostolus, Urbem imperium occupasse orbis, ac proinde ad ipsos principes extenditur, tametsi ad plebeos quoq; & priuatos sermo accomodius sit. PHOTII: Excellentissimã iniquitatem promit. Et patrabant ipsi scelera, & patrantibus assentiebantur. Et quoniã si quis à quoquã captus ad tribunal eorũ ducebatur, ipsi residentes iudicabãt illum, cui pares ipsi habebantur in factis: & licet ad faciendum ei cõcurrerent, eum tamen condemnabant, ideo sese peccare norant: quare se ipsos longè magis cõdemnabant. b ¶ Nam eo ipso.)

Qui enim mala agit, & alios qui eadem faciunt condemnat, cõtra sese primũ damnationis sententiã profert. c ¶ Nouimus enim.) Hic siquidem non est iudiciũ secundũ ueritatẽ: multi namq; effugiũt rei, & cõplures plectuntur insones. Illic autẽ secundũ ueritatem est. Quin? etiam hĩc iudicium Dei neq; iniustũ absoluit, neq; condemnat iustum, si quando ad iudicium, etiam in hoc mundo quisquã fuerit constitutus.

d ¶ Arbitraris autem.) Pleriq; enim putant, quòd etiam si ego peccem, inquit, alios autem à peccando compescam, mercedem inde refero. Verũ illud CHRISTI audietur, Medice cura te ipsum. Nam condemnationẽ, inquit, tu tibi primũ superinduxisti. e ¶ Aut

diuitias.) Est quidem longanimis, sed nisi conuertimur, gladium suum uibrabit. f ¶ Et patientia. Idcirco enim longanimis est, nō uti longanimitate utaris ad occasionē maioris cōtemptus, uerū ut patientiæ spaciū accipias. Perseuerans itaq; in transgressione, pœnas lues. g ¶ Sed iuxta duritiem. Quando enim quispiā nec bonitate mollitur, nec terretur, quid hoc obsecro durius? quid difficilius? h ¶ Thesaurizas.) Quod omnino cauendū est, declarat obseruandū: & quod tibi ipse autor iræ es, enim seruas & thesaurizas. i ¶ Et reuelationis. Ne uerò dum irā Dei audis, animi ullā perturbationem passionēue suspiceris, infert: Reuelationis iudicij. nam hoc in loco iustū iudiciū, nō est passio, enim maximē iustū iudiciū reuelatur, quando reuincit; iuxta opera sua. k ¶ Et iusti iu.) OECOPula illa, Et, tanq̄ ad interpretationem adijcit.

His² quidē qui iuxta perseuerantiā^b operi boni, gloriā, & honorē, &^c incorruptibilitatē quærūt, uitam æternā: illis^d autē qui ex cōtentione, & ueritati quidē nō obtemperant, & temperāt autē iniquitati, indignatio & ira, afflictio & angustia, & super quāuis animā honoris operantis malum, ^hIudæi primū, & ⁱGræci. ^kGloria uerò, & honor, & pax, omni operari bonū, ^lIudæo primū, & ^mGræco. ⁿNō enim est personarum acceptio apud Deum.

¶ His quidem.) Hyperbaton est, quærentibus

tam æternam. **b** ¶ (Operis boni.) Non enim fides tantū sat est, sed etiam factū opus est. Perseuerantiā uerò seu tolerantiam dicens, ut strenuè nos aduersus tentationes geramus, docet. **c** ¶ (Incorruptibilitatem.) Resurrectionis ianuas patefacit. **PHOTII:** Repete illud, reddet: qui etiam reddet. Reddet enim ijs bona, uitam æternam: & his mala, indignatio reddetur & ira, & huiusmodi. Quòd uerò duplex est orationis figura (repetitio etenim est & zeugma) animaduerte quòd bona quidem reddet, inquit: ultionem uerò & pœnam nequaquam reddet, sed reddentur hæc. Et neq; id per lectionē dixit, sed subintelligendum reliquit. Ita perpendas, quòd iustificatio nem & salutem conferre, propriū est Dei: quòd autem punit ipse, pœnasq; exigit, peccantiū pertinacia duritiēq; descendit, & quòd neq; resipiscant, neque conuertantur. **d** ¶ (Qui ex contentione.) Rursum indicat, peccata esse ex contentione & socordia. **e** ¶ (Et ueritati.) Copula illa, Et, redundat, & ideo omittitur. **f** ¶ (Obtemperant autem.) Quis enim credit, quòd honestum sit ipsa iniustitia, & malum ipsa ueritas? Perspicuum ergo est, quòd in cognitione peccatum sit: hoc enim potissimum uox illa, obtemperantibus, indicat. Spontè nanque obtemperat, qui obtemperat. **g** ¶ (Super quamuis animam.) Non rex (inquit) est, nō potens, qui effugere queat. **h** ¶ (Iudæi primū.) Quantò enim maiore doctrina donatus est, tantò maioribus

si peccet, poenis afficietur. i ¶ (Et Græci.) Ob
niet, inquit, uel potius erit. k ¶ (Gloria uerò.) E
ganter dixit, pax: illic enim nemo per inuidiam
eo pugnabit, qui uel honore uel gloria fuerit deo
tus. l ¶ (Iudæo.) Ut ne existiment Iudæi, in
circuncisum, tametsi Dei cultor sit, in ulla re minore
copulat eos. m ¶ (Et Græco.) Græcum non
lorum cultorem dicit, sed incircuncisum quidem,
tamen cultorem ac fidelem. n ¶ (Non enim.)
enim personarum, sed operum quæstio est. Hinc
multas usq; paginas pugnam Gentilium intro
et Iudæorum: patrocinatorq; Gentibus sanè,
ipsius naturæ instinctu iusta operantur. Id uerò
agit, ut legem abroget, atq; deturbet: fidem uero
eo illius sabroget.

Quotquot enim sine lege peccauerunt
ne lege etiã peribunt: & quotquot in lege
cauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim
auditorum legis iusti sunt apud Deum, sed
ctores legis iustificabuntur. Nam quæ
Gentes, quæ legem non habent, natura
legis sunt faciunt, ex quibus legem non habentes
bipsis sunt lex, qui ostendunt opus legis
ptum in cordibus suis, testimonium par
dicente ipsorum conscientia, & inter se
tuò cogitationibus accusantibus, aut etiã
fendentibus, in die quando iudicabit De
occulta hominum iuxta Euangelium meum
per IESVM CHRISTVM.

a ¶ Quotquot.) Ostendere uult per duos, qui pec-
 cauerunt, Iudæum, inquam, & præputiū habentem,
 Iudæum peius affligendum, quando etiam lege duce-
 ditatus peccauit. Sine lege autem peccantem, præpu-
 tium habentem introducit, qui sine lege, inquit, peri-
 bit: hoc est, non cum legis exacta inquisitione: quod
 moderatam insinuat perditionē. Iudæū porrò in le-
 ge peccantem asserit, qui & per legem, inquit, quam
 præuaricatus est, iudicabitur, id est, condemnabitur.
 Indicat uerò id peiorem interitū. Iudiciū autem ap-
 pellat, & nō interitum, propterea quòd iudiciarium
 forum condemnationem præcedat. Si peius igitur, ius-
 xta Scripturam ipsam, Iudæus punitur, quomodo de
 Græco quidem dixit, peribunt: de Iudæo autem, iudi-
 cabuntur? Et horum hoc quidem tanq̄ indubitātū ma-
 lum uidetur, illud autem dubium. Sed animaduerti-
 to. Iudicium hoc in loco cōdemnationem dicit, id est,
 certissimū exitium insinuat: est autem pœna supra
 pœnam: atq; hæc duo non ambiguan perditionem
 pariunt. IOANNIS: Non modò hic æquè dignos Iu-
 dæos & Græcos ostendit, sed multò etiam magis Iu-
 dæū à legis traditione grauari. Nam Græcus sine le-
 ge quidem iudicatur. Porrò quòd ait, sine lege, nō id
 uocat, quod sit difficilius, sed quod mitius: hoc est,
 Græcus nō habet accusantem legem: nam sine lege,
 id est, sine illius condemnatione, à cogitationibus quæ
 sunt ab ipsa natura, solummodo cōdemnatur. Iudæus
 uerò in lege, hoc est, tum natura, tum lege accusante

perit. Quātò enim maioris curæ fructum nactus est, tantò maiorem poenam luet. b ¶ Nō enim auditores.) Fortasse enim homines fallūt: sed auditores legis Deus nō iustificat, sed factores. c ¶ Nam quādo Gentes.) Naturæ ratiocinijs utentes ad iustam operationē. d ¶ Ex legem nō habentes.) Mirabiles igitur sunt hi, qui cū lege nō indigeant pædagogō, sibi ipsi & legislatores sunt, & legislationis completōres. e ¶ Scriptum in cordib.) Non enim, ait, in literis comprehensa indigent lege, sed cor eorū inscriptam habet intelligibilem legem. f ¶ Testimoniū.) Sat enim est, legis loco propriā habere conscientiā, quæ testimoniū perhibeat. g ¶ Et inter se.) Siquidem in illo iudicio nō indigebimus externis uel accusatoribus, uel qui boni nobis testimoniū reddant: sed cuiusq; tum cogitationes, tum conscientia, uel accusabūt, uel defendent. PHOTII: Quod uerò ait, inter se mutuò cogitationibus, per hyperbatum dictū est. Contextitur enim ei quod dixerat: Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Interpretatio enim expositioq; est, quomodo hi quidem iustificentur, illi uerò non iustificentur. Et ait: Cū tribunal illud testibus non indigeat, nec aliquibus exterioribus demonstrationibus, sed intrinsecus ex ipsiſcogitationibus uel statuitur peccatum, uel uirtus manifestatur: quamobrem, tametsi homines in hoc mundo absoluantur, & fiant indemnes, fidendum nō est: nihil enim inde emolumentū

lumentihauriunt. Quamuis rursus condemnentur, non est moleste ferendum: nihil enim inde patiuntur damni: sed satis est tum ad condemnationem, tum ad absolutionem, cogitationum suarum conscientia, & testimonia. Cur dicens, accusantibus cogitationibus, non dixit, iustificantibus? Si etenim qui plectuntur significarentur, fieret id per illud quod ait, accusantibus: quiq; seruantur, per illud, defendentibus. At nunc ueluti pro uno atq; eodem cōsequens ipsum intelligere hortatur, & accusantibus & defendentibus. Dicimus itaque, quòd nequaquam oportet, ut pro uno & eodem ambo sumantur: sed accusantibus quidem cogitationibus hos, puniendos inquam: illos autem defendentibus, seruandos uidelicet. Quare autem non dixit, & iustificantibus, & condemnantibus? Quòd neque iustificant hæc, neque condemnant: ceterum accusant quidem, uel excusant. Sententiam uerò supplicij, seu iustificationis, iudex ipse fert. Rectè ergo dixit, cogitationibus accusantibus, uel etiam defendentibus. Rursus dicere possumus: Quid ergo? quomodo defendunt nullo accusante? Accusantibus enim dictum est, quod de puniendis accipiendū: defendentibus autē, de iustificandis. Et bene dicitur, Quomodo defendunt nemine accusante? Accusant etiam hic. Verumenim uero uidere non est hīc hominem absque peccato. Ceterum accusatio, quia nec grauiam nec magna sunt peccata, non est acerba, neq; talis quæ abrogari nequeat,

sed defensionem cōtra eam adferunt cogitationes ipse, nature lubricitatem, imbecillitatem, Dei erga homines beneuolentiam, & clementiam: & illa quidem cessat, uincit autē apologia. A defensione itaq; sunt, tametsi præcesserit accusatio, ut dignæ ipsæ significantur. Quoniam uerò in ijs qui pereunt, absurda quidem ac seua q̄maximè peccata sunt, aspera uerò & uehemens & indelebilis accusatio, at nequaquā defensio eiusmodi est, ponit contra eos rursus tantummodo uocem illam, accusantibus. Sunt autem ignoscenda quidem, quæ cogitatione peccauimus: at quæ ad actus usq; produxerimus, non sunt ignoscenda. Itemq; uenia digna ea quidem sunt, quæ per pœnitentiam deleuerimus: indigna uerò quibus ignoscatur, ea, quibus neq; per hanc, uel medelam apposuerimus, uel curam. Licet etiam, prout habet ipsa cōstructionis lectio, huius quod dictum est sensus accipi: ut, hi quidem cum legem acceperint, & ipsam legem & conscientiam contra ea quæ peccarint accusantem habent: qui uerò minimè legem nacti sunt, inquit, & per ipsam conscientiam agunt quæ spectant legem, hi nimirū boni sui operis conscientiam testem producant. Ne enim diceret quispiam, at qui fortuna sanè casuq; bonum per agunt, si nō lege per agant. Nequaquam profectò, inquit, sed conscientia duce, magistri loco hanc, ac testem habentes boni sui operis. Quamobrem magis digni sunt qui suscipiantur: maiorem quoq; in eos qui post legem peccatis sese

se se implicuerint, accusationem inferunt. Sed quoniam non omnes qui lege carent, operantur bona, sed sunt qui etiam delinquant, indicat minimè illos à punitione immunes fore. Quamuis enim, inquit, legem non habeant quæ accuset, non tamen ob id poenas euadent, inter se mutuò cogitationibus accusantibus. Porro quod ait, uel etiam defendentibus, fidei exhibitio est ex contrario inducta: ac si dixerit, Quemadmodum sanè defendentibus cogitationibus absolutio sequitur absque lege, ita rursus accusantibus sine lege subsequitur condemnatio. Cæterum quando hæc In secundo aduentu. h ¶ (In die.) Homines sanè manifesta indagant, at Deus abstrusorū est explorator. i ¶ (Per IESVM.) Nam pater, inquit, neminem iudicabit, sed omne iudicium tradidit filio.

Ecce tu Iudæus agnominaris^b, & requiescis^c in lege, ac^d gloriaris in Deo, & nosti^e uoluntatem, ac^f probas eximia, instructus ex lege, s̄confidens te ipsum ducem esse cæcorū, lumen eorum qui in tenebris agunt, eruditore insipientium, doctorem puerorū,^h habentem formam scientiæ & ueritatis in lege.

a ¶ (Ecce tu Iudæus.) Cum dixisset, quòd timentī Deum præputiū habenti nihil desit ad salutem, modò factor legis existat: ponit deinceps ea, quorum gratia plurimū turgebant Iudæi, cōmonstrans horum nihil prodesse, nisi rectè uiuāt. Ac primū ipsum nomen posuit. Ecce tu, inquit, Iudæus agnominaris. Videbatur

enim ipsum etiã nomen magnũ esse quippiã, nõ secus
 ac hodie Christianorũ. b ¶ Agnominaris.) Non
 enim es reuera, nisi adimpleas legẽ. c ¶ Et requie
 scis.) Non enim, inquit, laboras, tanq̃ extra legẽ ui
 uens, quid agendũ perquirẽs: sed legem habes, quæ te
 omnia abundẽ & manifestẽ docet. VEL sic: Valde,
 inquit, superbus es legis nomine, atq; in ea deliciaris,
 utpote præ cæteris diuina lege dignus habitus. Illud
 uerò, requiescis, indicat, quòd nequaq̃ labore ipso
 rum egregiõue facinore data fuerit lex, sed gratia di
 uina. d ¶ Ac gloriaris in Deo.) Ceu solus præ
 cunctis dilectus mortalib. Videtur autẽ & eorũ stoli
 ditatẽ notare. e ¶ Et nosti.) Atqui nosse quidẽ &
 nõ facere, maiore poenã apparat: & tamẽ ob id ipsum
 quoq; admodũ inflabantur. Vnde non dicit, facis, sed
 cognoscis uoluntatẽ Dei. f ¶ Ac probas eximia.)
 Legis nanq; institutio nouit exactam eorũ, quæ præ
 stantia sunt, explorationẽ docere: ipsi uerò nõ facien
 tes, etiã propterea quòd agnoscerent probationẽ eo
 rum quæ cõmoda sunt, mirum turgebant in modum.
 g ¶ Confidens te ipsum.) Non es, inquit, cæcorũ
 dux, sed talem te reputas ipse. Cæcos autẽ dicit, & in
 tenebris agentes, & insipientes, & pueros, qui ipsis
 accedebãt, profelytos, qui nõdum legis scientiã habe
 bant: hisce enim nominibus, ob uanã suã, qua intume
 scebant, gloriã, ipsi profelytos nuncupabant. Idcirco
 & Apostolus clanculò obijciẽs, iisdem ipsis nominib.
 quibus ipsi utebantur, usus est. h ¶ Habentẽ for.)

Ingeniose dixit, formā scientiæ & pietatis, indicans, quòd minimè ipsam scientiam & pietatem habebant uerā, sed fictā tantūmodo imaginē quandam, quæ figurā quidem præ se ferat pietatis, re ipsa uerò nulla sit. Eleganter uerò positum est, in lege: oportebat enim imaginē uerā in cōscientia & in operibus possideri. Tu uerò, inquit, plurimū intumescis, quòd lex talem imaginē habeat: id uerò, ex quo legis factōr nō es, nihil ad te. PHOTII: Qui legē nouit, & secundū illam uitæ tenuerit institutū, is sanè forma scientiæ & ueritatis, quæ in lege habetur, formatur. Nam posuit formā scientiæ, ad sciendum: formā uerò ueritatis, ad agendum. Ille enim uerā legis scientiam præ se fert, qui per opera illam cōplet: ille fidem. Tu autē, inquit, confidis te ipsum esse eruditōrē, ducem, & doctōrem, nō quidem temerè, sed qui habeas formā scientiæ quæ in lege est, & ueritatis quæ in lege: sic uerò cōuersaris & uiuis, ut qui nunq̄ legis doctrinā audieris. Qui ergo formā scientiæ & ueritatis te habere cōfessus es: qui te eruditōrem insipientiū, qui ducem, qui doctōrem, primū doceas temetipsum: docebis autē, quādo per ipsa opera ueram doctrinam propalabis.

Qui ^aigitur alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non committendum adulterium, adulterium ipse committis: qui ^babominaris idola, sacrilegium admittis: qui ^cin lege gloriaris, per transgressionem legis Deum dehonestas.

Ezech. 36 Nomen^d siquidem Dei per^e uos malè audit inter Gentes, sicut scriptum est. Nam^f circumcisio quidem prodest, si legem opere perfeceris: sin^g transgressor legis fueris, circumcisio tua in^h præputium uersa est.

a ¶ Qui igitur alium doces.) Consequens erat ut diceret, quòd qui talia à Deo acceperunt, nec ea tamen custodierunt, eò maioris supplicij rei sint, quòd maius etiam in cognitione peccatū est. Non tamen eos ualde impetit, uerum per interrogationem promouens sermonē, illud ipsum cōmonstrat. Nonnulli uerò potius enunciatiuè legendum asserunt. b ¶ Qui abominaris idola.) Lex quidem ipsas etiam pecunias in idolis execrabatur, ut quæ demonibus essent dicatæ: uos autem idola sanè execrari uos dicitis, at pecunias, quæ in ipsis sunt, rapitis. Igitur neq; idola reuera detestamini. PHOTII: Si quis enim idola execratur, uti domesticorū morum, consuetudinum legis, sacrorumq; custos exactus, deinde sua ipsius sacra deprædetur, quali, obsecro, hic supplicio dignus non erit? Dum enim idola execrari se simulat, honorare, amplexariq; propriam latriam, et sacra eius ratus: dum uerò temerariam, furacemq; manū immittit in ipsa sacra, ea magis quàm ipsa idola contumelijs afficiens et paruipendens, proximus illi sanè hic est, qui alijs quidem à furto abstinere oportere asserit, sed ea quæ furum sunt, ipse faciat. Vt enim ille cōtraria uerbis per ipsa opera actitare monstratur, ita etiam hic
 contra-

cōtraria execrationi idolorū per sacrilegia quæ per
 petrat, operatur, per furtum & contumeliam quam
 in ipsa admittit sacra, colens dæmonas, quorū erant
 idola domicilia. c ¶ Qui in lege.) Gloriaris, ceu
 magni æstimatus à Deo per legem. Quid igitur præ-
 uaricatione ignominia afficis legem, Deumq; pari-
 ter dehonestas? d ¶ Nomen siquidē Dei.) Quia
 graue erat quod dixerat, Deū cōtumelia afficis, Pro-
 phetam adducit testem: quasi dicat, Non meū hoc uer-
 bum est, sed Esaiæ. Gentes enim animaduertentes eos *Esa. 52*
 pessime uitæ institutū tenere, ad maledicentiam uer-
 tebantur atq; blasphemiā, Hōs ne, dicentes, oportuit
 ut Deus dilectione prosequeretur, uel quicq; eis mu-
 neris impertiretur? an ignorabat malos & esse, & fo-
 re? e ¶ Per uos.) Non modò, inquit, uos cōtumelia
 Deum afficitis, uerū alijs etiam occasiōē præbetis.
 f ¶ Nam circumcisio.) Quoniā eximium quiddam
 circumcisio putabatur, tandem ad ipsam peruenit, &
 ait: Sed dicetis, magna profectò & cōmoda res est cir-
 cuncisio: pertinet enim ad populū Dei. Sanè, inquit,
 fateor: sed tum, cū legem feceris. g ¶ Sin trans.)
 Demonstrare uult, quòd sit intelligibilis circumcisio,
 cuius typus sensibilis illa fuerat, cū purgata super-
 flua fuerint, & unde quaq; abscissa. Superfluum uerò
 est, quicquid Deo ingratiū est. Porrò ex hoc fieri po-
 test, ut aliquis corpore quidem præputium gerat, sed
 talem habeat cordis circuncisionē: ac è diuerso cir-
 cuncisus corpore, anima uerò incircūcisus. Præputiū

autem & circuncisionē ueram, tum bona, tum mala opera exprimūt. PHOTII: Quoniā igitur signum est circūcisio affectionū, passionūq; amputationis, si quis has nō amputat, is nimirū præputiū habet, quō in corpore signū ferat: è diuerso enim, nō modò nihil, qui eiusmodi est, utilitatis habet, sed etiā damno afficitur grauiore: tum quia cōtra ueram circuncisionē mētitur, cuius symbolū carnalis illa est, tum quia eandem ipsam circuncisionē contumelia afficit, & illam inutilem reddit, & nihil eorum, quorū signum data fuit, significantem. At si quis passiones amputet, etsi carne notatus non sit, nihilominus circuncisus est uera circuncisione: imò tantò magis, quantò etiam circuncisione sensibili nulla indiget, quæ ad monumentū & symbolum tantummodo percipiebatur. h (In præputium.) Ad intelligibile præputium transiuit circuncisio tua hæc: propter te, inquam, qui male usus es. Interim enim circuncisionem palàm uituperare non uult.

Si igitur ^apræputiū iustificationes legis seruauerit, nōne præputium eius in ^bcircuncisionem reputabitur? ^c& iudicabit ^dquod est ex natura præputiū, ^e si legem seruauerit, ^f te, qui per literam & circuncisionem transgressor es legis? ^gNon enim qui in manifesto Iudæus est, Iudæus est: ^h nec quæ in manifesto in carne circuncisio est, circuncisio est: sed ⁱ qui in occulto Iudæus: & ^k circuncisio cordis in spiritu, non in li

in
De
a
PH
illo
qui
in
hab
mo
exe
ope
abo
qua
tum
illuc
mad
Siig
non
Iuda
seru
gem
sam
tione
cunci
nè on
stific
nia, c
stific

in litera: ¹ cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

¶ (Si igitur.) Hoc est, Gentes præputiū habentes. PHOTII: Præputium, hoc est, illud quod ad eō iuxta illorū sententiam execrandum erat. Abominandum quippe illi præputium habentem ducebant. Si igitur, inquit, non custodieris, neque operatus fueris ea quæ habentur in lege, circumcisio tua, quæ grata Deo admodum erat, uersa est in abominandum quoddam et execrandum. At si incircuncisus iustificationes legis opere comprobauerit, præputium illius, quod erat abominabile, Deo acceptum, Deoq; gratum, ipsi inquam legislatori & creatori reputabitur: & in tantum Deo placitum erit & acceptum, quantum per illud etiam tu reprehenderis & condemnaris. Animaduertas porrò quàm sapienter, quàmq; acutè ait, Si igitur præputium iustificationes legis custodiat: & non dixit, legem ipsam custodiat. Vt enim ne dicat Iudæus, Ecquì fieri potest, ut incircuncisus legem seruet, quum ob id ipsum, quòd incircuncisus est, legem præuaricatur? Vt igitur ne in hoc quidem ansam illi præbeat, ne utiquam sic ait, sed, iustificationes legis. Et de illis quidem legem dicit: de incircuncisus autem, iustificationes legis. Nequaquam sanè omnem, inquit, legem dixi, sed ea tantum quæ iustificat: simul sapienter indicans, quòd non omnia, quæ in lege habebantur, sed quædam sanè iustificationes erant, & iustificabant, quæcunque

consona erant gratiæ: quædam uerò propter illorū
 duntaxat infirmitatē data fuerant. **b** ¶ In circun-
 cif. reputab.) Non dixit, quòd uincat circuncifio-
 nem (fuiſſet enim id admodum odioſum) uerū quòd
 in præputium reputabitur, coram Deo uidelicet.
c ¶ Et iudicabit.) Hoc eſt, condemnabit: quemad-
 modum dictum eſt, Viri Niniuitæ ſurgent, & conde-
 mnabunt generationem hanc. PHOTII: Vel redar-
 guet te, inquit, is qui ſignum quidem non habet, ea ue-
 rò quæ ad ſignum pertinent, egregiè egit: quod ipſe
 non feciſti, & certè cum te deceret: quoniam id etiam
 per ſignum pollicebaris, magis illo præclarum oſten-
 dere facinus. **d** ¶ Quod eſt ex natura.) Ex natu-
 ra præputium dicit, in carne adhuc præputium ha-
 bentem. Talis igitur adimplens quæ à lege mandan-
 tur, condemnabit te qui circuncifionem habes, &
 quantum ſpectat ad literam, ipſam etiam legem: ope-
 ribus autem, transgreſſorem legis. **e** ¶ Si legem
 ſeruauerit.) Iuxta illud uidelicet, ſecundum quòd
 iuſtificationes ipſius legis ſeruatur. Expende autē: cum
 primū dixiſſet, Iuſtificationes legis, & non ipſam
 legem: nunc ipſam legem peragere ait, ſubinnuens
 quòd hæc propriæ ſint lex. Porrò circuncifio & cæte-
 ra talia, nequaquã propriè ſunt lex. **f** ¶ Te qui pe-
 literam.) Per legem enim ſcriptam, & circuncifio-
 nem adhibitam, factus es omnium transgreſſor.
g ¶ Non enim qui in manifeſto.) Deinde de-
 finit quis reuera Iudæus, qui ſue reuera incircunci-
 ſus.

fus. Ac uidetur quidem non reijcere Iudæū, sed præuaricatorem. Multū uerò deiicit eos, indicans, quòd omnia ad ostentationem facerent. h ¶ Nec quæ in manifesto.) Hæc dicens, carnalia quæq; reiecit. i ¶ Sed qui.) Quasi intelligibilis. k ¶ Et circumcisio cordis.) Non enim, inquit, necessariū est carnale præputium circumcidere, sed cor ipsum à prauis operibus. Addens uerò, in spiritu, iter præstruit fidei: fideles enim per spiritum sanctum circumcisionem habent peccatorum. Qui corde circumcisus est ab omni impuritate, inquit: is enim uerè Iudæus est, qui legem complet. l ¶ Cuius laus.) Occultæ nanq; & in corde circumcisionis, non erit laudator homo, sed Deus ipse, qui corda rimatur & renes.

CAPVT III.

*Q*Uæ igitur excellentia est Iudæi? quæ ué cōmoditas circumcisionis? Multa per omnem modum. Nam ^bprimū quidem, quòd cōmissa fuerunt illis oracula Dei. Quid ^cenim si quidam illorum fuerunt increduli? nunquid incredulitas illorum fidem Dei abolebit? Absit. Sit ^dautem Deus uerax, & omnis homo mendax, quemadmodū scriptum est: Ut ^eiustificeris in sermonib. tuis, & uincas cū iudicaris. Psal. 15. & 50

a ¶ Quæ igitur excellentia.) Opponit sibi ipsi argumentū. Si igitur iuxta tuam rationem nihil prodest uel Iudæum esse, uel circumcidi, sed potius obest, adeò ut grauiori supplicio digni transgressores iudi-

centur, cur nam etiam elegit nos Deus? cur, inquam, idem nos circumcidi mandavit? Igitur respondere ad obiectionē poterat, quòd typus extiterit circumcisi ista, huius, quæ sit per fidem in spiritu, circumcisionis: quòd item Iudæus spiritualis Iudæi typus extiterit, qui CHRISTVM profiteatur. Iudas enim (si inter preteris) confessionem professionēque significat. Verū hac interim solutione prætermiſſa, ut quæ nōdum possit admitti, ad aliam perrexit, quòd proſit Iudaismus: hinc enim, ait, uiam didicere salutis, acceperunt legem ducem agendorū: quòd si eam non seruarunt, de se ipsi conquerantur: mihi enim interim ad eos, inquit, sermo est, qui transgressores non sunt.

THEODORETI: Postquā Iudaicū depresserat superciliū, eosq; frustra circumcisionis, legis, Iudaicæq; appellationis nomine intumescere demonstrauerat, ut ne quis suspicaretur hostili isthuc animo ac inſenso agere, subdit: Quenam excellentia Iudæi? quæ uē comoditas circumcissionis? Quòd si alienarū, inquit, Gentium nōnulli pietate & uirtute ornatī diuinis fruuntur præconijs, cur nam ab Gentibus secreuit Israëlē Deus? cur eis circumcissionē dedit? In quonam Iudem præcellat, id esse ait circumcissionē. Deinde infert: Multum per omnē modum: selegit namq; maiores eorum, ab Aegyptiorū potestate liberauit, per multa ac mirifica signa celeberrimos reddidit, legem in auxiliū tradidit, Prophetas misit: hoc enim dicit, Multū per omnem modum. Atq; his omnibus silentio prætermiſſis,

solius legislationis meminit. Primum quidem, quod
 commissæ & credita fuerunt illis oracula Dei, multum
 per omnia statuit confirmatq; excellentiam esse &
 commoditatem. *b* ¶ Nam primum quidem.)
 Quoniam, inquit, omnino in manus traditam acce-
 perunt legem. Hanc enim dicit eloquia Dei. *c* ¶ Quid
 enim.) Deinde ne diceret: Sanè tradidit nobis Deus
 legem, at quæ comoditas traditæ nobis legis, quãdo-
 quidem plurimi ei nõ crediderunt? Ecquid, inquit, ad
 Deum, si uos nõ credidistis? Num est necesse ut Deus
 uobis uel inuitis salutem conferat? Nunquid enim,
 quia nonnulli increduli permanserunt, propterea fi-
 dem Dei, hoc est, beneficentiam, aboleuerunt? irri-
 tam reddiderunt? Minimè: nam licet ipsi noluerint,
 Deus tamen quod suum erat fecit. *PHOTII:* Ob-
 iectionem diluit. Quid enim si quidam illorum incre-
 duli fuerunt? Dubitabit enim forsitan quispiam, quod
 credita quidem commissaq; fuerunt illis oracula Dei:
 oracula uerò Dei, magna profectò dona pollicen-
 tur ac munera, uerum in fide studioque illorum
 qui susceperunt, fundamentum euentusq; eorum po-
 situs fuit. Sed cum multi fuissent increduli & trans-
 gressores, consequens fuit ut prohiberentur qui-
 dem pollicitationes ad terminum debitum perueni-
 re. Sed frustra essent oracula Dei, si ad nullam uti-
 litatem commoditatemue illis commissæ fuissent: &
 circuncisio ipsa redargueretur. Si uerò circuncisio
 quidem per oracula, oracula uerò per munera,

munera autem per fidem sortita sunt finem, fidem autem irritam transgredientes fecerunt: igitur nulla inquit, circumcisionis comoditas. Hanc itaq; dubitationem soluens, ait: Quid enim si quidam illorū fuerunt increduli? num incredulitas illorum fidem Dei abolebit? hoc est, fidelitatem pollicitationū ipsius, ueritatē, immutabilitatem. Absit, inquit, ut illorum incredulitate, fides ac ueritas in promissionibus illius inanis deprehendatur & cassa, siue circumcisionis legis ad nullam comoditatem sancta. Culpa nanq; nulli rē debetur alteri, sed ipsis qui transgressi sunt. ualeat potius sic: Absit ut adeò potens fuerit illorū per fidem, ut per illos aboleatur, imperfecta, ac sine & euentu frustrata cernatur, cum fides illius in promissis, tum absolutissima ueritas. Quam enim illi increduli fuerint, hic nihilominus, quantum ad se spectabat, egit, & expleuit pollicitationes. Potest autem fides dei & illi accipi, quæ in eis fuit qui minimè præuaricati sunt, & inconcussa durauit. Hæc enim fides Dei est, quæ in Deum, & quæ à Deo ipsis seruata sit. Incredulitas quippe ad nequitiam pertinet incredulorum: credulitas uerò ac fides, ijs qui ea digni sunt ex Deo firmatur. Illorum igitur incredulitas, absit, inquit, ut fides illam expugnet, quæ in Deum, ac per Deum firmata est. Finem itaq; promissiones obtinebunt, ergo comoda est & utilis circumcisio. **d** ¶ Sit autem Deus. Non quia increduli permanserunt Iudæi, propterea offensa diminutæ uel est ulla ex parte gratia & beneficentia

ficentia Dei: sed hæc omnia facta sunt, quò argumen-
 tis euidentissimis & Dei ueritas cõmonstretur in his
 quæ promiserat Abraham, & hominũ mendacium.
 OECVMENII: Deo siquidem per suam ipsorũ perfi-
 diam mentiti sunt, deos colentes ac demones. PHO-
 TII: Sit nobis, inquit, Deus uerax: cogitetur, intelli-
 gatur, mète tractetur, quòd Deus est uerax, & quòd
 omnis homo mendax. Si hoc igitur est, licet quidam
 permanserint increduli, nihilominus Deus quæ polli-
 citus fuerat Abraham, ad finẽ adducet. Quomodo, in-
 quit, & increduli sunt & iniqui? Næ, inquit. Nam
 cum suas ipsius Deus pollicitationes euenire facit, il-
 lorum qui præuaricati sunt, seseq; implicuere pecca-
 tis, tum ingratitudo, tum animi stoliditas, magis ma-
 gisq; conuincitur: imò uerò ingens beneficiũ & ueri-
 tas iustitiæ Dei magis denudatur ac demonstratur, &
 uictoria illi splendida ex hoc prouenit, quemadmodũ
 Dauid etiam testatur, dicens: Vt iustificeris in sermo-
 nibus tuis, & uincas cùm iudicaris. Itaque si ex pro-
 missione, promissionis est finis atq; euentus, hæc uerò
 cõmissa fuit & credita Iudæis, multa per omnem mo- Psal. 50
 dum Iudæorum excellentia est, tamen si nõ nulli ex eis
 præuaricatores euaserint. Deinde: Quid igitur, in-
 quit, si ex iniquitate nostra Deo uictoria oriatur? &
 quæ sequuntur. e ¶ (Vt iustificeris.) Producit Da-
 uid testem idem asseuerantem. Propterea, inquit, in-
 dignis etiã beneficia Deus cõfert, quòd sua bonitas cõ-
 mōstretur, & uincat ad iudiciũ cū hominib. uocatus.

^a Quòd si iniustitia nostra Dei cōmendat iustitiam, quid dicemus? ^b Num iniustus Deus qui infert irā? (^csecundū hominē loquor) Absit. ^d Alioqui quomodo iudicabit Deus mundum? Etenim ^e si ueritas Dei in meo mēdacio exundauit in ^f gloriam ipsius, cur ^g ego adhuc tanq̄ peccator iudicor? & non, quemadmodū maledictis laceessimur, & sicut quidam aiunt nos dicere, faciamus mala ut ueniant bona: ^h quorum damnatio iusta est.

a ¶ Quòd si iniustitia nostra..) Deus, inquit, in nos beneficia contulit, nos autē ipsum abnegauimus, & mentiri sumus: & nostra malitia magis ipse misericors uisus est, quantò etiam magis in indignos beneficia contulit. Hanc, inquā, ob causam & in iudicio uincit. Nos igitur per ingratitude nostram uictoriæ illi ansam præbuimus: cur ergo punit nos, per quos uictor ipse monstratur? Si autor es ipsi uictoriæ, te uerò ille punit, iniustus profectò est: at si iniustus non est, & tamen punit, non ergo tu in causa uictoriæ es. Licebat enim illi etiam aliunde uictoriam sibi conquirere, & si malus ipse non appareres. Non enim qui non est malus, iam etiam dignus est, qui Dei sibi dilectionem uendicet. PHOTII: Ciet uerò magnam per hæc dubietatem, eanq̄; soluit admodum sapienter atque prudenter. Nisi ego, inquit, peccassem, erunt qui dicant, non apparuisset Deus uerax, non iustus, non uicisset. Quibus respondemus: Si tu uictoriæ
ipsi

ipsi, ueritatis & iustitiæ autor es & causa, quomodo te punit peccantem? quomodo supplicijs te addicit? Dicēs ne illum iniustum? At cuius nam iustitiæ ipsius te autorem dicebas? Isti huc enim cum demonstrare puto, cum dicit: Alioqui quomodo iudicabit Deus mundū? pro eo ut diceret, Quomodo eum iustum appellabas, & iudicem? Nam quia te ipsum iustitiæ illius causam esse dicebas, ideo iudicem profitebaris & iustum. Finis nanque iudicij, iustitia est. Si igitur iram infert peccatoribus, qua ratione in causa ipsi sunt iustitiæ eius? At iustum dicēs? ait. Sed dicere nequaquam potes. Iustum nanque iisdem de causis quas sanè ambigebas, professus es. Igitur non sunt qui peccant, uictoriæ, uel ueritatis, seu iustitiæ autores. Item alio quoque modo argumentum demonstrationemque producit. Si per meum (ut asseris) mendacium Deus habetur uerax, non condemnationem, sed honorem potius reportare debui: meq; amplius & mentiri, & peccare oportuit, ut magis magisq; glorificaretur Deus, & plura ipse assequerer bona. At nemo sanè dicere hoc auderet: patet enim per se, id esse absurdū. Quare tametsi nōnulli dicant de nobis, quòd putemus per malorū admissionē nobis obtingere bona, inuitabile iudicium habebunt, quòd tali ac tanta nos calumniā carpunt. Et uideas sapientiā. Augere siquidē cupiens absurditatem, neque hæc dubitantes qui id dicant in medium affert, sed quosdam alios, ac maledicentiam

hoc ipsum uocat. Quemadmodum enim, inquit, maledictis laceßimur. Si ergo qui hæc contra nos loquuntur ineuitabilem pœnam luent, longè magis quando quidem ne cogitare quidem, uel mente concipere id ausi fuerimus, quòd in agendis malis adueniant bona. Quòd si nequaquam hoc, neque quòd plus peccare oporteat, quòd deus plus glorificetur. Si uerò neque hoc, patet quòd neque dicere, quòd per meum mendacium Deus uerax putetur. Nec igitur autor causæ Deo es, uel ueritatis ipsius, uel iustitiæ, uel uictoriæ.

b ¶ Num iniustus Deus.) Si igitur ex nostra iniustitia magis ostenditur ueritas & iustitia Dei: & quia neque nostra iniustitia prohibuit eum quin iusta faceret, hoc est, ad finem deduceret quæ promiserat Abraham: & non aliter uisus esset Deus iustus & uerus, nisi nos fuisset in iusti: si hoc est, ergo iniuste nos punit, qui autores illi facti sumus ueritatis. Sin uerò non iniuste punit, non igitur nos illi causa sumus ueritatis.

c ¶ Secundum hominem loquor.) Nam quoniam humanis rationibus usus fuerat ad demonstrandum Deum non esse iniustum, infert: Secundum hominem loquor, inquit, rationes has: quippe cum etiam alie complures sint diuinae rationes. ac si diceret: iuxta humanam rationem loquemur, iniustus ne est Deus? Absit. At qua ratione infert iram? Nimirum quia nequaquam nos illi causa sumus iustitiæ, seu ueritatis, sed ipse sibi. d ¶ Alio qui quomodo.) Si iniustus, inquit, esset, mundum utique non iudicaret: ipsum enim iudicare indicat, quòd
iustus

iustus est. Hæc enim natura est iudicandi, quòd iustus iudicet iniustos. e ¶ Etenim si ueritas.) Idem rursum dicit: Si enim propterea, inquit, exundauit ueritas, iustitia, & uictoria Dei, quòd ego iniquè egi, eumq; negaui, irrationabiliter iudicor: decebat enim me retributione dignum existimari, uti causam ei autoremq; uictoriæ & ueritatis. Cæterum non sum ego causa, igitur & iudicor. f ¶ In gloriam ipsius.) Vt per uictoriam, iustitiam, & ueritatē glorificetur. g ¶ Cur ego adhuc.) Quid iudicamur, inquit, ceu peccatores, qui autores sumus uictoriæ Deo? Et nō fit sicut quidam nos dicere arbitrantur, igitur & reprehendunt, quòd faciamus malum, ut ex hoc Deus obtenta uictoria beneficijs nos prosequatur, utpote autores illi, per ea quæ malè gessimus, uictoriæ factos.

A L I T E R: Et illud, inquit, absit, nulloq; modo fiat, quod dicere existimamur, quòd propter iniustitiam nostram nobis benefaciat Deus, ueluti ei uictoriæ autores. Illud porrò absit: quid illud? ut ueniant bona, beneficiaq; à Deo conferantur nobis, quasi uictoriæ illi autoribus. Nunc enim iam, inquit, contrariū fit, quandoquidem punimur. h ¶ Quorum damnatio.) Audierunt Græci Christianos dicentes: Vbi exuberauit peccatū, superexuberauit gratia. Et hæc ipsi quidem dicebant, quòd mundus plenus peccatorum, ipsum Dei filium traxit ad salutem: & ex hoc abundauit in nos gratia. Ipsi uerò quod dicebatur calumniantes, Christianos dicere affirmabant, Peccare

oportet, quò gratia exundet. Quorū, inquit, uidelicet ita carpentium calumniantiumq; nos, condemnatio iusta est: quoniam bene dicta, malè peruerseq; interpretantes, calumniantur.

Psal. 13. Quid^a igitur? præcellimus? nulla ratione. Iam^b antea enim criminati sumus & ^c Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, quæadmodum scriptū est: Non est iustus, ne unusquidē: nō est qui intelligat, nō est qui exquirat Deū. ^d Omnes declinauerunt, ^e simul inutiles facti sunt, nō est qui faciat bonitatē, non est usq; ad unū. ^f Sepulchrū apertū guttur eorum, linguis suis dolose agebāt, uenenū āspidum sub labijs eorum. Quorū os execratione & amarulentia refertū est, ueloces pedes ipsorū ad effundēdā sanguinē. ^g Cōtritio & calamitas in uijs ipsorū, & ^h uiam pacis nō cognouerūt. Non est timor Dei coram oculis eorum.

^a ¶ Quid igitur.) Quid igitur? Per legē, inquit, & circumcisiōnē nihil plus cæteris obtinemus, in ijs que obtinemus? Quid igitur cæteris obtinuimus excellentius? Iam antea enim causati sumus & Iudæos & Græcos, & quæ deinceps sequūtur, per defectū dicta sunt. Ei enim quod dixit, Quid igitur cæteris excellentius affecuti sumus? cōsequens erat inferre, Iustitiam que ex fide: quod deinceps in sequentibus dicit, Iustitiam Dei per fidē IESV CHRISTI. Quid igitur, inquit, nos præcellens tenemus? Iustitiā fidei. Antea siquidem causati fuimus & Iudæos & Græcos. Ecquī antea cau
satus

satus est: Dum Grecos coarguit, quòd naturalē corru-
perint cognitionē, cūm inquit: Deus enim illis pate-
cit. & Cum cognouissent Deū, nō ut Deum glorifica-
uerunt, aut gratias ei egerūt. Iudæos autē reprehen-
dit, quòd legem transgressi sint, cūm ait: Qui in lege
gloriaris, per transgressionē legis Deū cōtumelia af-
ficis. Porro simulac ostendisset, quòd apud alios natu-
ra quidē, apud alios uerò et natura elāguisset et lex,
cōsequenter Euāgelij gratiā introduxit, & ait: Quid
habemus eximiū nos, aut excellens ex gratia? Fidem
quæ per IESVM CHRISTVM effectrix efficacq;
est iustitiæ. ALITER: Locus hic bifariā legi potest, ac
duos etiā sensus habere. Alterū quidem, qui ueluti à
Iudæis obtendatur: alterū uerò, qui quasi à fidelibus
incircuncisis producat. Nam si quidem legerimus:
Quid igitur præcellimus? simul cōiungentes interro-
gatiuæ particule illud, præcellimus, perinde ac de-
claretur ab Iudæis prolatū, et tūc talē haberet intelli-
gentiā: Quid igitur, inquā, præcellimus? quid due lucra
bimur incircūcisis prælati? Ad quos illud respōdetur:
Nulla ratione, id est, nulla ratione id uobis in lucrū ce-
dit. Cū enim ea quæ uobis credita fuerant & cōmissa,
nō seruaueritis, nec prerogatiua ulla uobis, nec lucrū
apportabūt: imò uerò grauius supplicium. Sic profelō
sefe habet, si per consequentiā illud, quid igit, quisq;
legat. At si distinctè ambas dictiones interrogatiuas
fecerit, tum, quid igitur? tum, præcellimus? & à fi-
delibus præputiū habentib. dubitabitur. Ex quo enim

iam dixerat, quòd multa fuerit excellentia Iudæi, infert qui habet præputiū, dubitans, & dicens: Quid igitur? præiudicati fuerāt illi, & ante nos acceperūt, nos priori loco assumpti, præcellimus? Vbi iustitia Dei? Ad quos diuus Paulus inquit, Absit: nulla enim ratione, inquit, rerum quidem non bene gestarum rei sunt: sicut & nos, qui non bene res gessimus. Quòd si ab utrisq; res bene gestæ fuerint, æqua erit salus. Igitur non præcellitis. ALITER: Repugnare quòd dixit, præcellimus, & quæ sequuntur, illi uidetur quòd dictum fuerat, quòd multa per omnē modum Iudæi sit excellentia, & circumcisionis utilitas. Afferit enim ibi, præferri quidem Iudæos, superioresq; esse incircumcisis: hinc uerò, nulla in re præstare. Nonne hæc repugnant? Nam ibi quidem superiores esse ex humanitate ac ueritate Dei affirmat, quòd oracula illis crediderit, quòd pollicitationes adimpleuerit, ab incredulis non prohibitus: hinc autē ipsas per sese personas comparat incircumcisorū, circumcisorumq;: eosq; dicit nulla in re alteris alteros præferri. Nam & hi, si strenuè uirtutem operarentur, æqualis essent ordinis, æqualiter etiam reportarent mercedem: hi autē rursus si transgrediantur, licet incircumcisi uel circumcisi sint, eandem prorsus sibi ipsis attrahent ultionem. Igitur non repugnat illud, nihil præcellimus, illi, Multa est Iudæi excellentia, & circūcisionis utilitas. Alio siquidem modo ibi dictum est, atq; alio nunc comparatio hæc accipitur. **b** (Nam antea.)

Cum

Cum supra dixisset quanam sit Iudæi præstantia, do-
 cuissetq; nonnihil habere plus excellentiæ Iudæi, ob-
 traditam sibi legem: nunc ostendit in nullo præstare,
 ut qui legem ipsam non seruauerit, nedum quòd in-
 feriores etiam sint, quantò etiam grauius est cum co-
 gnitione peccare. Quid igitur? habemus ne, inquit,
 nos Iudæi in quo præcellamus? Nihil sanè. Quamob-
 rem? quoniam omnes tam Iudæi, quàm Græci, pecca-
 to obnoxij sumus. c ¶ (Et Iudæos.) Nihil igitur
 Iudæo præstantiæ ex lege accedit: non enim eam ser-
 uauit: nec præputium habenti, nam & is peccauit:
 neuter igitur altero est melior: omnes enim causati
 sumus, id est, redarguimus peccato esse obnoxios.
 Deinde ne uideatur illis insensus, Dauid & Esaiam
 testes adducit. d ¶ (Omnes declinauerunt.) In
 præputio uidelicet. e ¶ (Simul inutiles.) Simul à
 Deo declinando inutiles & abiecti effecti sunt.
 f ¶ (Sepulchrū.) Hæc obtrectatoribus maxime cõ-
 gruunt. g ¶ (Contritio.) Viam, conuersationem
 dicit ac uitam: contritionem uerò & calamitatē, pec-
 cata. Nihil enim adeò atterit & extenuat tum ani-
 mum, tum corpus, ut peccatum. h ¶ (Et uiam pa-
 cis.) Frugem dicit uitam.

Nouimus^a autem, quòd quæcunq; lex di-
 cit, ihs^b qui in lege sunt, dicat: ut^c omne os ob-
 turetur, &^d subditus fiat uniuersus mundus
 Deo, propterea quòd^e ex operibus legis non
 iustificabitur^f omnis caro coram ipso.

a ¶ Nouimus autē.) Vt ne dicant Iudæi: Ecquid hæc ad nos? Non enim de nobis dicta sunt. Profectò, inquit, maxime ad uos ista attinet. Omnes enim id nouimus, quòd quæcunq; lex loquitur (legem autē nominat uniuersam ueterem Scripturam) ijs loquatur duntaxat qui in lege sunt. Quæ enim necessitas erat, inquit, Dauid alios, & non proprios accusare, atq; alienos redarguere Esaiam, qui ad correctionē missus fuerat Iudæorū? b ¶ Iis qui in lege.) Multa cum diligentia & hoc posuit. Non enim dixit, De ijs, sed, iis qui sunt in lege. Multa siquidem de Babilonijs, Persis, Medis, & Aegyptijs loquitur, & de alijs compluribus Gentibus, Iudæis attamen uerticinia de ijs etiam proferebant uates qui erant in lege, hoc est, sub lege. e ¶ Vt omne os.) Tale quiddam subobscurè indicat. Hanc ob causam Propheta, inquit, redarguerūt Iudæos, planumq; fecerunt eos frustra de se magnificè prædicare: quinimò totum mundum peccatis obnoxii fecerūt, ut fidei iter præstruerent. Etenim cognoscentes mortales, quòd neq; per legem & circumcisionē, neq; per præputiū seruari liceat, facillè CHRISTO accesserunt, quippe qui gratia duntaxat sua genus hominum seruat. ALITER: Grādiloquos ac superbos Iudæos cōmonstrat. Propterea igitur arguebantur à Prophetis, quòd fastuosa loquentiū obstruerentur ora. d ¶ Et subditus fiat.) Debitor ad credendum CHRISTO Deo. Si enim ijs qui sub lege erant, dictū à Prophetis suis fuerat,

fuerat, quòd non rectè ambularent, imò longè à recto itinere bene uiuendi aberrarent: Gentes autem multò magis in perditione, & errore uersari: patet quòd mundus uniuersus obnoxius & debitor sit credendi CHRISTO Deo, qui & Iudæos & Græcos à lege liberare potest, necnon mundū uniuersum per suam ipsius gratiam à peccatis eorū, & à longa illa ipsorum impostura & perditione. Ac deinde ueluti obiectionem soluit. Vt enim ne quis dicat: Quid igitur? lex nullam attulit commoditatem? illud addit, Propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Ac si dixerit: Profuisset lex forsitan, si ij qui acceperant, præcepta eius atq; mandata seruassent: ex quo uerò non seruauerunt, ex ipso casu plurimum quoq; obsuit, non ex sui natura, uerum ex eorum qui minimè seruauerunt, consilio & uoluntate. e ¶ Ex operibus legis.) Deinde ne rursus indignarentur, egregèq; ferrèt Iudæi, quòd cætero uniuerso mūdo cõnumerentur, ad hoc ut subditi sint, denuò quæ cõtra ipsos sunt explorat. f ¶ Omnis caro.) Neq; enim quæ sunt in lege compleuit.

^a Per legem enim agnitio peccati. Nunc^b autem absq; lege ^c iustitia Dei^d manifestata est, cui testimoniū perhibetur à lege & Prophetis. ^e Iustitia uerò Dei per fidem IESV CHRISTI in^f omnes, & super omnes credentes. ^g Non enim est distinctio. ^h Omnes enim peccauerūt, & ⁱ destituuntur gloria Dei, iustificantur autē

gratuito ipsius gratia, per ^k redemptionē quæ est in Christo Iesu, ^lquem proposuit Deus propitiatoriu per fidem, in ^msanguine suo, ad ⁿostensionem iustitiæ suæ, per ^oremissionē peccatorum præteritorū, quæ Deus tolerauit, ad demonstrationē iustitiæ suæ in ^q præsentem tempore, in hoc, ut sit ipse iustus, & ^riustificās eum qui est ex fide Iesu.

a ¶ (Per legem.) Ecquid dico, quòd uos Iudæi nihil cōmoditatis ex lege accipiatis, ad hoc ut non cum uniuerso mundo rei efficiamini? Imò si quis ritè exploret, inueniet à lege detrimento uos affici, haud natura ipsius, sed malitia uestra. Quonam pacto? quia peccati notitiam per legem habetis. In cognitione uero peccare, longè grauius est, quàm per ignorantia. GENNADII: Ad hoc nobis, inquit, lex profuit: patet nobis peccatū, non solum perperationē absurdorum prohibendo, uerum etiam à non obtemperantibus sibi poenam exigendo. Nisi enim peccatoribus poenas ipsa inferret, neutiquā peccati habuissemus notitiam. Ac per omnia hæc, omnes penitus peccato obnoxios faciens, infert quod deinde sequitur, ut uerbi sui ac prædicationis indicet excellentiam.

b ¶ (Nunc autē.) Cū monstrasset eos ex lege nihil adiutos, atq; ad desiderium eos uia, quæ salutem illis conferre posset, perduxisset, opportunè ad fidem CHRISTI pergit. c ¶ (Iustitia Dei.) Si enim cum lege, inquit, peccauimus, quomodo seruari poterimus

mus (dicet quispiam) absq; lege? Profectò ex Dei, inquit, iustitia, quæ à Deo donatur. Vbi uerò Deus e-
largitur, ne ambigas homo. VEL, iustitia Dei hæc
est, iustificatio ex Deo, absolutio, ac liberatio à pecca-
tis, à quibus lex ipsa absolueri non præualuit.

d ¶ Manifestata est.) Quod manifestatur, patet
quòd erat quidem, sed occultabatur. Porro nouitatis
notam fugiens, & ne prædicatio nouũ quiddam re-
cens ue uideretur, dixit, Manifestata est: neq; id sim-
pliciter, sed iamolim testimonio roborata fuit per
Mosen (is enim lex est) & Prophetas. e ¶ Iustitia
uerò Dei.) Qualis autẽ iustitia est (dicat aliquis)
quòue modo à Deo est tradita? Per fidem nimirũ IE-
SV CHRISTI. At ne nouum quippiam sese audire
arbitrarentur, si omnino eos seruari liceat citra ullã
ipsorũ cooperationem: demonstrat, quòd ipsa quoq;
credulitas, cooperatio sit, & cõtributio. Animi nanq;
fortitudine opus est ad credendum: idcirco ait, per fi-
dem, innuens per eam nos etiam cõtribuere quippiã.

f ¶ In omnes.) GENNADII: In omnes, nimirũ
Iudæos, ut qui ex genere suo, ex seq; ipsis habuerint
salutis autorem, CHRISTVM uidelicet. Super om-
nes uerò, Gentes dicit, ceu ab Iudæis fidelibus super
eos quoq; gratia transfusa sit. Sed & hos & illos gra-
tiæ fore participes dixit, non tamen simpliciter, uerũ
credentes: & quia non iniuria sit gratia omnibus cõ-
munis. g ¶ Nõ enim distinctio.) Rursum osten-
dit, nulla in re Iudæos præcellere Gentes. h ¶ Om-

nes enim peccauerunt.) Ne mihi dicas, inquit, Equidem Iudæus sum, iam olim Deum noui: hic uerò hospes ac Barbarus est. Nimirum si omnino omnes peccauerunt, æquè etiam seruandi sunt. Non enim est distinctio, hoc est, separatio inter Iudæum atq; Gentilem: æqualiter ambo sese immiscuere peccatis. i ¶ (Et destituuntur gloria Dei.) Ne enim mihi dixeris, ait, Græcos magis peccasse, nonne tu post tergum es gloriæ ac beneficentiæ Dei, & gratuitò, id est, absque tuis operibus seruaris? Et rursum, quòd nihil aliud præter fidem contribuitur, & quòd qui seruatur, gratis seruetur, & quòd à tergo deuenimus omnes gloriæ ac beneficentiæ Dei. ALITER: Destituuntur gloria Dei, post tergum euaserunt, neq; ad istud deueniunt, ut Deum glorificarent: exciderunt omnes à debito eum honore prosequendo. Iudæi quidem transgressores effecti mandatorum quæ per legem illis data fuerant: Gentiles uerò idolis obsecutæ. Quare omnes, postquam in CHRISTVM crediderunt, gratis iustificantur, sola fide contributa, & ex parte sui collata. Ceteri quonam pacto iustificamur? Quòd à nostris peccatis redimimur. Per quem autem redimimur? Per IESVM CHRISTVM. Ecquonam modo redimente illo? Suo ipsius sanguine. VEL sic: Deus fideles glorificat: etenim adoptione dignos reddit, regniq; sui declarat hæredes: cuius uidelicet regno, quoniam longè aberraueramus, omnes pari modo desti

destituimur atque priuamur : idcirco gratis nos his
 dignos reddit. *k* ¶ Per redemptionem.) Quo-
 modo iustificatio fit? Per remissionem, inquit, pecca-
 torū, quam in CHRISTO IESV consequimur, hoc
 est, per Christum IESVM. *i* ¶ Quem proposuit.
 Beneuolentia siquidem patris propitiatio factus est
 filius nostrorum facinorū. Porro propitiatorū apud
 ueteres dicebatur operimentū ipsius arcæ foederis:
 ita quoq; domini caro circumamiciens ipsius diuini-
 tatem, propitiatorium facta est nostrorum peccato-
 rum. Quod uerò ait, proposuit, denunciat ueterem
 eternamq; Dei hac de re uoluntatem atque consi-
 lium. *m* ¶ In sanguine suo.) Pater quidem pro-
 posuit ac decreuit, filius autem sanguinem effudit
 pro nobis. Communis itaque gratia est sanctæ Tri-
 nitatis : nam & spiritus sanctus cooperatus est.
n ¶ Ad ostensionem iustitiæ suæ.) Quemad-
 modum ostensio, id est, demonstratio diuitis est,
 quando & alios locupletat : ita quoque CHRIS-
 TVS demonstrare uolens iustitiam suam, etiam
 mortales iustificauit. *o* ¶ Per remissionē pecca-
 torum.) Demonstratio uerò iustitiæ Dei in hoc ma-
 ximè consistit, quòd remissos, id est, penè mortuos in
 peccatis iustificauit homines. Deinde hominū accusa-
 tionem intendit, dum illorū peccata in tolerantia Dei
 sunt. Cùm enim, ait, datis inducijs respiscere oport-
 tebat, tum magis peccauimus. Qui ergo grauiter a-
 deò peccaueramus, ut uel indigni uenia essemus,

nunc per fidem seruat. PHOTII: Relaxati eramus peccatis, ac penè dissoluti: deinde cùm decens esset ut resolutionis huius pœnas exposceret, inducias humanitatẽque affecuti sumus. Verũ etiam inducias nacti, quum opus esset ut resipisceremus, & edilueremus quæ patrauimus, iisdem ipsis adhuc inuoluimur. Quid igitur oportet ut tunc iudex ille, et si mirum in modum humanus, peragat? Omnino ut puniat, & pœnas exposcat, tum pro ijs quæ ab initio peccata patrauimus, tum pro eo quod inducias nacti non resipuimus, tum etiam quod non modo non resipuimus, imò etiam malitiam auximus. Is poro quid facit? tunc se ipsum redemptionem pro nobis tradidit, nec modò à pœna eximit, uerũ iustificat etiam salutemq; donat, nec non sui ipsius regni hæredes constituit. Reuera gratia hæc mensuram omnẽ excedit. Istuc omnino donum est, quod uniuersi doni uim sperat. Id nimirum demonstratio ineffabilis illius iustitiæ reuera est, iustitiæ inquam nõ humanæ, sed diuinæ, & supra hominem. Quare & ipse cùm dixisset, in demonstrationẽ iustitiæ, nõ simpliciter, sed ipsius, inquit, hoc est, ad ipsum solũ modo talis acta iustitia spectat. Enim uero quando punire, ac supplicij addicere oportebat, tunc beneficijs dignos exit atq; muneribus. ¶ Ad demonstrationẽ iustitiæ.) OECVMENII: Mortuum nanq; peccatis tunc seruari, quando tempus supplicij instat, & non iustificationis, id profectò iustitiæ ac benefici

tie ipsius cōmonstratio est. Oportebat enim ad Abraham factas promissiones impleri: In semine tuo benedicetur omnes gentes. Ea igitur iustitia est, quòd Deus promissionis tenax, super indignos quoq; eam serua rit. ¶ In presenti tempore.) PHOTII: Cum, ad demonstrationē iustitiæ suæ, dixisset, adiūxit, in presenti tempore. Iustitia siquidē Dei in presenti tempore, in quo uidelicet nostrā redemptionē operatus est, plena fuit humanitatis, doni, & gratiæ. Idcirco dicebat: Non ueni ad iudicandum mundum, sed ut salutē assequatur mundus. Ceterū futura iustitia haud iam similiter, sed retributio cuique est iuxta ea quæ uiuendo gesserit, ut hīc quoq; iterū inquit: Reuelatur enim ira Dei &c. Seu ita accipiendum: Demonstratio in presenti tempore facta est, tolerantia ipsius, & domum, & gratia futuræ iustitiæ. Quæ ratione, & quo modo? Enimvero si postq̃ tanta patientia usus fuit, tantam donauit gratiā, tanto eos dignatus munere fuit, non conuertit, nec meliores inuenit, multa profectò cum iustitia pœnas inde exiget.

¶ (Et iustificans.) En tibi iustitiæ demonstratio: quòd nō solū ipse Deus iustus sit, uerum etiam iustificet ipsum populum, qui per fidem IESU, suus peculiaris effectus est.

Vbi igitur gloriatio:^b exclusa est. Per quā legem:^c operū: Non, sed per legē fidei.^d Arbitramur igitur iustificari hominē, sine operibus legis.^e Aut, Iudæorū ne Deus tantū: an non &

Gentiū? Profectò & Gentium: quãdoquidem idem est Deus, ^f qui iustificabit circuncisionē ex fide, & præputiū per fidem, ^g Legē igitur abrogamus per fidē: Absit, imò ^h legē statuimus.

a ¶ Vbi igitur gloriatio? Cū hæc ita sese habeant, Paterq; cum seruet populum qui ex fide in CHRISTVM proprius factus est, ubi nam in posterum gloriatio Iudæorū? Ostēdit eos frustra gloriari.

b ¶ Exclusa est.) Nō ait, obscurata est, sed, exclusa est: cōmonstrans quandoq; fuisse, quando etiam locum habuerit gloriatio, iam nunc uerò fides eam exclusit. c ¶ Operum.) Legē operū, opera ipsa per circumlocutionē dixit: atq; eodem modo, legem fidē, fidē ipsam. Ait itaq;: Neutiquā per opera que peregerimus nos, Iudæorū exclusa gloriatio est, sed enim per fidē. Ac si dixisset: Omnis ista gloriatio, ^e que uisa est dignitas, primatúsue uester, per fidem exclusa sunt, cum operibus nō indiguerimus. d ¶ Arbitramur igitur.) Dicimus itaq; ait, ex fide iustificari hominē absq; legis obseruationib.

e ¶ Aut Iudæorum.) Nam si eos duntaxat qui ex lege proficiuntur, aut legi adherent, iustificaret, nec omnē hominem credentē, unius modò partis studiosus esset, ^a Iudæorū Deus. Sed ecce tam Iudæorū quàm Gentium Deus est, quia utrosq; modò crediderint, seruat.

f ¶ Qui iustificabit.) Cū qui sunt ex lege, tum qui extra legem, fide indigent ut seruentur. g ¶ Legem igitur.) Tumultuabatur Iudæi, perinde quasi

lex per fidē è medio tolleretur. Ait itaq; quòd nō solum nō destruat legē fides, sed potius cōstituat. Ecqua nam ratione? quia lex salutē impertiri uolens, nō potest hoc prestare: fides uerò seruat. Cùm itaq; scopū legis fides expleat, statuit profectò legem. h (Imò leg. stat.) Dicens, statuiimus, uacillantem ostendit. IO ANNIS: Hoc est quod operari et efficere debebat lex, iustū hominē reddere, sed nequiuuit: omnes enim, inquit, peccauerūt: fides autē superueniens, id ipsum strenuē fecit: simul enim quispiam & credidit, & iustificatus est. Legis itaq; uoluntatem statuit. THEODORETI: Antea lex & Prophetæ de ipsa fide uaticinati sunt: fidē igitur amplectentes, legem stabilimus.

CAPVT IIII.

Quid igitur dicemus Abrahā patrē nostrū inuenisse^b secundū carnē? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriatiōē, sed nō apud Deum. ^dQuid enim Scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

a (Quid igitur.) Mirū de Abrahā in modū intumescebāt Iudæi, ac semper, quòd ipse circumcisus fuerit, in mediū proferebāt. Intētiō itaq; ac scopus ei est, demonstrare quòd Abrahā etiā ipse nō ex operibus legis, sed ex fide iustificatus fuerit, aitq;: Quid igitur dicemus Abrahā, qui secundū carnē pater est noster, inuenisse? aut qualem ipsum iustitiam affecutū? operum ne, an fidei? Ostendit autem, quòd per fidem sit

nactus iustitiam. Vnde & inuentionem ipsam appellat, quoniam nō ex operibus ipsam, sed ex fide possedit, quæ per gratiam Dei præstatur. GENNADI: Per hyperbaton est sententia hæc ita posita: Quid dicemus Abraham, secundum carnem patrem nostrum, inuenisse? Redeamus, inquit, ad principem generis nostri secundum carnem Abraham, quem ex omnibus gentibus Deus eligens, benedixit illi, posterisq; eius per ipsum benedictionem sese transmissurum pollicitus est, ut sicut serres Abrahæ haberent, ita & nostre habituræ essent. PHOTII: Quod ait, Secundum carnem, cum hyperbato positum est. Est autem simplex naturalisq; sermonis huius citra omnem figuram interpretatio huiuscemodi. Quid igitur dicemus Abraham inuenisse, qui secundum carnem pater noster est? Porro ad Iudæos hic respicit sermo, quasi dicat, Quoniam, inquit, totus uester uerborum fastus, & gloria, est in Abraham patre uestro secundum carnem, consideremus quidnam inuenisse eum dicere ualeamus. Et ipse in sequentibus ait, quod etiam ipsam inuenerit iustitiam: hoc est enim. Reputatum est illi ad iustitiam: id est, iustificatus fuit. Nam iustitiam inuenire, iustificari est. Inuenit igitur iustitiam: quomodo autem inuenit? ex operibus, an ex fide? Et ostendit quod ex fide, testem illi Scripturam adducens: Credidit enim, inquit, Abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam. Quid igitur, inquit? nō habebat opera Abrahæ? nō iustificabant eum hæc? Absit. Nam
 opera

opera quidē habebat, ita ut si hominibus, quibus cum uersabatur, cōparetur, & iustificatus sit, & praeiudicatus illis. Ceterū quòd apud Deū ex operibus suis iustificatus sit, ita ut dignū atq; equalē sese exhibuerit gratiæ ac doni quod praebebatur, omnino exploratum est. Nihil itaque gloriationis omnino habuit, id est, prerogatiuæ, rectiue operis apud Deum, ad hoc ut dignus fieret beneficentia Dei ac munere. Quid enim possit quisquam uel ipsis operibus dignū ostendere, hoc scilicet, ut post talem ac tam mortuā naturā filij pater cerneretur, & fructus germenq; uētris produceret, & multiplicaretur semen illius sicut arena maris: hoc est, ut benediceretur Gentibus in semine eius, & hoc ut ipse Christus inde omnium seruator procederet? Cernis quòd nihil omnino habeat, ne uestigiū quidem operū, ad tantas Dei promissiones? Vnde igitur ijs dignus factus est? Ex sola fide. Credidit enim Abraham Deo, ait Scriptura, & reputatū est ei ad iustitiam. Credidit, & iustificatus est à Deo, ut talia ac tanta assequeretur. O fidem, quæ actionē uniuersam in lege contentā, secūdo loco esse facit. Illam perficiens Abraham, nō nihil obtinuit gloriationis: ceterū erga eos, qui sub lege unā cum eo recensentur: fidem uerò adhibens, repente pater effectus est omnium, dignusq; habitus qui mille illis bonis frueretur. Quasi uerò loco corollarij solutio quoq; ex dictis sumpta est, quomodo hīc quidē Apostolus ex fide assueuerat iustificatū fuisse Abrahā, diuus uerò Iacobus ex operibus: dicēs,

Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus fuit, oblato Isaac filio suo? & quæ sequuntur.

b ¶ (Secundum carnem.) Secundum carnem, pulchre ad Iudæos refertur: secundum fidem namque & promissionem, fideles nos filij sumus Abrahamæ, ut ipsa Scriptura dicit: Non filij carnis, ij sunt filij Dei, sed filij promissionis reputantur in semen Abrahamæ. THEO

DORETI: Qualem, inquit, antequam crederet Abraham Deo, ipsius audiimus iustitiam ex operibus præcessisse? Secundum carnem quippe eam dicit quæ in operibus: quandoquidem per carnem perficimus opera.

c ¶ (Si enim Abraham.) Duo indicat, & quod Abraham ex fide iustificatus sit, & quod iustitia, quæ est per fidem, sit maior. Ait itaque: Si ex operibus & virtutibus suis Abraham iustificatus est, habet quidem gloriationem, sed non apud Deum, verum apud semetipsum, eo quod strenue, & cum uirtute se gesserit. Qui uero ex fide seruatus est, postquam non habet unde apud se gloriatur (nullum enim opus operatus est) coram Deo gloriatur. Maius porro est apud Deum gloriari, quam apud semetipsum. Egregiatim facinora sæpenumero alijs obscurantur delicta gloriatio uero, quæ est in Deum, inuariabilis perueniat. **d** ¶ (Quid enim scriptura.) Testem adducit Genesim, quod Abraham ex fide iustificatus sit.

² Operanti autem merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: non operanti uero, sed credenti in eum qui iustitiam

cat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.
 a Quomodo & David beatitudinem hominis esse dicit, cui Deus imputat iustitiam sine operibus. b Beati quorū dimissā sunt iniquitates, & quorū obiecta sunt peccata. Beatus uir cui nō imputauerit dominus peccatū.
 f Beatitudo igitur hæc ad circuncisionem tantum, an etiam ad præputium deuenit? g Dicimus enim, quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo imputata fuit? cū esset in circuncisione, an cū in præputio? h Non in circuncisione, sed in præputio.

Psal. 31.

a ¶ Operanti autem.) Maiorē secundū gratiā iustitiam esse monstrat, quam fides præstat, hoc pacto. Strenuē operanti merces secundū debitum debetur. Quid inquam? Potest ne uel is, qui etiam insigni uirtute præditus sit, bene agere, ac Deum etiam habere debitorem? Enim uero qui ex fide iustificatur, secundū gratiā iustificatur. Vbi uerò Deus donat, magna omnino donat. Ecquid uerò donat? Filiorum adoptionē elargitur, fratres efficit CHRISTI, hæredes Dei, cohæredes autē CHRISTI. Hæc ne egregia unq̄ nostra nobis præstitissent facinora? PHOTII, atq; in hūc modū. Ei uerò qui fiduciā nullam de suis habet operibus, sed per fidem accedit, hæc ipsa met fides imputatur ad iustitiam, ac per eam iustificatur.
 b ¶ Non operanti uerò.) Neq; existimes fidē cuiquam facile dari, sed enim uirili, forti, & excitato animo opus est. c ¶ Reputatur fides eius ad iustitiā.

Vides quòd operanti merces secundū opera imputatur, credenti autē iustitia? Innumeras autē mercedes iustitia cōtinet. d ¶ Quemadmodū & David.) David quoq; iustitię fidei sanctificationē citra opera tribuit. e ¶ Beati quorum.) Beatitudo bonorū cōryphæa est. Videtur quidē quoquo modo alienū esse testimoniū. Non enim habet, Beatus cui fides ad iustitiam sine operibus imputatur: uerūtamen ualde fidei mutuò correspondent. Si enim beatus is est cui peccata per gratiā sunt dimissa, ter ille beatus quem Deus per gratiā iustificauit. Idcirco concinnū est ualde, cōmodumq; Psalmi oraculū. Etenim iustificatio omni Deo est, et uel ex dimissione iniquitatū ac peccatorum prouenit, uel obtectione: quasi per recta quædam facinora expugnentur, & absorbeantur: seu ob id, quod Deus facinus nō imputet ad peccatū. Ac tribus his beneuolis modis imputat Deus iustitiā homini, ut cōpitiens, ut dispensans, ut beneuolēs. Dimissio etenim a compassionē, obtectio ad dispensationē, nō imputatur ad beneuolentiā pertinet. Qui uerò ijs digni redduntur? Profectō fideles, idq; per fidē. Ideoq; beatos predicat hos etiā Propheta David. Eos autē qui in lege & ex operibus iustificari querūt, nulla triū harū iustificatio sequitur. Iis autē qui ex fide, tribus his modis iustitia imputatur. Prolatū igitur Davidicū testimoniū diuus Paulus suę ipsius aptauit doctrinę GREGORII Theologi: Remisse sunt, ad baptismum refertur: cōtecta uerò, ad pœnitentiā. Quod ad iustitiam

Non imputauerit, est interpretatio uerbi, cōrecta sunt. Vera namq; & recta pœnitentia tegit peccata, ut apud Deū nō imputētur. f ¶ Beatitudo igitur hæc.) Deinde, Beatitudo, inquit, à Dauid dicta, ad circūcisionem ne uenit, an etiā ad præputiū? Magis autē ostendit ad præputiū ipsam uenire, locūq; habere, propterea quòd Abrahā in præputio existens, & seruatus & iustificatus sit. g ¶ Dicimus enim.) Cōfirmat deinde, in præputio magis habere locū beatitudinē: Abrahæ, inquiens, iustitia per fidē imputata est. Videamus itaq; in circūcisione ne an in præputio existenti Abrahæ, huiusmodi fides imputata sit. Planū fit autē, quòd in præputio. Cernis igitur, quòd in præputio magis locū habeat beatitudo hæc? h ¶ Non in circūcisione.) Si ergo in præputio cūm esset, iustificatus est: magis ergo à Dauid dicta beatitudo locum in præputio habet, q̄ in circūcisione. Circūcisio tribus his de causis data fuit. Primū, ut esset signū fidei: deinde, ut esset indicium generis Abrahæ: tertio, in symbolum & argumentū puræ ac sobriæ illius uitæ. Proinde nō est data ut iustitiæ effectrix, sed ut sigillū ac signum iustitiæ illius esset, quæ ex fide prouenit.

Et ² signum accepit circūcisionis, signaculum ^b iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ^c ut sit pater ^d omniū credētium ^e per præputium, ut ^f imputetur & ipsis iustitia. Et ⁸ pater circūcisionis, ijs ^h qui nō solūm ex circūcisione sunt, uerum etiā ⁱ ingredientib; ^k uestigia fidei, ^l quæ

fuit in præputio patris nostri Abrahamæ. Non enim per legem promissio Abrahamæ, aut semini eius, ut hæres esset mûdi, sed^o per iustitiã fidei. a ¶ Et signum accepit.) Obiectionẽ, quæ hic videbatur emerfura, diluit. Adeò, inquit, præclarã magnãq; res circumcisio fuit, ut sine hac nullo modo iustificari liceat, quòd & ipse Abraham, iuxta tuum sermonem, in præputio existens iustificatus, circumcisione indiguerit. Et ait: Nullam ob aliam rem circumcisus fuit, quàm ut pro signo ac demonstratione ipsam circumferret circumcisionẽ iustitiæ illius, quæ in præputio substitit ipsi Abrahamæ. Si uerò signorũ ac sigillatim accipit circumcisionẽ, nihil ipsi ad iustitiã profuit. Sed hac solummodo ratione iustificatũ esse significauit: hoc est, quòd cum in præputio esset adhuc, iustitia dignus habitus fuit. PHOTII: Quare, inquit, et illi ad iustitiam imputatum fuit, & sic postea circumcisus? Primũ quidem, ut quasi signum putaretur uirtutis circumcisio, & non ueluti ipsa per se uirtus seu rectum facinus. Signum enim, inquit, circumcisiõnis, sigillum est ac signaculum, non secus ac signũ attestatio iustitiæ illius, quæ in præputio per fidem fuerat. Secundò autem, ut cum in circumcisorum, et etiam circumcisorũ cõmunis & cognoscatur & declaratur pater: Incircuncisorũ quidem, quoniam in præputio & crediderit, & iustificatus fuerit: circumcisorum uerò, quoniam & ipse, post admissam fidem fuerit circumcisus. Omnium igitur iurẽ habeatur pater

cor.
cisi.
ne
gna
eru
nan
b ¶
sit p
hil e
supr
mun
rum
Nõ)
in c
præ
uide
PHO
(id e
ter il
sunt,
ST I
imita
qui)
dunt,
lũm.
tantũ
se in
fueri

eorū uidelicet qui fidem amplexi sunt, licet incircuncisi, licet fuerint circumcisi. At si fidem non habeant, neq; erga illum cognationem habent, quicunq; de cognatione illius sunt: nec igitur heredes promissionis erunt, quæ ad eum facta est. Cognatis enim (semini namq; eius) promissiones ac benedictiones sunt.

b ¶ Iustitiæ fidei.) Iustitiæ, quæ ex fide est. c ¶ Ut sit pater.) Ad quid uerò circumcissione indiguit, si nihil ei cōtulit ad iustitiā: Primū quidem, quemadmodū supra dixerat, ut esset hæc eadē signū. Deinde, ut cōmunis esset pater, tam eorū qui in circumcissione, q̄ eorum qui in præputio agerent. d ¶ Omnium cred.) Nō simpliciter qualitercūq; credentiū, sed credentiū in CHRISTVM. e ¶ Per præput.) Eorū qui in præputio sunt, et credūt. f ¶ Ut imput.) Per fidē uidelicet absq; operib; g ¶ Et pater circumcisio.) PHOTII: Haud simpliciter ait, circumcisorū pater (id enim præ se fert, quòd ait, circumcissionis) sed pater illorū circumcisorū, nō qui circumcisi tantūmodo sunt, uerū et qui iuxta uestigia eius fidem CHRISTI admiserunt. Illi porro iuxta uestigia, iuxtaq; imitationem Abrahæ credunt in CHRISTVM, qui sine ambiguitate ac pertinacia seu dubio accedunt, adherentq; CHRISTO. h ¶ Iis qui non solum.) Quemadmodū enim in præputio agentes, nō tantū ob id patrem habebunt Abraham, quòd ipse in præputio degens crediderit, nisi etiam fidem fuerint imitati: sic neque Iudæi in circumcissione

habebunt propter hoc solum, quod circumcissus fuerit
Abraham, nisi fidem ipsius quoque imitati fuerint.
Planum itaque est, quod Iudaei excident à cognatione
Abrahae, nisi crediderint. i ¶ Inredientibus,
In sententiam uenientibus, ac perseuerantibus.

k ¶ Vestigia fidei.) Imitationē, similitudinē. PH
T II: Vestigia dicuntur symbola, pedumq; eorum
agna, qui iam per uiam transierint. Ex quo igitur
posteriores erant, proprie atq; concinnè dixit, po
manentibus ac sequentibus uestigia, hoc est, gradie
tibus iuxta uestigia eius, & uia illius quae sine circu
sione. l ¶ Quae fuit in praeputio.) Rursus
minit, quod in praeputio credidit, & postea circum
sus sit. m ¶ Non enim per legem.) Mirificū
dam dicit. Aded, inquit, circumcisio absq; fide iusti
care non potest, neq; progenitorem tibi, o Iudaei
cit Abraham, quod ne ipsa quidem lex, ob quam
riaris, quicquā profuerit ad promissiones ipsi
hae, sed sola fides. Nam cum adhuc in praeputio
ret, necnō anteq̄ daretur lex, credenti iam promi
nes factae sunt. Si ergo lex ipsa ad promissiones
fecit, nullo modo etiā circumcisio ad iustitiā satis
n ¶ Ut haeres esset.) SEVERIANI: Haeredes
di iustos fore ideo adseuerat, quod impijs è medio
latis, supplicioq; traditis in die illa iudicij, uniuers
deinceps mundū possidebunt iusti innouati, ipsi
erunt tam coelestia quàm terrestria bona. o ¶ Sicut
per iust. fidei.) Per iustitiā nō quamlibet, sed
Si eni

^aSi enim qui ex lege, heredes sunt, inanis facta est fides, ^birritaq; facta est promissio. Lex em̄ irā operat̄. Siquidē ubi nō est lex, ibi neq; transgressio est. ^cIdcirco ex fide hæredes fiunt, ut secundū gratiā, ^dut firma sit promissio ^eomni semini: ^fnō illi quod ex lege solū esset, uerū & etiā quod ex fide Abrahæ esset, qui est pater omnium nostrū, sicut scriptū est: Quoniam patrem multarū gentiū posui te, ante^h conspectū Dei, cui credidit, ⁱqui uiuificat mortuos, & uocat^k ea quæ non sunt, tanquam sint.

Gen. 13. & 22

^a ¶ Si enim qui ex lege.) Qui enim legem, ceteram salutem conferentem seruat, is profectō salutem ex fide prouenientem contumelia afficit. Heredes autem, nimirum cælorum regni. PHOTII: Cum prius dixerit, ob id in præputio degentē Abrahā & credidisse, & iustificatū esse, quōd pater cōputaretur fidelium qui sunt in præputio: & hac rursus de causa circumcisum esse, ut eorū etiā qui in circumcisione degunt computaretur pater: inductionibus argumentisq; evidentissimis comprobans, quōd etiam magis fidelium in præputio existentium pater habeatur, quāto etiam ante circumcisionē, & ante legem ipsam, & antequam ipse amplexus sit circumcisionem, ipse quoq; credidit, fidesq; eius ad iustitiā reputata fuit: quibus dictis atq; probatis, alio etiam nunc iam modo id ipsum demonstrat, & ait: Supponatur, cōcedaturq; nō ita res sese habere, ut diximus: sed eos duntaxat qui ex lege sunt, esse hæredes promissionum, quæ ad

Abraham factæ fuerant: ergo inanis & uacua effecta est fides ipsi Abraham. Ipsi namq; & ante legem, & absq; lege credidit. Inanis igitur effecta est fides, hoc est, nihil omnino est: totumq; quod de ea est, apparuit & imaginariū: quinimò ipsæ etiā promissiones ritæ factæ sunt, hoc est, inutiles ac nullū sortitæ fructuaserunt. Si enim fides, per quam promissio ipsa effecta est, inanis euasit & irrita, dubio procul & promissiones, quæ per ipsam fidem stabiles ac firmæ factæ sunt. Quid igitur hi per legem hæreditario iure nacti sunt, si fides quidē inanis effecta sit, & promissio fidei colligata pariter collidatur? Cernis, quod dum dicūt ex lege obtingere hæreditatē, per idipsum probatur nullo pacto obuenire. Sic itaq; bifariā demonstrauit, beatitudinē magis congruere præputatione quod sit per fidē, q̄ circūcisioni: priorē quidē demonstrationē rectam producēs, & ex ijs quæ circa Abraham factæ fuerūt: alteram uerò eis assentiens, & ponens ea quæ ab aduersarijs dicerentur, probat absurdū ex eorū sequi suppositione, ponit & demonstrationē, ex ipsa lege sumptā, & ait: Lex innitimini, si non seruetur, iram operatur: hoc quidnā sequatur, tanq̄ manifestū omittit. Si ergo neglecta irā operatur, uos autē transgressi estis: modo promissionibus indigni estis, sed etiā poenitentis. Id enim uobis per omnia lex, qui præuaricati estis, minatur. Vnde igitur seruabimini? unde promissiones? Quoniā igitur & alia dicta sunt, &

stensum est, quòd nullo modo etiã per ipsam legẽ om-
 nino iustificari possit, restat confugiendũ esse ad gra-
 tiam, quæ per fidẽ est: per hãc enim promissiones ter-
 minũ nanciscuntur, & Abrahã omnium sit pater. Dã-
 dis igitur beatitudo cum sit cõmunis omnibus qui per
 fidem seruantur, nequaquã minus, imò etiam magis il-
 lis conuenit, qui in præputio fideles sunt: quantò etiã
 prius super Abraham, cum esset in præputio, appa-
 ruit uera esse. **b** ¶ Irritaq; facta est.) Ut quæ
 nullius sint cõmodi, irritæ factæ sunt promissiones:
 hoc est, inefficaces factæ sunt, & infectæ. Quomo-
 do? si enim fides destruitur, propter quam promif-
 siones, planum est quòd promissiones pariter abo-
 lentur: quæ si abolitæ fuerint, neque Abraham pa-
 ter cuiuspiam restat. **c** ¶ Idcirco ex fide.) Atque
 adeò, inquit, non per legem promissiones stabiliuntur,
 quòd modo quodam etiam impediuntur. Quomodo?
 quoniam lex iram efficit, si quidem præuaricati eam
 fuerint. Nemo enim eã implere ualuit. Vbi uerò ira,
 quomodo hæreditas? quomodo hæreditatem assequẽ-
 ris, si in te legis inuehitur ira? quomodo promissiones
 orientur? Atqui fides, inquit, gratiã Dei adducit. Por-
 rò gratia si adsit, ueniunt implenturq; promissiones.
d ¶ Ut firma sit promissio.) Vbi nanque Dei
 gratia, ibi haud dubiæ sunt promissiones, sed firmæ
 ac stabiles. Deus enim, inquit, est qui per gratiam iu-
 stificat, & quis est qui condemnet? **e** ¶ Omni se-
 mini.) Hyperbaton est, omni semini Abrahæ.

f ¶ Non illi quod ex lege.) Ex lege illos dicit, qui
 ex Iudæis ad fidem uenerunt. g ¶ Verum ei etiã
 quod ex fide.) Eos qui sine lege fideles effecti sunt.
 Sed animaduertito, quoniam pacto duos deinceps po-
 pulos connectat, omniumq; patrem Abraham faciat.
 h ¶ Ante conspectum Dei.) Hoc est, quem ad-
 modum Deus partialis non est, sed Deus omnium
 quoq; Abraham uniuersorũ est pater. PHOTIUS
 Ante conspectum, ex aduerso, in conspectu, in per-
 sonam Dei. In personã quippe Dei dicit, quasi
 ex persona Dei positum illud sit, quod ait: Patrem
 gentium posui te. Quoniam enim dixit
 Quemadmodũ scriptum est, non appendens ubi
 scriptum sit, uel quomodo, intulit (si quidem per
 perbaton legas) coram Deo: q̄ sit fide dignũ, quem
 firmũ quod scriptũ est, cõprobans. Quẽ admodũ,
 qui, scriptũ est, ante conspectũ Dei, hoc est, in facie
 Dei, & ex persona Dei. Digna est, inquit, cui fides
 hibeatur scriptura, immutabilis, firma, deus in eam
 cum dicit, Patrem multarũ gentium posui te. Con-
 sio itaq; subsequenti orationis, quẽ ait, Quemad-
 modum scriptum est, ante conspectum Dei, cui creditur
 est: Quoniam patrem multarũ gentium constituit
 & quẽ sequuntur. THEODORETI: Perinde
 quit, atq; omnium est conditor Deus, omniumq; Di-
 & curator: modo eodem Abraham omnium patre
 git, non Iudæorum modò, uerumetiam cuncto-
 gentium. i ¶ Qui uiuificat.) Resurrectionis

den
 faci
 etiã
 eto.
 mo
 pot
 ad
 Pul
 bo n
 ipsa
 facil
 ueli
 C
 b pa
 Sic
 con
 cun
 tuar
 Dei
 ratu
 etus
 stare
 stitiã
 rum,
 nos,
 m qu
 tuis:
 & ne
 4 ¶

dem sermonem cudit, idq; cōmodè, & ad institutum facit. Credidit, inquit, Abraham Deo, quòd mortuos etiam uiuificet: ob id quoq; quòd senio etiam confecto, idem ipse semen dare possit. Qui enim uiuificat mortuos, & ea quæ non sunt, esse facit, multò magis poterit emortuo per senectutem corpori semen dare ad generandū uiuificū. k ¶ (Et uocat.) PHOTII: Pulchrè dixit, Et uocat ea quæ nō sunt, tanq̄ sint: uerbo nanq; ea quæ nō sunt, ad hoc ut sint, ac simul cum ipsa uocatione producit, ita ut apud eum possibile ac facile sit, tum ea quæ nō sunt tanq̄ sint, tum contrà (si uelit) ea etiam quæ sunt, tanquam non sint, uocare.

Qui^a præter spem, sub spe credidit se fore b patrē multarū gentiū, iuxta quod dictū est: Sic erit semē tuū. Ac^c nō infirmatus fide, haud considerauit suū ipsius corpus iam emortuū, cum^d centū ferè annos esset natus, nec emortuam matricem Sarrhæ. e In promissionē autē Dei nō^f hæsitauit ob incredulitatē, sed s̄ roboratus est fide, h dans gloriā Deo, acⁱ certus factus, quòd qui promiserat, potens sit etiā præstare. k Quapropter reputatū fuit illi etiā ad iustitiā. Nō^l scriptū est autē propter ipsum tantum, quòd imputatū sit ei, sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus, in eum^m qui excitauit Iesum dominū nostrū à mortuis: qui traditus fuit propter peccata nostra, &ⁿ excitatus est propter iustificationē nostrā.

¶ (Qui præter spem.) PHOTII: Pro, Credidit

promissionibus, quæ multū incredulitatis in se habe-
 re, iuxta humanum ratiocinium, uidebantur. Præter
 spem enim, inquit, humanam: sola innixus spe erga
 Deum. Quoniã inquit, sub spe, Dei inquam. SEVE-
 RIANI: Præter spem propriæ naturæ: sub spe po-
 tentiæ illius qui promiserat. **b** ¶ Patrem multari
 gentium.) Quæ iuxta fidem & promissionē sunt.
 Quis uerò per fidem promissionemq; datus est ei fi-
 lius? Nempe Isaac: Ismaël nanq; filius eius fuit secun-
 dum carnem. **c** ¶ Ac non infirmatus.) Multi
 profectò fuerant, quæ fidem illius languidam inuici-
 damq; reddere potuissent: sed ad nullū istorū gene-
 ra clanguit anima. Primū quidem, quòd nullū iam a-
 tea exemplū cōspexerat, sed primū illi, præter spem
 progenerandæ sobolis, promisso facta est. Secundū
 quòd suum iam corpus senio cōfectum, atq; emortu-
 erat. Tertio, quòd Sarrhæ cōiugis suæ matrix em-
 tua pariter esset, atq; ad prolem concipiendam im-
 potens. **d** ¶ Cū centū.) Rectè dixit, Centum
 re annos: non enim centū, sed nonaginta nouem
 annos habebat. **e** ¶ In promissionē autem.)
 Non enim fuit operum demonstratio ulla, sed tenta-
 tantū uerba. **f** ¶ Non hæsitauit.) Non dixit,
 credidit: sed, nō hæsitauit ob incredulitatē: hoc est,
 fuit incertus, non dubitauit. **g** ¶ Sed roboratus
 est.) Cū dixit, Roboratus est, ostendit, multo labo-
 re, animiq; uirtute fidem rectè firmari. **h** ¶ Datus
 gloriam Deo.) Quomodo roboratus est? Datus
 r.

riam, inquit, Deo: hoc est, non curiose indagans quomodo fieri possit hoc, sed ilico credens, Deumq; laudans ceu benefactorem, qui quod promiserat, prestare etiam possit. *i* ¶ Ac certus factus.) Non dixit, credens, sed quod erat significantius, certus factus. *k* ¶ Quapropter.) Viden^r quod ex fide iustificatus est? *l* ¶ Non scriptum est.) Ut ne deinde diceret auditors, Ecquid istud ad nos pertinet? Ille enim iustificatus est, insert. Hæc non patriarchæ solummodo causa scripta sunt, uerum etiam propter nos, uti exemplo Abrahamæ nobis proposito, fideles similiter efficiamur, eundemq; ad modum fides ad iustitiã nobis imputetur. *m* ¶ Qui excitauit.) Studiosè ad sermonem de domino se cõuertit, & ait: Non ob sua ipsius peccata occubuit, alioqui neq; surrexisse eum oportebat, perinde ac neq; ante hunc quisquam: uerum ob nostra peccata, quò nos ab eis liberaret. *n* ¶ Et excitatus est.) Ut, inquit, nos iustificaret, atq; peccatis liberos faceret. Nõ enim eam ob causam peccata nostra in se se transfudit, mortis supplicium pro nobis subiens, ut nos obnoxios teneret morti, eiusq; debitores: sed ut nos iustificaret uiuificatos, qui mortui fueramus peccato, ac deniq; insontes et innocentes dimitteret: nõ secus atq; Abraham, ipsamq; Sarrhæ matricem senio iam ac sterilitate emortuos, sobolis generatione uiuificauit.

CAPVT V.

Iustificati^a igitur ex fide, pacem habeamus erga Deum, per^b dominum nostrum Iesum Christum,

per ^cquem & accessum habemus ^dfidē ad gra-
 tiam hanc, in qua stamus, & gloriamur ^fsuper
 spe gloriae Dei. § Non solū autē, uerum etiā
 gloriamur ^hsuper afflictionibus, ⁱsciētes quod
 afflictio patientiam operatur, patientia uerō
 probationem, ^kprobatio uerō spem, spes autē
 non pudefacit, quod ^ldilectio Dei effusa ^mest
 in corda nostra, per spiritum sanctum, qui da-
 tus est nobis.

a ¶ (Iustificati.) Quomodo autem aliquis pacē ha-
 beat erga Deum? Si sequatur mandata eius: sicut qui
 peccat, bellum gerit aduersus Deū. IN hunc quoque
 modum intelligas. Demonstrat Iudaeos cōtentiose se-
 ditioseq; sese erga fidem gerere, nec dominū nostrum
 IESVM CHRISTVM suscipere, aduersumq; ipsū
 patrem esse rebelles, qui eum à mortuis suscitauit. *¶*
 inquit, iustificemur nos, ob id & inter mortuos res-
 tatus est, & ex mortuis exurrexit: uos autē eum
 suscipientes, illi etiam bellū ingeritis, qui hunc à mor-
 tuis excitauit. At nos, inquit, qui iustificati sumus, pa-
 cem habeamus erga patrem: dissoluamus tandem
 quod contra eum gerebamus, bellum. Porro quomo-
 do dissoluitur? Per fidē in Dominū IESVM CHRIS-
 TVM perfectam, ac certam. Ipse nanq; est qui nos
 ad patrem adducit. b ¶ (Per dominum.) *¶*
 enim per ipsum à prae-teritis peccatis liberati sumus,
 per ipsum rursum, & per fidem in ipsum, à peccatis
 deinceps abstinemus. Facilius enim est parta tua
 bona, quàm acquirere ope ipsius atque auxilio.

c ¶ Per quem.) Per ipsum nanq; adducti sumus ad patrem. Si ergo cum longè abessemus à Deo, per mortem ipsius propinqui facti sumus, multò magis propinqui ipsi existentes, pacem habebimus erga ipsum, per gratiam CHRISTI. d ¶ Fide.) Positis ijs quæ ad CHRISTVM attinent, nostra quoq; subdit. Ad ineffabilia enim dona & beneficia CHRISTI in nos collata, nihil nos, præter fidem, attulimus. e ¶ Ad gratiam hanc.) Hoc est, ut donaremur, digniq; iudicaremur cognitione Dei, & qui ad eum adduceremur, liberaremurq; à peccatis, eaq; acciperemus quæ baptisma confert. Quod uerò ait, statimus, firmitatè indicat. PHOTII: Demonstratiuè locutus est, multitudinè & copiam eorum, quæ gratia complectuntur, indicans. Etenim ipse accessus magnum quiddam est & admirandum: & ante hoc, peccatorum remissio: & post hæc, ipsum cælorū regnū promissum est. Propter quod opus: ob quod strenuū facinus: Solam ob fidem. Fidem tantūmodo adhibuimus, & per baptismū omnia nobis gratia donauit. VEL sic: Quemadmodū ad hanc gratiam, in qua stamus, gloriamur sub spe gloriæ Dei: ita rursus gloriamur in afflictionibus, scientes quòd per eas, & per patientiam, & probationem, ad hanc, quæ nullū pudore afficit, spem cursu uelocissimo peruenimus. f ¶ Super spe.) Vel, quòd Deus glorificatur, uel quòd nos glorificat Deus, & arcana illa nos et supernaturali gloria donat, largiens quæ fuerat pollicitus,

dignos efficiens tum adoptione, tum regno cælorū.
 Quinimò glorificatur & ipse, etsi non prout dignus
 est, attamen quantum fieri potest, & angelis, & homi-
 nibus, cum tantam circa humanū genus curā præse-
 ferat, & hæc præbeat, ad opusq; adducat: quæ solam
 diuinitatem, & benignitatem, ac liberalitatem indi-
 cant. g ¶ Non solum autem.) Nō solum, inquit,
 ob tradita nobis bona, futurāq; gloriamur, uerū
 etiā ob ea, quæ cōtraria uidentur, ut sunt afflictiones.
 Quamobrem? quoniā ad patientiā nos parāt. Quis
 uerò patientiæ lucrū? Probatus, inquit, efficit. Quis
 porrò cōmoditas eius, quod quispiā probatus efficitur?
 Spem nobis præbet futurorū bonorū. Quis autem
 hæc sperat, nullo unq; pudore afficietur. Qui uerò
 hominē spem collocauerit suā, forsitan etiā spe sua
 frustrabitur: at qui in Deum sperat, ea nunq; frustra-
 bitur. Veruntamen nō solum, inquit, in bonis inque-
 ribus stamus, uerū etiā in bonis quæ expectamus, &
 presentibus gloriamur: hoc enim est exactæ firmæ
 fidei. Eleganter uerò dixerat, Gloriæ: obuenientia
 quidem promissa, eum qui promisit celebriorem
 dunt, glorificantq;. h ¶ Verū etiā gloriamur
 PHOTII: Vnde gloriamur in afflictionib? Quia
 ualde Deum amamus. Quilibet enim amator gratulatur
 ac gloriatur, quādo pro eo patitur, quæ amat. Vnde
 uerò diuinus ille amor effusus est, totumq; nostrum
 circūplexus est, & occupauit cor? Per spiritū sanctū
 qui datus est nobis. Totū igitur supernæ gratiæ
 scribenda

scribendum est. Ceterū etiam magis magisq; amare debemus, & si quid pati opus sit, nō recedere ab illius amore. Quare? quia ipse prior amavit nos. Ecquos nam tum? Nos, inquam, hostes, & qui bellum contra eum gerebamus. An uides excellentiā? uiden? debitū quantū sit? Adde etiā quod maius adhuc est: nō modò nō fuit à nobis amatus, imò uerò dedecore pro nobis affectus est, alapis cæsus, cruci affixus, & inter mortuos reputatus: & per hæc omnia suū erga nos amorem præbuit. O amorē, qui angelos percussit, homines ad cælos assumpsit, ac dæmonū tyrannidē exturbauit. Quis talem amanti nō diligat? Imò uerò quis, cum fecerit quippiam, tali amore dignum se reddet? uel debiti cuiusquam, licet exigui, quicquam soluet? Quamuis enim millies mori contingat, nil magnum collatum est. Nam pro benefactore, pro amante, at non pro hostibus, bellumq; contra se gerentibus, ut ille passus est, etiam quilibet nostrū patitur. Quare quotiescunque patimur, gaudere debemus ac gloriari, quoniam, etsi parum, pro tali tamen ac tanto amatore nos etiam aliquid pati digni facti sumus. i ¶ Scientes.) PHOTII: Quoniam pacto gloriamur in afflictionibus? Eleganter exposuit, Afflictiones enim ad patientiam exercent. Quod uerò patientiæ lucrum? Magnum sanè: probatiores enim non secus efficiunt, ac aurum fornax. Porro quid oritur ex hoc, quòd probatiores uisi sumus? Utilitas plurima. Spes enim nostra hinc

firmius, tutiusq; firmatur. Ex hac uerò quid? Toti perficitur, inquit. Quodnã? Assequimur quæ sperauimus: spes enim firma, perq; probationẽ, & per patientiam, & afflictionem ducta, nunq; pudore afficitur. Et animaduerte quonam pacto, cum supra dixisset, Gloriamur in afflictionibus sub spe, rursum & hinc spem terminarit: siquidem & à spe initia sumere, rursusq; ad spem terminare oportet. Spes tamen impientium, nõdum patet quomodo sese habeat, quãdo quidem afflictionibus tentationibusq; nondum fuerimus impugnati: at quæ per hæc profecerit, ac probata fuerit, & manifesta, stabilis & incõcussa, hæc etiam perfectionem habet, & ut ijs fruamur quæ sperauimus, parat. Sperauit Abraham, post senectutem & matricis sterilitatem, patrem se iuxta promissionem futurum. Magnus quidem fuit, sed nõ sicut per probationem. Tentauit eum Deus, & cõflauit: quæ reuera per fornacem horrendam, tremendamq; ignem in interioribus succendit, quando iussit ut mactaretur filium: monstrauit ex his, & per hæc, immobilem & inconcussam spem. Cucurrit enim ad filium iugulum, nec uacillauit reputans, Quomodo ergo patre ero? Id maximam profectò spem dixerim: quare secutus est etiam quæ sperauit. **k** ¶ Probatio uerò.) Nimirum mali conscientia percussi, neutiquam boni maliq; sperant retributionem: quod enim quis uult, id etiam arbitrat. **l** ¶ Quòd dilectio. Et unde liquet, ait, quòd Deus illic sit nobis bona

tur
qui
no
tut
xi
lect
dix
bilis
tus,
C
mi,
Nar
nim
mer
quò
ftus
tur i
mur
mus
mult
eius.
riam
Chr
cepin
a ¶
spiritu
set, tri
se seru

turus? Vnde inquam? propterea quòd hic dedit. Ec-
quid uerò dedit? Spiritū, quē ex sola dilectione, qua
nos dilexit, impertijt nobis. Non enim proprijs uir-
tutibus, uel operibus, spiritus sancti gratiam ample-
xi sumus. *m* ¶ Effusa est.) Eleganter uerò dile-
lectionem Dei, quæ est donum spiritus, effusam esse
dixit, ut qui uberè datus sit in corda nostra. Intelligi-
bilis enim inhabitatio adorandi, sanctissimiq; spiri-
tus, & intellectu solo, & corde percipitur.

^a Christus enim, cum ^b adhuc essemus infir-
mi, ^c secundum tēpus, pro impijs mortuus est.
Nam uix pro iusto quis morietur: pro bono e-
nim forsā quispiam etiam mori audeat. ^d Cō-
mendat autem suā dilectionē erga nos Deus,
quòd cum adhuc peccatores essemus nos, Chri-
stus pro nobis mortuus est. ^e Multò magis igi-
tur iustificati nunc in ipsius sanguine, seruabi-
mur per ipsum ^f ab ira. Si enim cum hostes esse-
mus, reconciliati fuimus per mortem filij sui,
multò magis reconciliati seruabimur in ^g uita
eius. Non ^h solūm autem hoc, uerum etiam glo-
riamur in Deo per dominum nostrum Iesum
Christum, per quem nunc reconciliationē ac-
cepimus.

a ¶ Christus enim.) PHOTII: Cum sanctissimi
spiritus donationē ad ipsum Deum transferri dixis-
set, tria posuit quæ dilectionis Dei excellentiam præ-
se ferunt, simulq; cōmendant ipsius prouidentiam in



futurum, & beneuolentiã. Hæc porrò tria ab illo se-
 lo accipiuntur quod subiectum est, ex ijs uidelicet ca-
 ca quos dilectionis demonstratio fit. Quoniã & alia
 item sunt ex parte ipsius qui dilexit, per quæ rursus
 excellentia dilectionis cõmendetur cõprobeturq; a
 est hoc, quòd uirginalem incoluerit uulua, & ex
 carnẽ assumpserit: & quòd legis mandatis obsec-
 tus sit ipse legislator: deinde, quòd dedecore affec-
 fuerit, quòd cõtumelijs, quòd alapis cæsus, & (quod
 omnium summa est) quòd per crucem mortuus sit:
 ipse ijs, quæ sunt ex parte ipsius qui amauit, in sa-
 mam cõclusis, solãq; interim mortẽ cõmemoratur,
 quæ ex parte eorum sunt qui amati fuerint, aper-
 tum cõferat hinc de huiusmodi agere hoc, quod
 tiam atq; etiã providebit ac proteget, eruetq; ab
 ni ira, tum præsentis, si quando prodesse id nouerit
 tum futura: quæ reuera est ira nouissima. Porrò
 posuit, tria hæc sunt. Infirmi eramus, inquit: infir-
 uerò nõ ex natura, sed ex cõsilio, sententia, & op-
 tione propria. Eramus igitur nõ solũ infirmi, sed
 to auxilio indigentes, uerum etiã impij, ipsumq;
 opem laturus erat despeximus: alijs quidem culti
 pietatẽ attribuentes, ipsum uerò non secus ac bellum
 & quasi bellũ contra eum gereremus, cõtumelijs
 ciẽtes. Dubia itaq; nostra quæq; habemus. Nam
 quidem infirmi, & de infirmitate surgere nõ uide-
 tes, multo uerò auxilio indigẽtes, auxiliatorẽ ip-
 contumelijs affectũ abicimus, quomodo nõ ad

mum
 at pe
 ruit
 Ita u
 ratio
 lius,
 Quò
 & in
 mus,
 tulit,
 magi
 scipi
 ita u
 Sed n
 buer
 bere
 nis it
 bitur
 solũ
 ria di
 ex san
 ipsius
 inquit
 ero do
 impijs
 Hoc e
 uenier
 tatem

mum dubie, imò desperata res nostræ erunt? Deinde,
 at peccatores, inquit, & uita ipsa profectò potius ad
 ruinã descendit, & reuerti ac respirare nõ permittit.
 Ita uerò sese rebus habentibus, & uniuersa nos despe
 ratione obsidente, tũc ipse bonus & humanus Dei fi
 lius, & amauit, & animam suam pro nobis posuit.
 Quòd si tũc, quãdo mille malis obnoxij habebamur,
 & in extremũ pudorem ac turpitudinẽ prolapsi era
 mus, & amauit, & infirmitatẽ pertulit, & robur cõ
 tulit, suumq; ipsius sanguinem dedit lauacrũ, multò
 magis postq̃ domesticos fecit & iustificauit, fauebit, su
 scipiet, proteget: quãdo nec opus erit ipsum mori, nec
 ita ut prius in infirmitatẽ & ignominia deducetur.
 Sed nec ipsum abijciemus, alijs pietatẽ & cultum tri
 buentes. Nõ itaq; decet spem promissorũ incertã ha
 bere ac dubia, sed firmã, et nõ secus ac præsentibus bo
 nis ita gaudere, et glorificare cum qui promisit, præ
 biturũ omnino, dominũ nostrũ ac Deum. Haud enim
 solum ab ira seruabit nos, uerum etiã regni illius glo
 ria dignos efficiet. **b ¶** Cũ adhuc.) Cũ futura
 ex sancti spiritus dono firmasset, nũc ex morte quoq;
 ipsius CHRISTI eadem cõprobat. Nam si pro uiro,
 inquit, uirtute prædito, nemo eligat mori: mihi obse
 cro domini bonitatẽ contẽplato, qui filiũ suũ etiã pro
 impijs, dedit peccato. **c ¶** Secundũ tempus.)
 Hoc est, secundũ tempus opportunũ, secundũ con
 uenientem & præordinatam temporis opportuni
 tatem. **d ¶** Cõmendat autẽ.) Cõmendat autẽ, pro

confirmat, demonstrat. e ¶ Multò magis igitur
 Si enim tum, inquit, non est aspernatus cum etiã pe-
 catores essemus, opusq; erat ut seruaremur morti-
 lij sui, quantò magis nunc non contemnet, sed serua-
 bit, quando neq; peccatores sumus, iustificati sangui-
 ne CHRISTI, neq; porrò est necesse ut posthac
 eius moriatur? f ¶ (Ab ira.) A futuro supplicium
 g ¶ (In uita eius.) Non enim opus est, uti prius
 filium suum (inquit) deinceps tradat in mortem,
 uiuentis erit salus. Nihil igitur, inquit, difficile.
 h ¶ (Non solùm.) Ut ne rubore suffundamur,
 mœrore q; conficiamur, quòd tanta fuerimus im-
 punitate affecti, quòd etiam necessarium fuerit ut De-
 lius pro nobis traderetur in mortem, ut salutem ca-
 sequeremur, infert: Non solùm autem seruati sumus
 inquit, uerum etiã gloriari debemus. Proinde & g-
 riamur, quòd CHRISTVS omnino pro nobis mori-
 tuus est, cum impij essemus. Id nanq; maximè patri-
 dilectionem indicat, quando quidem & pro impij-
 lium suum dederit. Dilectis porrò à Deo, nec luge-
 nec mœrere, imò exultare & gloriari in Deo ca-
 gruit. i ¶ (Reconciliationem accepimus.) Re-
 fertionem, inquam, qua Deus nos in libertatem erui-
 ruit, & qua item Deo patri nobis antehac irato, re-
 conciliati sumus.

^aPropterea quemadmodum per unum hominem
 nem peccatum in mundum ingressum est,
 per peccatum mors; & sic in omnes homines

mor
 a ¶ I
 mass
 ti, &
 robo
 per u
 tiem
 ramu
 uaren
 TII:
 uelimi
 nes: se
 pter q
 nabile
 trario
 intrau
 homin
 conseq
 IESU
 tur è m
 bus ips
 egerit
 dans: s
 quoq; d
 paratio
 intelle
 quema
 etiam q

mors peruasit, in^b quo omnes peccauerunt.
 a ¶ Propterea.) Cum suprà multifariam confir-
 masset, iustificatos nos & cōmunicatione spiritus san-
 cti, & morte filij, iam nūc ex rationabili id ipsum cor-
 roborat. Rationi, inquit, consentaneum fuit, nos qui
 per unum hominem peccatores, mortiq; obnoxij fa-
 cti eramus, quoniam illius sectati inobedientiam fue-
 ramus, ut per unum hominem, Dominū inquam, ser-
 uaremur iustificati, & immortales constituti. PHO-
 TII: Seruabimur, inquit, à Deo omnino, modò ipsi
 uelimus: & paulò antè dictæ fuerant demonstratio-
 nes: sed propter hoc etiam, inquit, seruabimur. Pro-
 pter quodnam? Quoniam & possibile est hoc, ratio-
 nabile, consequens. At unde hæc manifesta? Ex con-
 trario sanè: Etenim per unum hominem & peccatū
 intrauit in mundum, & ipsa mors. Si igitur per unū
 hominē atrocita hæc facta sunt nobis, possibile est &
 consequens, ut per unum hominē Dominū nostrum
 IESVM Christū, et atrocita illa iam introducta tollan-
 tur è medio, & meliora nobis donentur. Ipse uerò re-
 bus ipsius Adæ adductis in mediū, quæ CHRISTVS
 egerit dereliquit, huius rei notionem ex contrario
 dans: simulq; his prædictis fieri potest, ut hinc illa
 quoq; dignoscantur: idcirco solam præordinauit cō-
 parationem, quasi fautricem & auxiliatricem illius
 intellectus. Repetit enim omnino aduerbium illud,
 quemadmodū, uidelicet. Quemadmodū illud, sic
 etiam quæ consequuntur: hoc est, ita & hoc. Verū,

ut diximus, per comparationē id consequens esse demonstrans, manifestē cōparationē ipsam nō in dicitur, sed ipsos nos intelligere hortatus est. **b** ¶ In quo omnes.) In quo Adam, per quē Adam. **VEL**, quō in ipso etiam alij. **PHOTII**: Cum hoc ipso, inquit, mul morimur Adam, in quo etiā pariter peccamus. Et ille quidem initiū prębuit, nos autē sumptis occasione, nequaquā prohibuimus, uerū etiam cum pariter sumus malum operati, atq; ut in magnis fecerit, fecimus. **OECVMENII**: At ne quis inuoluet Deū in culset, quōd ob Adę nos delictum moriamur subdit: In quo omnes peccauerunt. tanq̄ dixerit quidem principiū prębuit & causam, quoniam nos peccauimus iuxta similitudinem illius.

^a Vsq; ad legem nanq; peccatum erat in mundo. ^b Peccatū porrò nō imputatur, si nō sit. ^c Sed regnauit mors ab Adam usq; ad Moysen, eos etiā qui nō peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adę, ^d qui est typus futurus.

^a ¶ Vsq; ad legem.) Demonstrare uult, quōd tantum ob peccata nostra morimur, quantum per ipsum Adam, qui morti locū dedit ex inobediētia. ¶ ait: Erat quidem etiam ante legem in hominibus peccatū, sed nō imputabatur ipsis, cū lex, que reter peccatum, non esset. Peccato igitur nō imputabatur moriebantur homines. Quid ita? an non perisset est, quōd propter Adę condemnationem? **PHOTII** Et aliter: Quoniam dixerat, In quo omnes peccauerunt.

runt: ne quis diceret, *Ecquid fieri poterat ut peccaretur, cum lex non esset?* Ipse nanq; superius dixerat, quod cui non est lex, nec praeuaricatio. Praeuaricatione autem non existente, neq; peccatum uidelicet erit. Quae igitur ratione mors in omnes peruasit, in quo omnes peccauerunt? Ut ne itaq; quisquam esset qui hoc diceret, assumpta soluit dubitationem, et ait, quod fuerit ante legem. Fiebat enim: et id quod fiebat, non est quod iam factum non fuerit. Erat enim peccatum: at non sic omnibus imputabatur, neq; ad quantum supplicij progredetur peccantium quisq; dignoscebatur. Lege autem statuta, quae supplicia taxauerit, ac per punitiorem manifestius ea confirmauerit, et criminum magnitudines palam omnibus demonstrauerit, magis etiam omnibus noti facti sunt, et intelligenti et stolido, et iuueni et seni, et mulieri et uiro. Ob id itaq; ante legem non eodem modo imputabatur peccatum, tum quod decretum non fuerit supplicium, tum quod nec magnitudo ipsorum exacte cognosceretur, tum etiam quod nec per uestigium subsecutum fuerit supplicium delinquentes. Quonia, quod peccatum fuerit, et quod, licet multa cum tolerantia et longanimitate, illis tamen perdurantibus et immedicabiliter se habentibus, supplicia sumpta fuerint, luce clarius Sodomitarum passiones testantur: nec non longe etiam ante uniuersale naufragium, diluuium inquam, et caetera id genus. Erat igitur peccatum ante legem, et imputabatur: at non ita ut post legem. Itaque utrunq; bene habet, et quod

penetraverit in omnes homines mors, in quo omnes
 peccaverunt, & quod cui non est lex, nec praevarica-
 tio. Solutur enim quod sibi ipsi reluctari uidebat
 per id quod diuus Paulus dixit. Nam usque ad legem
 peccatum fuit in mundo: & quae sequuntur. Deum
 Sed regnavit mors, hoc est, in legitimam potestatem
 eius reputabatur tyrannis, & tempore obtinens a-
 toritatem, & nostris sceleribus imperium tenens.
 Adam, inquit, qui iuxta praecepti legem sancti
 praevaricationem peccaverat. Ab Adam igitur regnavit
 mors, id est, ob multam potestatem regnum obtinens
 etiam super eos qui non ad similitudinem Adae
 peccarant. Quoad usque? Ad Moysen usque. Qui enim
 Adam fuerunt & Moysen, peccarunt quidem, sed
 ad similitudinem praevaricationis Adae. Nam qui
 destinatum legeque sanctum praeceptum Dei
 praevaricabatur, etiam peccabat. Qui autem peccabat
 tionem ipsam quae suapte natura erudita est, cum
 melius afficiebant: non tamen legem ipsam quoque
 quam introducta sit, rite transgrediebatur. Et illi
 dem qui usque ad Moysen, hunc ad modum peccabant.
 Sed à Mose usque ad Christi aduentum, ad similitudinem
 praevaricationis Adae peccabant. Leges enim
 tatas, ac leges ex Deo per Moysen datas praevaricantes
 peccabant. Regnavit autem mors, inquiens, ab illo
 usque ad Moysen, quasi super eos quoque qui non
 ad similitudinem praevaricationis Adae peccabant
 nequaquam eos eximit, qui ab illo tempore usque ad

stum peccarāt. Qua enim ratione illos exciperet, qui maiorem in modū per suas praeuaticationes peccato Adae se similes reddiderunt? Non hos igitur à mortis regno ac potestate secernit, sed dicendo, Etiam super eos qui nō iuxta similitudinē Adae peccauerāt, prolatione illius copulā, Etiam, illos maximē insinuauit: hoc est, nō tantū super eos qui iuxta similitudinē Adae peccarant, regnauit mors, uerum etiam super eos qui nō iuxta similitudinem ipsius peccauerant. Vel hunc ad modum dicendum, uel per hyperbaton intelligentes uerbum illud, ad similitudinem, & interpretantes illud ad hunc modū: Sed regnauit mors ab Adam, ad similitudinē praeuaticationis Adae, usq; ad Moysen, etiam super eos qui nō peccauerant. Sic, inquam, construentes declarare oportet. OECUMENIJ: Expende prudentiā Apostoli: ut ne iniuria affici uideremur, si alterius causa moreremur, dixit: Peccatum in mundo erat, licet non imputaretur: quocirca nō ob solum Adam, sed & propter peccatū ipsum diē obimus extremū. b ¶ Peccatum porro non imputatur.) EIVSDEM Oecumenij: Equidē peccatū cēseo ipsum dicere hoc in loco, quod ex praeuaticatione legis Moysi, eiusq; praeceptorū cōstet: qualia sunt, Oportet circumcidi, sabbatū sanctificari, haec item manducari, ab illis uerò abstineri. Nam peccatū uniuersim ipsi humane naturae cognitū cum erat, tum imputabatur: quod genus est, homicidiū, furtū, puerorū corruptio, horūq; similia. Et huius rei testes sunt, Cain, Lamech,

ij qui tempore diluuij, Sodomitæ. De hisce nanq; peccatis naturalis posita erat lex. Vniuersi quippe cõditor Deus hominem creans, rerũ quas ageret, quas nō, naturalem ei quandã indidit notionẽ. Nonnulli patribus, inter quos est & Gregorius ille Nazanzenus, inquit, in ipsa hominis creatione mandatũ creditum etiã Adæ de nō uescendo lignũ scientiæ boni et mali, legẽ esse peccata huiusmodi generaliter prohibentem. Lignũ enim efficiens boni ac mali scientiã, peccatũ esse intellexerũt. c ¶ Peccatum porro. Cũ iuxta seriem atq; ordinẽ accepisset transgressionem Adæ, Mosen dixit totũ uetus Testamentũ: ut si Mosen non audiunt. Tempus igitur ad aduentum usq; CHRISTI, Mosen dicit. Ait itaq;, quod mos usq; ad uetus Testamentũ imperauerit: iam nunc uerò in nouo Testamento, per gratiã CHRISTI destructa sit ac soluta sanguine Dei nostri. Eos qui peccauerunt porro uocat, qui ante legem fuerunt. OECUMENII: Nō eapropter, quod qui ante legem uixerunt, non peccarint (magis enim illi deliquerunt quàm qui post legem) uerũ ob eam quam ipse cause retulit, quod peccatũ quidem erat, & ab hominibus patrabatur, at nō imputabatur ipsis, quod lex nō esset, quæ denunciaret peccatũ. Quantũ igitur ad hoc quod ante legem nō imputabatur peccatũ (peccatum enim nō imputatur, si nō sit lex) peccato tũ uacabile tametsi peccarẽt. d ¶ Qui est typus futuri. ¶ Qui inquit, Adam typus fuit uenturi, nempe CHRISTI.

Quanam ratione? Vt, inquit, per mortē Adæ omnes moriebantur, ita per CHRISTI mortem omnes uiuimus ac resurgemus. Typus igitur ex contrario contigit. IOANNIS: Perinde ac ille omnibus suis posteris, ijs etiā qui ab illo ligno non ederant, causa mortis fuit per esum inductæ: eodem modo CHRISTVS in ipsum credentibus, ijs quoq; qui nihil egerūt iusti, iustitiæ autor factus est. PHOTII: Tria sunt in his, quæ sibi mutuò per figurā cõparantur: Similitudo quædā, contrarietas, excellentia per similitudinē. Contrarietas quidem, peccatum, & peccati defectus: inimicitia in Deum, & recõciliatio ad Deū: condemnatio & iustificatio: perditio, delictum, mors, salus, uita & resurrectio. In his igitur habetur contrarietas. Porrò similitudo: quemadmodū per unum hominem omnibus atrocia hæc infortunia cõtigerunt, haud dissimilē ad modum per unū omnibus bona quæq; facta sunt. At excellentia, quòd in malis quidem cum illo uno plures operati sunt, ad hoc ut participes fiant malorum: in bonis autē nullus cooperatus est, uerū solius uniusq; CHRISTI donū fuit: adeò quòd nō cundem ad modum uel æquè, sed per excellentiā & cum exuberantia similitudo sit. Rursum, mala per Adam introducta, nō modò è medio sublata sunt (quod quasi cõtrarijs æquale est ac proportionabile) uerū etiam collata à CHRISTO sunt bona: quippe quod excellentiam probat & exuperantiā. Quare inquit: Sed nō quemadmodū delictum. Et uide quid inquit:

Si adeò potens fuit delictum Adæ (etiam si infirmum fuerit, ac longè inferius dono Dei) ut eos etiam qui non peccauerant morte frangeret: quanto maiore robore efficax erit donum Dei ad eos etiam, qui non rectè egerint, uiuificandum?

^a Sed non quemadmodum delictum, sic & donū. Si ^b enim unius ob delictum multi mortui sunt, ^c multò magis gratia Dei, & donum in gratia, quæ est unius hominis IESV CHRISTI, in multos exuberavit.

^a ¶ Sed non.) Vult indicare, efficaciorẽ potioremq; fuisse Dei gratiam Adæ præuagatione. Ecquanam id ratione? etenim uidemus æqualia fuisse, licet diuersi sint effectus. Vt enim obediẽtia CHRISTI in omnes homines delegauit uitam, & resurrectionẽ: sic inobediẽtia Adæ, in omnes homines mortem demisit. Quo itaq; pacto inquit, Non quemadmodum delictum, ita & donū? OECUMENI. Cùm hæc ita sese habeant, quemadmodū dixerat, magis efficax fuit gratia Dei: et iuxta hoc dico magis quisq; cogitare posset) in quantū & maior & prestantior uita est, quàm mors: imò uerò quòd etiã opere et efficacia, magis operata est obediẽtia CHRISTI, q̃ præuagatio Adæ. Quomodo? Quòd multū quidẽ ab Adam accepto principio, nostrum quoq; omnium peccatū adiumentū habuit, ut cõtra omnes potens: quod tamen minimè potens futurū erat, si cunctis sordibus mansissent puri mortales. Gratia

rō CHRISTI uel citra nostrā cooperationē ad om-
 nes accessit. Idq; indicat, quōd gratia resurrectionis
 nō modō in fideles efficax fuerit, ueluti in eos qui fi-
 dem cōtribuisse uisi sunt, uerum etiā in incredulos, Iu-
 daeos in quā & Græcos. Maius itaq; illud est quod no-
 stro auxilio nō eget, eo quod nostra, ad hoc ut sit po-
 tens, eget ope. b ¶ Si enim unius ob delictum.)
 PHOTII: Cū dixisset CHRISTI typū fuisse Adā,
 typū, in quā, ex cōtrario (ut enim ille autor mortis ho-
 minibus extitit, sic CHRISTVS hominibus resurre-
 ctionis autor) cū igitur, ut diximus, CHRISTI ty-
 pum asseruisset Adam, quoniā id ipsum probaturus
 erat, nō solū similitudinē probat & typum, sed etiam
 quæ in typo est & similitudine excellentiā & abun-
 dantiā. Ad nanq; præ se fert dicendo: Sed nō quem-
 admodum delictum. Et rursum: Et non quem-
 admodum per unum qui peccauerat. Quoniam
 igitur cōposita quodāmodo usus est argumētatione,
 dissimilitudinē modo quodam cum dissimilitudine
 complicans, nunc quidem idem repetit. Sincerè autē
 similitudinē indicat, & neuti quā implicans, quan-
 tum ex dictione, aliquam dissimilitudinis pugnam.
 Deinde cū manifestè id aperteq; monstrasset, quōd
 uidelicet quemadmodum per unum regnauit mors,
 longè magis in uita regnabunt per unum CHRIS-
 TVM, infert quasi concludens, & ad maiorem
 adhuc manifestationē ac breuitatem sermonem ad-
 ducens, ait: Igitur quemadmodum per unius

delictum, ad omnes homines, ad cōdemnationem, & quæ sequuntur. Postea, quoniam & in priori ac cōposito syllogismo, & in posteriori & claro, et qui sæpius eadem repetat, etiã ueluti in illata cōclusionē, delicti quidem, gratiæ, cōdemnationis, doni, iustificationis, & huiusmodi meminit: unde uerò initiū, originemq; traxerint uterq; cōtrariorū ordo, nondū significauit: iam nunc idem ipsum dilucidat, enucleatq; & ait, quòd ea quidem quæ ex inobedientia sunt, perierūt: quæ uerò ex obedientia, eorū loco inserta sunt. Demonstratiuum itaq; erit hoc ipsius conclusionis, probantis typum & similitudinem, uidelicet illius: si enim unius delicto mors, & quæ sequuntur. Nequaquam igitur iterum eadem atque iterum repetit (ut fortè quisquā putaret) diuus Apostolus in his: sed admodū manifestè ac diligentissimè copulat, & mutuò necit uim capitū. Est igitur illud quidem, sed nō quemadmodū delictum, & quæ sequuntur, ad illud usq;, ex multis delictis in iustificationē, syllogismus quidē, ut diximus, indicatiuus demonstratiuusq; typi ac similitudinis: uarietati autem quodam modo, dissimilitudineq; cōpositum. Indigit itaq; tum declaratione, tum expurgatione: & hoc facit syllogismus interpositus, replicando etiam quod dictū iam fuerat, & expurgando, ad manifestationemq; adducendo. Verū hoc etiã axioma oportuit accipi, & nō ex sola suppositione proferrī in mediū. Neq; hoc despicit & omittit, sed quasi concludens, ac
de ser-

de sermonis ueritate cōfidens, cum assertione manife-
stat: Itaq; quemadmodum per unius delictum,
& quæ sequuntur. Deinde, quoniã in talibus syllogi-
smis nondum expresserat undenam principium sum-
pserint iustificatio & cōdemnatio: neq; id paruipen-
dens omittit, sed probat, dicens: Quemadmodum
enim per inobedientiam, & quæ sequuntur.
c ¶ (Multò magis.) Nedū, inquit, gratia patris, sed
filij quoq;. Est autē cōfirmationis argumentū à possi-
bili ductū, cum ait, Gratia patris & filij. Vbi autē pa-
ter & filius, planū sit quòd & ipse Spiritus omnes ser-
uare possit.

Et^a non sicut per unum qui peccauerat, ue-
nerat mors, ita donum. Iudiciū etenim ex uno
ad condemnationē, donū autē ex multis deli-
ctis ad iustificationem. Si enim unius delicto
mors regnauit per unū, c multò magis hi qui
exuberationē gratiæ & doni iustitiæ accipiūt,
in uita regnabūt per unū Iesum Christū. d Igi-
tur quemadmodū per unius delictū propaga-
tum est malū in omnes homines ad cōdemna-
tionē, sic per unius etiā iustificationē propaga-
tur in omnes homines ad iustitiā uitæ. e Vt e-
nim per inobediētiā unius hominis f pecca-
tores constituti sumus multi, g sic & per obe-
dientiam unius, iusti constituentur multi.

a ¶ (Et non sicut per unum.) Et non, inquit, ut
peccatum Adæ, ita & donum Dei: uerū donum
est maius. Quonam pacto? Nam iudicium quidem,

hoc est, cōdemnatio ex uno Adam in omnes homines uenit. Gratia uerò ac donum Dei tanto robore ac fortitudine præstitit, ut per ipsum Adæ peccatū deleret. Nec illud solummodo, uerum & omnia omnium aliorum mortalium alia delicta, quæ post illud cōmiserunt peccatū. Nec id tantū effecit, uerum etiā ad iustificationem, hoc est, ad iustitiam omnes adduxit. Multum autem interest inter obliuionem peccatorū, & iustitiam. Hæc uerò constructio est: Et non sic, inquit, donum est, perinde ac transgressio & peccatū, quæ sunt per unum qui peccarat: sed donum, inquit, longè excellentius atq; maius. **b** ¶ Si enim unius delicto.) Iterum idem confirmat, & ait: Si enim unius Adæ delicto, propter ipsum unum mors regnauit, multò magis nos gratia & dono percepto atq; iustitia, nō succūbemus morti, imò uiuemus. **c** ¶ Multò magis.) Exuberationem, ipsam dicit copiam. Positum est autem hoc ad confirmandum, quòd in uita omnino regnaturi simus, quatenus & gratia nobis haud parcè, neq; cum mensura data est, sed copiose. **VEL** hūc ad modum: Non solum ut uiuamus data est nobis gratia Dei, & peccatum abolitum, & ablata pœna, uerum etiam ut & filij Dei efficiamur, & cohæredes **CHRISTI**, & hæredes patris, & eiusdem cum filio corporis, aliq; innumera bona consequamur. Eam, inquit, ob rem exuberationem gratiæ accepimus. **d** ¶ Igitur quemadmodum.) Eadem rursus ratione certat. Cū enim cōmunem uulgi opinionem transcen-

transcenderet, ac mirificum uideretur, unius IESV
 CHRISTI uita, dono atq; uirtute, omne seruari
 hominū genus, sepius idem probat. e ¶ Vt enim
 per inobedientiam.) Idem rursus argumentū est.
 f ¶ Peccatores constituti sumus.) Hoc est, ob-
 noxij morti & supplicio, quòd serie quadam & ordi-
 ne in omnes homines primi parentis peccatū transie-
 rit, omnibus nobis imitatione quadam & doctrina
 id ipsum peccatum patrantibus. g ¶ Sic & per o-
 bedientiam.) Obediens siquidem factus est patri
 usq; ad mortem, mortem autem crucis.

^a Lex autem subintrauit, ^b ut abundaret de-
 lictum. ^c Vbi autem exuberauit peccatum, su-
 perexuberauit gratia: ^d ut quemadmodum re-
 gnauit peccatum in morte, sic^e & gratia regnet
^f per iustitiam in uitam æternam, per IESVM
 CHRISTVM.

^a ¶ Lex autem.) Quid factum fuerit narrat, &
 nequaquā peccati causam legem dicit. Hoc est, subintra-
 uit autem lex, & delictum auxit. Id enim per ipsa o-
 pera contigit, & actiones. Simulq; etiam mordacius
 contra Iudæos dictum est: enim uero in eos extendi-
 tur, atq; inuebitur: ipsiq; erant qui superbè legis cau-
 sa tangebant. Percutiens itaq; inane illos clam in-
 nuit legis causa intumescere. Quantū enim ad uestra
 acta, lex subintroijt, ut magis magisq; uestrum au-
 geret delictum. Id uerò est quod ait nunc, ubi calami-
 tatum ærumnarumq; Adæ meminit, & horum libe-

rationem solum asserit extitisse seruatorem, ut ne dicant: Quid igitur? lex nihil ad eorū liberationē cōtulit? id appendit, quod nō modo nihil cōtulit, imò, quò ad uos, multò etiā magis peccatū illud auxit. Quòd uerò ait, subintrauit, opportunū illius tēpus indicat. **b ¶** Ut abundaret.) Legis gloriam demolitur. Ad Iudæos enim illi certamen erat, & ait: Non solum nobis nihil attulit utilitatis lex, uerum etiam ex transgressione magis peccata auxit. At coniunctio *ira*, id est, ut, non est posita hīc ut rationem reddat, sed ut quod accidisset, indicet. Non enim in eum finem data fuit lex, ut peccatum faceret abundare: minimè: sed data fuit ut nos & seruaret, & erudiret. At qui non seruata peccatum auxit, non propria sanè natura, sed eorum socordia, & transgressione, qui eam non seruauerunt. GENNADII. Et aliter: Simile est hoc ei quod in Epistola habetur ad Galatas: Lex pro euaricationū gratia lata est. Nam particulā *ira*, id est ut, hīc quoq; iuxta proprietatem lingue posuit: significat enim cōsequens. Enim uero cunctis Adæ posteris, imò ipsi etiā Adæ, lege lata, creuit delictum. Quò enim præcepta plura, eò etiam, si quis ea transgreditur, delicta plurima. Plurimis namq; datis mandatis, lex transgressiones maiorē in modū auxit. **c ¶** Vbi autem.) Ne perterrefias, inquit, quòd peccatum abundarit: etenim hominū transgressione ad bonū & commodum usus est Deus, opem tribuens indigentibus. Hinc enim gratia per CHRISTVM maior, &

desi

desiderabilior facta est: qua ita effecta, fides auctior est reddita. Igitur ex augmēto peccati nequaquam ultio creuit, imò salus iucūdiior, amabiliorq; nobis obtigit. Non enim nos à peccatis tantummodo liberauit, sed mille quoq; bona largita est. d ¶ *¶* Vi quēadmodū. Peccatū enim regis instar, mors uerò militis ac ministri, fuit in morte, hoc est, per mortē. d ¶ *¶* Sic & gratia.) Gratia enim Dei & iustitia maiora perficit, q̄ peccatum & mors. f ¶ *¶* Per iustitiam.) Per iustitiam uidelicet CHRISTI.

CAPVT VI.

Quid igitur dicemus? ^b permanebimus in peccato, ut gratia exuberet? ^c Absit. ^d Qui mortui sumus in peccato, quomodo adhuc uiuemus in ipso? ^e An ignoratis, quòd qui baptizati sumus in CHRISTVM IESVM, in mortem eius baptizati sumus? ^f Sepulti igitur sumus unà cū ipso per bap̄tisma, in mortē, ut quemadmodū excitatus est Christus ex mortuis per gloriā patris, ^g sic & nos in nouitate uitæ ambulemus.

a ¶ *¶* Quid igitur.) Quid igitur, inquit? per eorum quæ diximus consequentiam, ueniamus ne ad hæc uerba? & dicit quænam intelligat. b ¶ *¶* Permanebimus.) Ex quo supra dixerat, ubi abundauit peccatum, superexundauit gratia: ut ne insipientibus esse uiderentur hæc uerba adhortatio peccati, tollit ea. c ¶ *¶* Absit.) Quod in apertè absurdis dicere consueuimus. d ¶ *¶* Qui mortui.)

Vel, quòd quadã ex parte illi obierimus. At quo pacto licet ex eodem ipso peccato, tum mori, tum uiuere? Sanè quòd mortui sumus, inquit, peccato, ubi CHRISTO credidimus, & baptisinate mer si fuimus. Non oportet igitur salutare, inquit, mortificationem prestolantes, malam uiuere peccati uitam. Mortui proinde sumus peccato. Quomodo? Ad hoc sanè, inquit, ut nequaquã illi pareamus. e ¶ An ignoratis. Ad hoc ut similem cum eo mortem moriamur. Vel, ad eam perfectam absolutissimamq; ostendendã. Hec autẽ baptisinate fiunt. Dum enim baptizamus, peccata deponimus: quippe quod CHRISTI mors efficere cœpit. Enimuero pro peccatis nostris mortem ille subiit, uolens nos ipsis liberare. Egit itaque CHRISTI mors tum depositionem, tum mortificationem peccatorũ: & quantũ ad se, totum egit. Reliqua proinde est sola fides nostra, sententia, & uoluntas. Hec porrò per baptisma monstrantur: quo peracto, mors magis CHRISTI quantum salutis contulerit declaratur. Eleganter igitur ait, In mortem ipsius baptizati sumus: hoc est, ad simile illi mortem moriendum, peccatis sepultis baptisinate, ad manifestius salutaris ipsius mortis lucrum modis omnibus demonstrandum, cum nos quoq; ad integritatem salutis, sententiam, & uoluntatẽ, & fidem admiserimus per baptisma. Mordaciore porrò sermone usus est, interpretans quam ratione mortui simus peccato, & inquit: An ignoratis, quòd quotquot in CHRI

STVM baptizati sumus, in id baptizati sumus, ut et ipsi moriamur? Mortem siquidem imitatur baptismus: hoc enim indicat, In mortem baptizati sumus. Tametsi enim baptismus non sit corporis mors, est tamen peccatorum. f. ¶ Sepulti igitur.) SEVERIANI: Quonia dum baptizamur, profiteamur nos mundo esse morituros, atq; peccato & diabolo reluctatos, ad credendum resurrectionem, per gloriam resuscitantis, animos flectit. Pulchre igitur patrem asserit exuscitasse. Cum ijs enim differit, qui pueri adhuc erant. THEODORETI: Gloriam patris, CHRISTI diuinitatem appellat, hoc est, per propriam diuinitatem. Etenim alio etiam loco inquit: Vt Deus domini nostri IESU CHRISTI, pater glorie. g. ¶ Sic & nos.) Consequens namq; erat dicere: Sic & nos resurgemus. Verum ad uitam institutum desecit, aliam a nobis resurrectionem postulans, quae est per institutum ac normam uiuendi: in qua moritur quidem peccatum, resurgit uero uita uirtutibus praedita, scortator in non scortando, fur in non furando. haec nouitas uitae est. Et aliter, PHOTII: Nouam esse fidelium uitam condecet, nihil ueteris peccati secum attrahentem.

Si enim simul infiri sumus similitudini mortis eius, nimirum^b & resurrectionis erimus: hoc sciētes, quod^d uetus noster homo cum illo crucifixus est, e ut aboleatur^f corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato. Qui enim mor

tuus est, iustificatus est à peccato.

a ¶ Si enim simul.) Similitudinē ostendere instituit cum nostri, tum CHRISTI, et ait: Si insiti sumus, hoc est, si participes facti sumus mortis. Infitos proinde simul propterea dicit, quòd quemadmodum corpus dominicū in terram sepultū mundo salutem inseruit, sic nostrum, inquit, in baptisate tumulatum iudicium protulit nobisipsis. PHOTII: Iuxta metaphoram hæc lectio est, ab arboribus sumptā, quæ per cognata sibi pariter ac mutuo inseruntur. Simul igitur, inquit, inserti facti sumus similitudini mortis eius: hoc est, simul cum eo mortui sumus. Proprie autem similitudine atque exemplo usus est. Vt enim quod seritur, per aliquod tempus terræ demandatum, ueluti quandam sustinet mortificationem, postea uerò frequens reuiuiscit ac reuirescit: ita etiam corpus dominicum, ad modicum tempus tumulo conditum, mox inde refloruit, ac germinauit orbi salutem uniuerso. Et nos quoque dum baptizamur ac sepelimur, & modo quodam, æquè ac quæ terræ inseruntur, ita etiam nos aqua mortificamur, mox reuirescentes atque uigentes, nostram salutem adimus, atque ad eam pertingimus. At rectè non dixit, inserti morti, sed similitudini. Similitudinē quippe mortis habemus in baptisate, nō mortem ipsam corporalem. Nam tres illæ baptisatis mersiones & emersiones, mortem & resurrectionem significant. CYRILLI: Similitudo mortis fuit CHRI

STI mors, eò quòd ipse in morte non permanserit,
 sed tertia reuixerit die. Et rursum : Similitudo mor-
 tis, passio fuit in **CHRISTO** : idq̄. decenter appri-
 mè, reuixit enim, nec māsit in morte. **b** ¶ Nimirum
 & resurrectionis.) **OECVMENII** : Qualis? Eius
 uidelicet, quando resurgemus. Et uide hīc Dei bonita-
 tem. Per mortē quidem Domini, ceu in imagine qua-
 dam, mortui sumus, & resurrectionis reuera confor-
 tes erimus. **c** ¶ Hoc scientes.) Postea memorat, q̄
 fit nobis celebris futura resurrectio, & inquit : Hoc
 scientes, quòd uetus noster homo, hoc est, cōdemnata
 uita, simul cū **CHRISTO** crucifixa est per baptisma.
 Vnde etiam dicit in eo destrui corpus peccati : hoc
 est, mala opera mortem expectare, quippe quæ cor-
 pus uocat peccati. **d** ¶ Vetus noster homo.)
PHOTII : Vetus, id est, qui in peccatis inueteratus
 est. Is inquā dum baptizamur, unā cum **CHRISTO**
 tum crucifigitur, tum moritur, & à baptisate no-
 ui reuertimur ac recētes, per omnia iuxta inueteratū
 illū hominē mortui. Et destruitur etiā corpus pecca-
 ti, in quo sanè peccato firmabatur, & à quo formaba-
 tur uetus noster homo : hoc est, destructa et abolita ui-
 ta nostra peccatis atq; delictis. Hominē proinde uitā
 dicit huiusmodi, hominū erga ipsam habitudinē : indi-
 cans cū indiuisum, et qui uix dimoueri queat, tum
 inueteratū atq; longæuū. Hunc siquidē ad modū ante
 Domini nostri aduentum, et dispensationē, in eo con-
 tabuere mortales, adeò quòd, ne si homines quidem

insti
 nus,
 roin
 cor-
 in se
 m iu
 aeta-
 e per
 ligit
 tis e-
 pprie
 enim
 anda-
 t, po-
 etiam
 o con
 salu-
 ur ac
 e in-
 ox re-
 s adi-
 on di-
 quip-
 ipsam
 siones
 gnifi-
 CHRI
 STI

essent, discernerentur, nec prorsus essent absq; libidi-
 nosa conuersatione, lasciuisq; operibus. Propterea
 itaq; quòd sese homines ei complicauerunt, secumq; se
 miscuerunt, atq; ab eo nò facìle diuelli possunt, homi-
 nem, mordaci nomine usus, uitam huiusmodi nuncu-
 pauit: hoc est, quam æquè ac nos ipsos, imò etiam ma-
 gis quàm nosmet ipsos amabamus, et amplectebamur
 charius. THEODORETI: Veterem hominē nò na-
 turam appellat, sed prauam mentem. Hanc uerò in-
 quit, baptismate obiisse. e ¶ (Ut aboletur.) Ad
 hoc, inquit, ut aboletur, mortiq; detur peccatum, ut
 nemo posthac incidat in peccatum. Internecionē au-
 tem dicit, quatenus ad peccandū, ut sit mortuū: mor-
 tuus enim nequicq; peccat. f ¶ (Corpus peccati.)
 PHOTII: Per circumlocutionē peccatum ipsum, hoc
 est, totum penitus ociosum & iners deinceps futurū
 appellatur. Ecquonam modo aboletur? Si eo non uti-
 mur. Deinde modum etiam utendi indicat acutè, &
 ingeniose: Ut non posthac seruiamus peccato. Vfus
 enim peccati, seruos nos facit peccati. CYRILLI:
 Abolitū autem est ac destructum corpus peccati, id
 est, affectuum in ipso insita feritas, concitans quidem
 semper ad turpia mentē, terrenisq; uoluptatibus ue-
 luti luto admouens. Et hoc est quod ait: Nam legis im-
 possibilitatem, in qua languerat per carnem, pater,
 filio suo misso in similitudine carnis peccati, amouit,
 ac de peccato peccatum condemnauit in carne. Num
 uides quinam abolitum sit peccati corpus? Stimulus
 enim

enim peccati damnatus in carne est, necatusq; in
 CHRISTO primum. Gratia uerò ab ipso, ac per
 ipsum ad nos pertransiuit. g ¶ Qui enim mor-
 tuus est.) Perpendis, quòd quo ad peccandū, mor-
 tuos nosse oporteat? Qui enim, inquit, mortuus
 est, iustificatus est: hoc est, euasit liberatus à peccato.
 Nonnulli uerò de baptisate id intellexerunt, in quo
 simul cum CHRISTO sepulti sumus: quandoqui-
 dem nullum aliud est baptisma, æquè ac CHRIS-
 TVS de cætero iam non iterū est mortuus: in què
 cū simul sepulti sumus, tum simul surreximus.

Si^a autē mortui sumus cū CHRISTO, credi-
 mus quòd pariter etiā cū ille uiuemus:^b scien-
 tes, quòd CHRISTVS excitatus ex mortuis,
 non iam amplius moritur:^c mors ei postmo-
 dum non dominatur. ^d Quòd enim mortuus
 est, peccato mortuus est semel:^e quòd autē ui-
 uuit, uiuit Deo. Sic ^f & uos existimate, uosipfos
 mortuos quidem esse peccato, uiuentes autē
 Deo, & in CHRISTO IESV domino nostro.
^h Ne regnet itaq; peccatū in mortali uestro cor-
 pore, ut obediatis ipsi ⁱ in cupiditatib. ipsius.

^a ¶ Si autem mortui.) PHOTII: Si autem am-
 bulauerimus in nouitate uitæ, planè etiam cum ipso
 pariter resurgemus, quemadmodum ipse CHRIS-
 TVS ex mortuis resurrexit. Istud enim eius est cō-
 sequēs quod dictum est. Nam ipse ijs, quæ dicta sunt,
 uitæ normam superinducens, quæ resurrectione præ-
 cedit, quod iam necessario subsequeretur intelligen-

dum dereliquit. Deinceps uerò manifestè pureq; resurrectionē annunciat, dicens: Si mortui sumus cum CHRISTO, quemadmodū etiam occubuimus per baptisma, credimus quòd etiā cum ipso uiuemus beatam illam, & quæ nulli succumbat senio, uitam profectò, quæ post resurrectionem futura est. Credere, inquit, debemus, quòd ipsi quoq; cum eo pariter simus uicturi. Consolationis itaq; atq; consilij est uerbum illud, Credimus. **b** ¶ (Scientes.) Et unde, inquit, perspicuum est quòd simul uiuemus cum CHRISTO? Nam & illud obscurū est, num CHRISTVS excitatus occumbat denuò. Absit, inquit: nam eius te rei certissimū esse oportet, nempe CHRISTVM posthac non moriturū. Ob id nanq; occubuit, ut mortem demoliretur. **c** ¶ (Mors ei.) Qua enim ratione, per quem etiam reliqui omnes uitam nanciscemur? quandoquidem totum, peccatum uidelicet atq; mors, in primitijs nostris, qui CHRISTVS est, sit remissum. **d** ¶ (Quod enim.) Et in tantū, inquit, nō morietur, quòd & illud semel, quòd mortuus est, non quasi morti, iuxta cæterorū hominū sortem, obnoxius mortuus est, sed propter mundi peccatum, ut illud tolleret ac necaret. **e** ¶ (Quòd autem.) Hoc est, ut Deus uiuit, citra ullum finem seu corruptionē. Ut enim intelligitur mortuus esse peccato, hoc est, propter peccatū: sic etiā accipitur quod dixit, Deo: hoc est, ideo quòd sit Deus. OECVMENII: Hūc etiam ad modum intelliges. Perinde ac dicere consueuimus

uimus de homine nostræ sortis, Mortuus est sanè carne, uiuit autem anima, per ablatiuum casum respondentes: sic etiam mihi intelligendū uidetur quod ait, uiuit Deo: hoc est, eò quòd sit Deus: nò quòd si anima esset, nò uiueret, sed quod erat certius, ac minus pugne habebat, posuit, quòd scilicet sit ipse Deus.

f ¶ (Sic & uos.) Postea, ne dicerent, Ecquid ad nos, si semel CHRISTVS mortuus, in posterū nò moriatur? Sic, inquit, & uos de uobis ipsis cogitate. Quomodo? Quoniā semel quidē peccato morituri estis, at Deo uiuetis. Enim uero in ipso uiuimus, mouemur, & sumus, ut alibi quoq; ait. VEL hūc ad modū intelligas licet. Aequè, inquit, ac Christus & mortuus est & uiuit, sic et uos existimate uos ipsos mori oportere, quantum ad nò peccandū attinet, uiuentes autē ad ea quæ sunt secundū Deū, per IESVM Christum, hoc est, CHRISTO auxiliante. g ¶ (In Christo.) Hoc est, per IESVM Christū. Per mortē nanq; ipsius nobis uita obtigit. h ¶ (Ne regnet.) Ex quo igitur, quo ad peccandum, mortuos nos esse oportet, ne, inquit, regnet dominetur ue uobis peccatū. Eleganter uerò adijcit, In mortali uestro corpore: per corpus enim peccatū sæpius perpetratur. Ne regnet, inquam, ad hoc ut obediat ipsi: id enim regno eius obnoxium esse dixerim. THEODORETI: Regnum hic à tyrannide differt: quòd tyrānidi inuiti subdantur ciues, regno uerò suapte sponte morē gerāt. Cōmonefacit igitur nos, ne posthac peccati assentiamur potēt atui: dissoluit nāq;

imperium eius Dominus homo factus. Ac diu mortali-
 bus, adhucque passibile corpus habentibus legem san-
 ciret, ea que eorum imbecillitati responderent con-
 uenirentque; sanxit. Et nequaquam dicit, tyrannidem non
 exerceat: sed, ne regnet. Nam tyrannidem quidem ex-
 exercere, peccati proprium est: regnare uero, consilij no-
 stri atque sententie. Comotio namque, turbatio, ac stre-
 pitus passionum nature, nobis sorte obueniunt: at pro-
 hibitorum perpetratio, ex nostro consilio originem
 traxit. **PHOTIL:** Quoniam sane dixerat, mortui
 sumus, et mortuum nostrum effectum est corpus pec-
 cato: ne rursus illud uitam illam uiuere faciamus, qua
 uixerat in peccato: neque adeo illi nos ipsos aptemus, ut
 rursus in eo, quod iam baptismate necatum fuerat, pec-
 catum regnet. Quid porro est regnare peccatum in
 nobis? Perficere corporis desideria. Sed eos consolatur
 dicens, Mortale corpus: indicans, quod tempora-
 ria sit contra peccatum lucta, etenim et corpus tem-
 porarium est. **i** ¶ In cupiditatibus. In cupidi-
 tatibus, ipsius uidelicet corporis.

Neque accommodetis membra uestra arma^b inini-
 stitie peccato, uerum accommodetis uosmet ipsos
 Deo, uelut ex mortuis uiuentes, ^d & membra ue-
 stra arma iustitie Deo: ^e peccatum enim uobis
 non dominabitur. ^f Non enim estis sub lege, sed sub
 gratia. Quid igitur? Peccabimus quia non sumus
 sub lege, sed sub gratia? Absit. An ^g nescitis,
 quod cui accommodastis uos ipsos seruos ad o-
 bediendum, ^h eius serui estis cui obedistis, ⁱ siue
 peccati

peccati ad mortem, ^k siue obedientiæ ad iustitiam? ^l Gratia autē Deo, quòd eratis serui peccati, ^m obedistis autem ex corde, ⁿ in quam traditi estis doctrinæ formam.

a ¶ (Neq; accōmodetis.) Hoc est, ne perficiatis: agitur nanq; corpus, prout quisq; agit. Potest enim quispiam manum, et eleemosynæ & rapinæ efficiere arma: linguam item, & bonæ & malæ famæ: & sic membra reliqua. b ¶ (Arma iniustitiæ.)

Eleganter peccatum iniustitiam dixit: aut enim seipsum quisquam iniuria per illud afficit, aut proximū.

c ¶ (Verūm accōmodetis.) Ex uocibus interim est diuersitas. Id enim dixerim, Ne accōmodes temetipsum peccato, sed Deo: ita inquit: Vos ipsos accōmodate & exhibete Deo, ut par est. Nam mortuos uos iam olim peccatis, hoc est, ne mors posthac uobis domine tur, uiuificauit. PHOTII: Velut par est, ac eos decet qui tot tantisq; beneficijs habiti digni sunt, nempe & ex mortuis, & corrumpentibus passionibus liberatos, necnō uiuentes ostensos seipsos accōmodare.

d ¶ (Et membra.) Qui enim ad arma iustitiæ membra sua constituit, ipse se Deo accōmodat. e ¶ (Peccatum enim.) PHOTII: Ne enim sit uobis certamen peccati ansa, peccatum nunc infirmum est & imbecille, nec dominari potest, nisi ipsi spontē ei succubuerimus: cæterum tentat quidem, impellit, & urget, sed minimè dominatur. At quonam pacto hucusque igitur dominatū est? Quoniam sub lege erant ij,

in quos sub lege dominium exercebat: quæ quidem actum uaticinabatur peccati, at nõ ualebat ad obtinendam de eo uictoriã uincere et superare. Nos autẽ sumus sub gratia, quæ ultrã quòd consulit disponere quæ sint necessaria, præualet, & auxiliatur ad illorũ actum et opus. Et neq; id modò, imò uerò ea quæ iam olim gesseramus peccata deturbat. ALITER: Quod nam peccatum nõ dominabitur? Illud uidelicet quod fuit ante baptisma, quod remittit gratia CHRISTI. Id uerò lex præstare haud potuit. Non igitur estis sub lege, quæ nõ potuit liberare, sed potius afficere pœna. f. ¶ Nõ enim estis.) Vt ne segnis auditor fiat, tanq; nõ iam amplius redigendus sub iugum peccati, quod sub gratia sit conseruante, id ipsum tuetur ac munit. Nisi, inquit, nos ipsos subdimus peccato, haud intercipimur. Quomodo? quia nõ iam sumus sub lege, peccatum quidem denunciante, nõ autẽ ab eo eripere uolente, sed sub CHRISTI gratia, quæ & cõmissa olim flagitia condonat, & in futurũ, si modò ipsi non torpeamus, cõseruat. g. ¶ An nescitis.) PHOTII: Cui rei per obedientiam uos ipsos seruos accõmodatis, uia est, facitis, demonstratis, optatis: huic etiam deinceps serui nuncupamini, uoluntaria uestra obedientia seruitutẽ exhibente, siue peccati ad mortẽ ducentis, siue ueræ obedientiæ ad iustitiã agentis. VEL certè quòd ait, Cui obeditis: imò potius pro, in quo, & quem admodum: quasi quòd in eodem, et eundem ad modũ serui estis aut peccati, aut iustitiæ, quatenus etiã in al-
terutro

terutro eorū paretis. Ne enim diceret aliquis, Ecquī horum quisquam seruus effici potest? modum ponit. ALITER: Cui accommodatis. Non dico, inquit, gehennam, neq; ea quæ illic sunt tribunalia: ipse rubor nō fuit idoneus ad cohibendos uos, quōd uos ipsos iugo peccati subijcitis, à CHRISTO liberati. h ¶ Eius serui estis.) Illius, inquit, rei serui estis, cui paretis. i ¶ Siue peccati.) Siue peccati ad mortē ducētis, inquit, siue obedientiæ Dei ad iustitiā agentis. k ¶ Siue obed.) Siue obedientiæ ad iustitiā, repete, serui estis. l ¶ Gratia autē.) Cū eos terruisset tum seruitute peccati, tū morte ex eodem proueniente: beneficiorū Dei meminit, addens illis animum, pariterq; demonstans, facilem fore deinceps ad salutē uīā. m ¶ Obedistis autem.) Nemine, inquit, uobis uim faciēte, aut cogente, obedistis. Hoc etiam ad eorū encomiū pertinet. n ¶ In quam traditi estis.) Simulac dixisset, spontaneā illorū esse uoluntatē, liberumq; arbitriū, diuinū simul auxilium deinceps subdit: Vos, inquit, uoluntarij obedistis: at Deus in hanc uos doctrinæ tradidit formam. Qualem? Ut rectē uiuere uelit, et cupiatis: tum etiam incolumes sitis, ualeatisue circa dogmata. Formam proinde doctrinæ, ueluti terminum appellat & regulam.

^a Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. ^b Humanum loquor, propter imbecillitatē ^d carnis uestræ. ^c Quemadmodū enim exhibuistis membra uestra serua immunditiæ

& iniquitatis, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra uestra serua iustitiæ, ad sanctificationem. ^f Quando enim serui eratis peccati, liberi eratis ab iustitia. & Quem igitur fructū habebatis tum ex ijs, ob quæ nunc pudore affici mini? ^h Nam finis illorum mors. Nunc autem manumissi à peccato, serui autem effecti Dei, ⁱ habetis fructum uestrum ad sanctificationem, ^k finem uerò uitam æternam. ^l Stipendia enim peccati, mors: ^m donum autem Dei, uita æterna in CHRISTO IESU domino nostro.

a ¶ Liberati autem.) Non solum enim, inquit, Deus à peccato liberauit, uerum etiam seruos fecit iustitiæ. b ¶ Humanum loquor.) PHOTII: Humanum quiddam, inquit, dico: serui facti estis. Non enim hoc reuera seruitus est, nempe secundum iustitiam uitæ institutum tenere: sed est hoc uera libertas atq; felicitas. Cur itaque eam seruitutem appellas, si non est seruitus? Ob carnis uestre, ait, imbecillitatem: hoc est, quoniã reluctari uidetur superbia carnis, & exasperari, & tristari inuitò ad præcepta iustitiæ. Quamobrem imbecillitatē carnis uestre, algoremq; mecum reputans, humano more id ipsum seruitutem appellauit. Equidem consueuimus in ijs, quæ agentes & inuiti agimus, tyrannidis nomen imponere. Sic igitur & Paulus ait: Secundum hominem loquor, seruite iustitiæ. Postea sermonem roborat suum ex contrario. Ut enim, inquit, si munditias patraretis, serui essetis ipsius munditiæ: ita si ea quæ ad iustitiam pertinent

ment, perfecreris, serui non ab re iustitiæ dicere mini.
 Id porrò simul quoq; exhortans intulit: Si enim serui
 esse immunditiæ nō erubuitis, quonam pacto nō etiā
 superbia erit, si quidem serui fieri iustitiæ dedignati
 fueritis? Id ipsum porrò aliter quoq; comprobatur, &
 in sequentibus indicat huiusce seruitutis dignitatem,
 concludens, quòd hæc seruitus seruos Dei efficit, quo
 quidnā cum liberius, tum felicius esse potest? Etenim
 ait: Nunc autem liberati à peccato, serui uerò effecti
 Dei: & quæ sequuntur. VEL: Humanum dico, si
 per hyperbaton intelligatur, ut quod deinceps dispo
 ni debeat, uidelicet: Ita nunc accommodate membra ue
 stra serua iustitiæ, ad sanctificationem. Igitur si hunc
 accipiatur ad modū, significabit sanè mediocre quod
 dam dixisse, & humile, hæc dicendo. At si perfectio
 nem ullam loqueretur, diceret utiq;: Exhibete mem
 bra uestra serua iustitiæ, non quemadmodū exhibue
 ratis peccato, imò longè studiosius. Cæterū nunc pro
 pter imbecillitatē uestram, inquit, adeò humiliter ac
 moderate locutus sum. c ¶ Propter imbecillita
 tem.) Moderatum quiddam, inquit, loquor atque
 exiguum, ac tale quod imbecillitatem naturæ nō ex
 cedat. IOAN. CHRYSOST. Naturæ, inquit, in
 stitutionem adhortationemq; cōmensuro: noui enim
 quinam in mortali corpore soleant affectus cōcitari.
 o ¶ Carnis uestræ.) Non dixit, electionis, delibe
 rationis, seu animi procliuuitatis, quæ illorū erat in iu
 stitiæ: sed carnis, inquit, quæ præter sententiam illis

contingebat. Hoc uerò ait, quò suam ipsius oratione molestia liberaret. e ¶ Quemadmodum enim.) Multò quidem maiorẽ oportebat CHRISTO seruitutem exhibere & iustitiæ, quã ea est quã exhibueratis immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatẽ (id uerò dixerim, ad iniquitatẽ, hoc est, ad plenũ, ad summũ iniquum esse, pro exuri, et desiderio flagrari, & adhuc magis iniquũ esse) propter imbecillitatẽ tamẽ carnis uestre, equalẽ posco. f ¶ Quando enim serui.) Quando, inquit, totam in peccatis uitam conterebatis, adeò peccato parebatis, ut ne tantillum quidem boni admitteretis. Hoc enim indicat quod ait, Liberi eratis ipsi iustitiæ: hoc est, nulla in re ipsi iustitiæ subditi eratis. Itaq; nũc etiã quoniã translatis estis ad iustitiam, liberi effecti estis ipsi peccato. Nam isthuc subaudire, superioris capitis scopus poscit. g ¶ Quem igitur fructum.) Quæ igitur uobis est, inquit, e utere prauitate cõmoditas? Nulla: imò planũ est, quòd istius etiã nũc uos pudeat. Tantũ enim malũ peccati est, ut uel post liberationẽ rubore quisq; ob ipsum afficiatur. h ¶ Nam finis illorum.) Nedum ab ignominia, uerum etiã ab euentibus, peccati malignitatem probat. Finis, inquit, illorũ mortẽ nanciscitur, nempe spirituale. i ¶ Habetis fructum.) Illorũ, inquit, fructus mors quidẽ est: horũ autẽ, et sanctificatio, & uita eterna. Attamen etsi hæc, inquit, ita se habeãt, sic etiã Deo deinceps seruite, ut iam antea immunditiæ et iniquitati. k ¶ Finem uerò.) Ex ijs quæ data sunt,

ea quæ expectatur confirmat: hoc est, à sanctificatione uitæ eternæ. l ¶ Stipendia enim.) Stipendia, hoc est, fructus, donū. i ¶ uero, hoc est, stipendiū, seu aucto ramentū, dicitur regale donū. Obserua autē, quomodo ex ijs quæ sermone suo profequitur, & securiores illos fortioresq; reddit ad futurarū rerū expectationem, & ipsi magis sunt grati, quòd sunt redempti.

PHOTII. Stipendium. Vendimur per peccatū: illud porrò dum patrat, hæc ipsa nobis stipendia rependit, ac donat. m ¶ Donum autem.) Non dixit, merces uirtutū, egregiorumq; facinorū, sed donū, uel gratia: indicans, quòd non ex laboribus suis, uerū ex gratia liberati fuerint à peccatis.

CAPVT VII.

AN ignoratis fratres (sciētibus enim legē lo quor)^b quòd lex tantisper dominet^c homini, quoad uixerit: ^c Mulier uiro subdita, uiuenti uiro alligata est per legē: ^f si maritus obierit, soluta est à lege mariti. Proinde uiuēte marito, adultera uocabit, si se iūxerit alteri uiro: si mortuus fuerit maritus, libera est à lege: ut nō sit adultera, si alteri copulet^r uiro. Itaq; ^h fratres mei, uos quoq; occisi estis legi ^l p corpus Christi, ut ^k iūgeremini alteri, q à mortuis excitatus est, ^l ut fructificem^o deo. ^m quādo nāq; eramus in carne, affectus peccatorū, ⁿ qui per legē uigebāt, efficaces erāt in mēbris nostris, ut fructū ferrēt morti. ^o Nūc autē absoluti sumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ^p ut seruiamus nos in nouitate spiritus, & ^q nō ueritate literę.

a ¶Scientibus enim legem.) Quòd ait, scientibus, cum laude dicit. b ¶Quòd lex.) Suprà dixerat, Mortui sumus peccato: quocirca non dominatur nobis, quatenus ei sumus mortui. Nunc autem cōmonstrare uult, quòd neq; lex in nos exerceat dominium. Humanū porrò exemplum in medium affert. Deinde pergens ostendit, quòd nos nō solūm mortui simus legi, uerūm quòd lex ipsa pariter in CHRISTI apparitione obierit. c ¶Dominetur homini.) Non dixit, in uirum, aut mulierem: sed, in hominem, seu homini, quò utrunq; significaret. d ¶Quoad uixerit.) Quisnam? Homo proculdubio. Defectiue igitur loquutus est. Id autem per illud perspicuum reddit, quòd appenditur. e ¶Mulier uiro subdita.) Ad uirum legem retulit, loco autē mulieris credentes posuit. f ¶Sin maritus obierit.) In exemplo uiduitatis legem supponit mortuā, at non in ipsa conclusione, ne molestam redderet orationem, tantū simpliciter differens. g ¶Soluta est à lege.) Quæ statuit de marito, eiq; uxore adnectit. Soluta, pro, absoluta est, liberata est. h ¶Itaque fratres mei.) In conclusione nequaquā legem inducit mortuam, ob id uel maximè, ne molestus esse uideretur (Iudeis nanq; loquitur) uerū credentes morte CHRISTI à lege occisos, & ob id liberatos. Si ergo mortua lege non est transgressor qui contra eam cōmittat, quando quidem Domino credit: multò sanè magis, inquit, si quis, ut nos quoq; mortui sumus, solutus

*lulus est à lege. i ¶ Per corpus Christi.) Pro no-
 bis uidelicet interemptū. Simul enim cum ipso in ba-
 ptismate mortui sumus: nec nostri sumus ipsorū, em-
 pti sumus enim precio. k ¶ Ut iungeremini.) Ceu
 mortua lege. Quapropter præuaricatores posthac
 haud inueniemur. l ¶ Ut fructificemus.) Dein-
 de ad meliorē excitat spem. Nam tum quidē, inquit,
 morti fructum afferebamus, totum illi peragētes: at
 nunc Deo. m ¶ Quādo nanq; eramus.) THEO-
 DORETI: Hoc est, uita institutum iuxta legem reti-
 nendo. Siquidem carnem, carni latas sanctiones no-
 minauit, de cibo uidelicet, de potu, de lepra, idq; ge-
 nus alijs. ALITER: In carne, id est, in carnali uita.
 Non autem dixit, in lege, ne ingratum fieret, adeoq;
 molestum: adhuc enim legem colebāt. n ¶ Qui per
 legem.) Haud enim, inquit, concupiscentiā noram,
 nisi lex diceret, Non concupisces. Ee igitur sunt affe-
 ctiones quæ per legem patefiunt. Neq; rursus ait,
 Efficaciter agunt membra, ne carnem accuset: sed, ef-
 ficaces erant, ad hoc ut fructum morti afferremus: in-
 nuens affectiones carnis per energiam satanæ extrin-
 secus accidisse, ut morti cooperarentur. Per peccata
 enim admissa morti fructificamus. o ¶ Nunc au-
 tem absoluti.) Rursus quod inuidiosum erat ui-
 tans, nō dixit, lex abolita & absoluta est, uerūm, nos
 à lege liberati sumus, hoc est, absoluti & redempti.
 Quāobrem? Quoniam mortui sumus per peccatū:
 id nanq; erat quo detinebamur: & excitati sumus nō*

per legē, sed per CHRISTVM. Planū itaq; est, quōd
à lege quidē absoluti sumus tanq̄ mortui: subditi ue-
rō CHRISTO sumus, qui nos eripuit à morte.

¶ (Vt seruiamus nos.) Deinde ne existimēt, quōd
absoluti à lege, deinceps sibi quæcunq; uelint citra pe-
riculum omne liceat perpetrare, aliud ministeriū lon-
gē exactius in medium affert, spiritus nimirum.

Pulchrè uerò, in nouitate, dixit: quoniam non ea-
dem nobis, qui in nouo degimus Testamento, mādāta
iubentur, quæ ijs qui sub ueteri in litera, quæ habeba-
tur in lege, iussa fuerūt: uerū noua atq; recentia pre-
cepta, & maiorē complexa sapientiā, ac si dixisset, ut
in seruiamus nouis, quæ à spiritu demandantur, man-
datis. Veteribus enim iussum fuerat, non occidere: no-
bis uerò, etiam non irasci. Illis porrò, non mœchari,
nobis autem ut ne uel curiose oculis circumuagemur
preceptum. ¶ (Et non uerustate.) Non enim
lex posthac nobis imperat, sed spiritus. Cū uerò ue-
tustatem dixit, marcidam legem, ac nulli iam usui ap-
ptam ostendit. Quicquid enim antiquatur, inquit, se-
nioq; conficitur, proximū est obscurationi.

^a Quid igitur dicemus? Lex ne peccatū est?
Absit. ^b Sed peccatū nō noui, nisi per legē. Nā
cōcupiscētiā nō nouissem, nisi lex dixisset, Nō
cōcupisces. Sed ^c occasione accepta, peccatū p
preceptū operatū est in me ^d omnē cōcupiscen-
tiam. Siquidē absq; lege peccatū erat ^e mortuū.

¶ (Quid igitur.) Cū dixisset, Vt seruiamus in no-
uitate

uitate spiritus, ceu spiritus seruet, lex autem minime
 seruet, inquit: Quid igitur dicemus? Lex ne pecca-
 trix est, aut peccati suppeditatrix? Id uerò, inquit,
 non adfero: sed lex mihi suppeditauit peccati cogni-
 tionem: quare grauius me cruciari etiam oportebit,
 quandoquidem per scientiam deinceps pecco. Paula-
 tim tamen ostendit, legem peccati esse constitutricem,
 non modò præter suam naturã, uerum etiam præter
 suam malitiam. PHOTII: Non dixit, Quid igitur?
 lex mortua, seu exterminata est? (id namq; est quod uo-
 lebat) cæterũ quòd ne illi quidẽ uidebatur. Quid igi-
 tur, inquit? lex ne peccatũ est? Quare infert, Absit: si
 mul et illos leuat, et legis officium nõ aufert: haud enim
 si nõ sit peccatũ, iam nec mortua et obliterata est lex;
 quod ille sanè et ostenderat, et uoluerat. Lex ne pec-
 catum est? Mutauit naturã lex, inquit, et facta est quæ
 ad peccatũ impellat? Haud sanè, inquit. Cernis quo-
 modo ubiq; peccato occurrit, omni legẽ accusatione
 liberã: Eapropter infert dicēs: Itaq; lex sancta est, et
 mandatũ bonũ. At si uultis, in mediũ quoq; sermonẽ
 illorũ afferamus, qui has adulterãt expositiones: hæc
 enim ad rationẽ manifestiora fiẽt quæ à nobis dicuntur.
 Nam quidam hoc in loco nõ hũc de lege Mosi dicere
 aũt, quæ dicuntur, sed alij quidẽ de naturali, alij uerò
 de præcepto quod in Paradiso datũ fuit. Atqui ubiq;
 Paulo scopus est, hanc statuere legem: ad illas por-
 rò nullum habet sermonem, & ualde decenter sanè.
 Id namq; uerũ Iudæi, atq; trementes, cõtra gratiam

contentiosi erant. Mandatū proinde quod latum in Paradiso fuit, nusquam legem Paulus uocasse apparet, & nedum ipse, sed neq; alius quisquam sanè. Sed ut ex ijs quæ dicta sunt id manifestius fiat, uerbis excurreamus, paulò altius sermonem repetentes. Postquam enim de rigido atq; exacto uitæ instituto cum illis disseruerat, appendit dicens: Num ignoratis fratres, legem tantisper homini dominari, quoad uixerit: ita et uos mortui estis legi. Si ergo de naturali hæc dicuntur, reperiemur naturali lege priuati. Quòd si uerū est hoc, magis quàm bruta, carebimus intelligentia. At non ita est. Nam de mandato, quod in Paradiso datum fuit, haud contendere necessarium duxerim, ne nos perfluum laborem amplecteremur, erga manifestissima certamen disputationis aggredientes. Quoniam modo peccatum non noui, nisi per legem? Nequaquam generalem id ignorantiam indicat, uerum exactior illam notitiam. Enim uero si hæc de naturali diceretur, quam ratione quòd sequitur deinceps locū habebit? Ego enim uiuebam sine lege aliquando. Neq; enim Adam, neq; ullus unquam alius homo naturali lege priuatus uixisse apparet. Simulatq; enim ut ipsum Deus plasmavit, illam quoq; eandem ei legem sanxit, naturale munimen pro custode totius naturæ apponens. Hac uerò excepta, nusquam uidetur naturale mandatum legem uocasse. Hanc uerò, & mandatum, & sanctum, & iustum dicit, & legem spirituales. b ¶ Sed peccatum non noui.) Non

dixit

dixit, peccatum non feci, nisi per legem: sed, non noui. Lex itaq; in causa est, nō peccandi, sed peccatum cognoscendi. Erudire nanq; solet, nec permittit per ignorantiam ad brutorum naturam excidere.

c ¶ Sed occasione accepta.) Haudquaquam sane in causa lex fuit peccati: sed peccatum, per mandatum quod est lex, decepit me. Perpende quonam modo paulatim ostendat, peccati ansam præbuisse legem: palàm uerò non dicit, ne illis assentiretur. Peccatum proinde hìc diabolus ipsum uidetur accipere. Perinde igitur ut Scriptura seruatorem nostrum uitam appellat & iustitiam, quòd uitæ sit autor & iustitiæ: eundem ad modum & contrariam potestatem ex propria ipsius efficacia, aliàs quidem peccatum, aliàs mendacium appellat & mortem. Sic etiã deinceps in sequentibus, quando dicit, Peccatum reuixit, diabolus indicat. Per peccatum igitur deinceps occasionem accepit diabolus: quoniam legis præcepta, ceu materiem quandam artis suæ faciens, hominem eò deduxit, ut contrarium ageret à mandatis. Planum est autem, quòd Apostolus per seipsum, omnem hominem intelligat. d ¶ Omnem concupiscentiam.) Eleganter, omnem ait: nam & priusquam lex sanciretur, erat concupiscentia. Alioqui cur diluuium uenit? cur interiere Sodoma? At nunc, inquit, etiam quas non noueram concupiscentias ex lege didici, & quas didici perpetravi. e ¶ Peccatum erat mortuum.) Mortuū, hoc est, inefficax.

Licet enim peccatū etiam ante legem fuerit efficace,
 non tamen quantū post legem: dormire nanq; uide-
 bantur peccata, & mortua esse: non enim multa no-
 ram: & cum per ignorantiam ea patrarem, nō adeo
 peccabam. Igitur peccatum quidem mortuū est, ego
 uerò in uita dego, nimirū dum nec defatigor, nec uol-
 neror, nec occidor ab eo. Quo igitur modo illud reuixit?
 Per legem. Quonam pacto? Quòd postquam lex
 sancita fuit, ad inuasionē magis magisq; illud exacer-
 batum est, & ueluti ad sui inflammationē impetū fecit:
 postquam etiam coronandum, qui seruasset man-
 datum, fore supputabat, & ob id magis irascebatur,
 inuidebatq;. Atq; ego rursus peccatum per manda-
 tum cognoscens, quasi per scientiam patrans qua-
 uitare oportuit, grauius iuxta hoc peccabam, ac ma-
 gis contra meipsum illud confirmabam, robor illi,
 per absurdum opus, cum scientia subministrans,
 & quod quasi infirmum erat & mortificatum, con-
 firmans, atq; corroborans, & exuscitans. Illud por-
 rò uiuificatum, meipsum necauit. Sed antequam il-
 lud reuiuisceret, magis ego uiuebam. Id uerò ante le-
 gem extitit & mandatum. Tametsi igitur lex ipsa
 peccatum nō sit, attamen postquam sancita fuit, duo-
 bus modis peccatum reuixit: tum illo ferocius ad in-
 uasionem rursus cōmoto atque excitato, tum etiam
 nobis per scientiam prauo absurdoq; opere illud for-
 tificantibus, ac præbentibus insidias & damna con-
 tra nos ipsos cum audacia. Verū, ut diximus, illud
 quidem

quidem reuixit, ego autem occubui.

^a Ego autem uiuebam quondam sine lege: ^b ubi autem aduenisset mandatum, peccatum reuixit, ego uerò mortuus sum: & reperi-
tum est mihi mandatum, quod ad uitam erat,
esse ad mortem. ^c Nam peccatum, occasione
accepta per mandatum, decepit me, ac per ip-
sum occidit.

^a ¶ (Ego autem uiuebam.) Quando uiuebam
sine lege? Anteq̄ daretur mandatum primis parenti-
bus, uitam in Paradiso uiuentibus. Siue ante Mo-
sen, uidelicet uiuebam, inquit. Non eram tum multi-
tudine mortuus peccatorum: tunc enim solam na-
turæ legem habebam, quæ me accusaret, nunc au-
tem scriptam. Perpendis ne quo pacto ex circum-
stantia lex nocuerit? ^b ¶ (Vbi autem aduenisset
mandatum.) Mandatum legem uocat. Cum ue-
rò ait, reuixit, ostendit fuisse quidem peccatum, sed
quietum permansisse. Lex autem, ut quæ nos affi-
ciat beneficio, manifestauit istuc, ut auersemur il-
lud: sed circumstantia eis obsuit, qui non effuge-
runt. Quæ igitur ad uitam mihi data fuerat (ea e-
nim eius natura fuit) ad mortem mihi obtigit, pro-
pter nostram socordiam, non autem propter sui na-
turam. ^c ¶ (Nam peccatum.) Eadem rursus mul-
tifariā probat: nec iniuria sanè: magnā namq; gloriā
lex habebat. Ostendit itaq; nihil eam utilitatis con-
tulisse, sed circumstantijs plurimū attulisse detrimēt.

Hoc autem facit, ut & gratus sit, dum prædicat legem esse deserendam, & ad fidem CHRISTI accurrendum. Cum enim supra dixisset, Occasione accepta peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: addit, Non solum omnem in me concupiscentiam operatum est, imò & necavit me, quippe cum mihi ad mortem cesserit. Deinde iuxta morem suum, ad causas causas copulandas, & rerum consequentiam in uerbis quoque ostendendam, recurrit, & ponit, quoniam pacto omnem concupiscentiam operatum sit, & ait: Occasione accepta seduxit me. Postea id quod antea dictum fuit, hinc intelligendum reliquit, quòd ex eo concupiscentiam operatum sit: & eo omisso, finem adnectit, Et occidit: ut sit per continuationem, si quis acciperit, ita ab eo dictum: Occasione accepta peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: concupiscentiam, inquam, operatum est fallendo. Cum uerò concupiscentiam operaretur, occidit me. Est igitur impostura, concupiscentiæ causa: concupiscentia uerò, mortis. Concupiscentiam autem operatum est peccatum per ipsum mandatum, ut palam fiat ipsius mortalitatis excellentia, dum per bonum pessime operatur.

Itaque^a lex sancta,^b & mandatum sanctum, & iustum, & bonum. Quod igitur bonum est, factum est mihi mors: Absit.^c Imò peccatum, ut^d appareret peccatum, per bonum mihi mortem operatum est, & ut fiat maiorem in modum peccans peccatum per præceptum.

a ¶ Itaq; lex sancta.) Sancta est lex, quoniam seruabat ab immunditia eos qui illam seruassent. Iusta, quoniam dona illis retribuebat qui rectè gessissent: supplicia uerò transgressoribus inferebat. Bona, quòd neutiquam supplicijs gaudens, ceu ira utens puniebat: uerù salutis eorum causa, utilitatis, & perfectionis. Huc accedit, quòd parua studiose operantibus magna elargiebatur, peccantesq; fouebat & amplectebatur, & non pro delictorum meritis poenas exigebat. At ipse interim hæc præteriens, ex his concludit, sanctam, & iustam, & bonam esse legem, siue mandatù, cum propterea quòd me docuit nosse peccatum, idq; fugere imperauit: tum quòd satagens curamq; gerens id fecit. Ad uitam siquidem & salutem hæc mihi egit. Sancta itaq; est, quòd docuit, & impuritatem ipsam uitare mādauit. Iusta uerò, quòd cum docuerit ita, poenas ab ijs qui non seruauerint, expectit. Item uerò bona, quòd uitam hæc mihi prouidendo perficit. ET aliter: Non enim legis naturæ erat, quòd mihi nocuisset: sed nostræ, inquit, malitiæ atq; socordie, quòd demandata iniunctaq; nobis non custodiimus. b ¶ (Et mandatum sanct.) THEODORETI: Legem, Mosaicam dicit: mandatum uerò, illud quod Adæ in Paradiso fuerat mandatù. Sanctum porro, ut quòd quid æquum, quid decens esset doceret. Iustum autem, quòd rectè transgressoribus sententiam ferret. Bonum uerò, ceu uitam obseruantibus ipsum impertiens. c ¶ (Imò peccatum.)

PHOTII: Quoniam peccati magnitudinem ostendere cupiebat, illo autem prius omnino inuenire nihil poterat, per idem ipsum magnitudinem ipsius demonstrans, inquit: Sed peccatū, ut appareret peccatum, hoc est, ut detegeretur omnis ipsius malitiae plenitudo, roburq; ipsius quod est in ipso: uidelicet, ut quicquid est, totum, totum fieret manifestum. Nam cum in alijs excellentiam aliquam uolumus probare, possumus aliud aliquod ei asserere quod uituperamus: ut, Adeo scelestus fuit Cain, ut fratrem interfecit, ut Deo etiam prius mentitus fuerit: & similia. Et rursus: Neque post tot prodigia monstrata inflexus fuit Pharaon ut dimitteret Israēlitas, ut ipsius mens crudelis & indomita, & quae Deū oderat, manifesta fieret. Et in alijs eodē modo. Licet enim aliquid prius inuenire ijs de quibus agitur, cuius qui prauē agunt, cum partē aliquam habeāt, iuxta illud appellatione accipiūt. In peccato autē, quia, ut diximus, ipso prius nihil licet inuenire, ipsum in seipso accusauit, eiusdemq; superbiam & mores tyrannicos ac pertinaces amari & asperere ostendit. Quia uerò obscurius quodammodo dictum esse uidebatur, propter eiusdem nominis repetitionem, rursusq; mutato nomine id quod apparuit ingens & acre soluebatur, denominat, nec penitus à nomine recedit: ei uerò quod exolui uidebatur, uim intulit additione illius, supra modum. Et ita ad maiorem declarationem, simulq; aequē uehementem, & asperitatis indicatiuū sermonem mutans, inquit:

Vt fiat maiorē in modum peccans peccatū. d ¶ Vt
 apparet.) Vt, inquit, demonstraretur q̄ scelestū, ma-
 lum, improbū, ualidū, et forte peccatū sit: per bonū,
 hoc est, per ipsam legem mortem operatū est. Maxi-
 mum proinde peccati robur indicat, ob oculos nobis
 ponere uolens, CHRISTI bonitas & donū quantū
 sit, quippe quod nos à tam forti, à quo nemo effuge-
 re liceat, liberauerit. e ¶ Vt fiat maiorē in mo-
 dum.) Vt ipsius, inquit, appareat omne uenenū, o-
 mnisq; malitia. Quod enim ait, supra modum, per
 excessum exaggerationemq; dictum est: id nanque
 per uerbum, fiat, ostendit, ut dum factum fuerit ma-
 nifestetur, ut propter hoc uidelicet ipsum uitaremus.

^a Scimus enim quod lex ^b spiritualis est, ^c e-
 go autem carnalis sum, ^d uenditus sub pecca-
 tum. Quod enim operor ^e non noui. ^f Non e-
 nim quod uolo, hoc facio: sed quod odi, hoc
 ago. ^g Si autem quod nolo, hoc facio: consen-
 tio legi, quod bona sit. Nunc autē nō iam ego
 operor illud, sed ^h quod habitat in me peccatū.

^a ¶ Scimus enim.) Cū dixisset, legem cau-
 sam esse peccati, tametsi id non sit ex natura sua: ut
 ne estiment quicquam ipsum contra legem dicere,
 non solum ipsam ab accusatione liberat, uerum-
 etiam laudat. Accusat autem eos, qui legem ipsam
 non seruarunt. Lex, inquit, magistra uirtutis est,
 uitiorum debellatrix. ^b ¶ Spiritualis est.)
 Spiritualis, hoc est, donum sancti spiritus est.

ac ueluti attestatio. OECUMENII: Seu spiritualis est, quod quæ ipsius spiritus sunt, ipsa uelit, & quæ animæ cōducant requirat: at ego quod carnis concupiscentias sector, carnalis sum. Non autem dixit, Vos qui lege utimini, & eam præuaricamini: ne duram molestamq; redderet orationem: sed, ego, inquit: illorum affectus in seipsum transferens: & deinceps quoq; ita facit, molestiam soluens ac uehementiam, necnon per figuratum sermonē in semetipsum, molliens. c ¶ (Ego autem carnalis.) Homo ipse, nō in quantum homo est, sed in quantum sic nosmetipsum egimus, sub concupiscentiam, inquit, carnis positus, ac ea peragens quæ corpori placent. d ¶ (Uenditus sub peccatum.) Nam cum morte, perturbationum pariter subijt cœtus, ut ira, tristitia, cōcupiscentia mala: his, inquit, traditus sum: id enim est, uenditus. Traditus autem sum perturbationibus, origine trahentibus ab Adæ præuaricatione. e ¶ (Non noui.) Deinde dicit, quomodo uenditi sumus sub peccatum. Non, inquit, noui quomodo decipiar, ac rapiar ad peccatum: furtim, inquam, rapior, ut propemodū me lateat quidnam patiar. PHOTII: Postquā uenditus fuerit homo, & factus sub peccatum, ignorat quidnam operetur, cōsuetudine turpitudinis in eum absolute dominante, & ne uidere aut cognoscere quidem permittente, quod illud idem quod agit, malum sit. Eapropter etiam quod odisset, si quidem nō uenditus, sed liber esset, & quod profectō nulla ratione proba-

probaret, hoc uēditus iam eligit, & perpetrat. Quòd
 si liber essem & non uenditus, & iuxta naturæ instin-
 ctum nullo modo eligerem quæ nunc opere patro,
 testimoniū perhibeo legi, quòd bona sit: ea nanq; mi-
 hi uitāda decernit, quæ ipse quoq; si in libertate es-
 sem naturali, iudicarem cum fugiēda, tum odio pro-
 sequenda. Nunc uerò, inquit, uenditus, ac sub pecca-
 tum prolapsus, quasi ab illo per auctoritatem ac domi-
 nationem pressus, seruiens illi, ita malū operor: quod
 nequaquā operarer, si in libertate essem. Propterea mo-
 do quodam non ego sum qui illud operor, uerū is qui
 peccati dominio premitur ac tenetur. Expressius au-
 tem ipse ait, Sed quod habitat in me peccatum.
 Enim uero quemadmodum qui domū habitat, ille om-
 nia quæ ad domum pertinent, agit, tametsi in nōnul-
 lis domo ipsa utatur adiutrice: haud dissimili modo,
 inquit, postquam acceperit me traditum sibi atque
 uenditum, habitauit, totumq; sibi ipsi uendicauit, ac
 bonum illud quod in carne mea erat, fugauit: hoc est,
 eorum cognitionem quæ ago, resipiscentiam à pecca-
 tis, & si quid est aliud huiusmodi. Deinde uerò ait,
 Nam uelle adiacet mihi: nō autem inquit, penitus ex
 me ipso exiui, ut neq; omnino quod bonum est cogno-
 scam, neq; ipsius desiderio capiar, sed aliquando ad
 ipsum excitor. Propterea dixi, adiacet mihi: hoc est,
 apud me, prope me est, qui licet à mortuis minimè di-
 stem, excitor tamen dum illud mihi præstò est: sed quo-
 niam peccati tyrannide premor, propositum ipsum

ad finem usque perducere non praeualeo. Vel igitur ut dictum est, uel etiam sic ea, quae dicta sunt, accipienda uidentur. ET ALITER: Nō noui, uenditus inquam. Non enim quod uolo liber existens, hoc facio nūc uenditus, sed quod odi liber existens, hoc ago uenditus: cōtestor legi, dum liber sum, quòd bona sit. Eadem enim cum ea tunc uolo, & non quae facio nunc. VEL etiam sic: Non enim quod uolebam, ac nouissimè paulò antè contigit, id ipsum nunc ago, sed quod oderam. Igitur quoniam ea, quae oderam, facio, tametsi facio, propterea tamen quòd oderam, quòd bene loquatur lex testimonium perhibeo, & quòd bona sit. Vnde perspicuum est, quòd uenditus sum sub peccatum? Ex eo quòd haud noui quidnam agam. Liber autem, ab eiusq; dominatione solutus, noui quid agere me oporteat, cum à naturali, tum à scripta lege edoctus: sed spontè peccato me ipsum subiiciens, sub eius iure sui constitutus, ac planè diuenditus, & ob id non noui quid operer. ¶ (Non enim quod uolo bonum.) Non hoc dicit, Peccatum me uel inuitum cogit, mihiq; ipsi uim facit: uerùm deceptionem eius ostendere uult, & quomodo dulcedinem quandam sensibus inspirans, eos corripiat: quandoquidem se penumero quam rem uitupero, quamq; odi, in eam ipsam corripior. ¶ (Si autem quod nolo.) Non exiguum legis praecōnium dicit. Quòd enim peccatum nolim, à legis doctrina habeo: qua igitur ratione lex causa mali

sa mali est, quæ doctrix est, doctrix inquam boni? Causa uerò ille est, qui ad eò malus est, ut ob temporariam peccati uoluptatem illa etiam agit, quorum & ipse accusator est, cum antequàm agat, tum postquam egerit. h ¶ Sed quod habitat.) Et quomodo peccatum operatur istud? Suauitas, inquit, mihi obijcit, sicq; me decipit, ne in ijs perseuerem, in quibus decreui atq; constitui.

^a Noui enim quòd non habitat in me, hoc est, in ^b carne mea, bonum. ^c Nam uelle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. ^d Non enim quod uolo facio bonum, ^e sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo ego, hoc facio: non iam ego perpetro ipsum, sed ^f inhabitans in me peccatum. ^g Reperio itaque per legem, uolenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiunctum sit.

^a ¶ Noui enim.) Arbitrij libertatem ostendere uult, & quòd homo dominus sit, ut ad utrunque tendat, ad bonum inquam & malum. Ait itaque: Non habitat in me bonum: non est certum ac determinatum, neque necessitate ulla situm in me, hoc nempe ut bona persequar, ita ut etiam me ui quadam ad mala pertrahat. Id enim est habitatio, perpetua mansio, ac ueluti confessio ac residentia. ^b ¶ In carne mea.) Eam, inquam, carnem dicit, quæ post transgressionem per peccatum inhabitata est. Ita sanctus

Methodius in sermone de resurrectione. c ¶ Nam uelle.) Voluntas quidem est mihi, non autē facio, ob celerem peccati correptionem ac raptum. Corripit enim me, & ita furatur, ut non ea peragam, quae à me laudantur, sed quae potius uituperantur.

d ¶ Non enim.) Ostendit tantam esse peccati deceptionem ac fraudem, eiusq; persuasionem, quod, inquit, studium mihi est faciendi bonum, & nihil agendi malum: nihilominus me concupiscentia inuadit, captiuum me ducens, ac persuadens, ut quae mihi placuerūt posthabeam, conatusq; meos bonos intermittam, & quae ipsius sunt perpetrem. e ¶ Sed quod nolo.) Ferè enim præter uoluntatem meam ad malum rapior, ut totum peccatum ex demonibus suggerentibus sit. Isti enim simulatq; loci exiguum occa-

pauerint ob socordiam nostram, totum subuertunt.

f ¶ Sed inhabitans.) De bono quidem non dixit, habitationem: de malo autē dixit. Ex frequenti enim peccandi actu, consequenter deinde ad habitum deuinimus. Nimia enim consuetudo instar naturae est.

g ¶ Reperio itaque.) Obscurum est quod dixit, quantum ad ordinem uerborū. Est autem huiusmodi. Laudo, inquit, legem secundum cōscientiam meam: atq; ipsam legē deprehendo me, si quando boni quicquam facere delegero, ad hoc adhortantē. Quid igitur deinceps? Malum, inquit, ago. Nam malum mihi adiacet, id est, sedulò mihi agglutinatum est, ut ne uolenti quidem mihi bonum agere, idonea sit lex ad au-

liandum. Nam præter adhortari nihil ualet. Igitur à lege abstinendum (hoc enim hic efficit Paulus) CHRISTO quæ accedendū, ei quæ attendendum, qui non adhortatur tantum, uerum etiam tollit præteritū delictum per baptisma, deinde uerò seruat et opitulatur.

ALITER: Difficilem esse per actu legem relinquatur, quando quidem etiā uolens facere bonū, nō possum: inuenio ipsam haud facile posse seruari. Nā uolenti mihi facere bonū, malū est magis in procinctu: uel, quia et legi et uolūtati meæ malū resistit. Patrocinari itaque bonis lex inuenitur. PHOTII. Aliter: Ex ijs, inquit, quæ locutus sum, et ex ijs quæ animaduerti, hoc à me concluditur, et hoc inuenitur. Quodnam? Esse legem quidem ad bonum, uolenti mihi facere bonum: id quæ solum præstat et largitur. Malū namque reperio, quod eundem mihi ad modum præsto fit, et nihil emolumenti ex lege nactus sum, præter quod quod nocumenti potius nō nihil sum passus: quandoquidem ut cohereret, adiaceret, et ueluti adisteret mihi propius malum, occasionem præbuit. Lex itaque tantum, inquit, ad bonum data est mihi: nihil porro aliud efficiebat. Vnde planum est? Quod malum mihi nihilo secius adiacet. Reperio igitur legem bonam: ut illud, Bonū, sit per hyperbaton, et repetatur uerbum, Reperio. Reperio, inquit, legem bonam mihi, si quando bonum facere disposuero. Cur ergo illud nō perficis? Quod malum prope me est. Itaque quicquid lex boni habet, in sola legislatione sitū est: at non etiā

ad liberandū à malo, seruandūq; uires ipsius extenduntur. Quare aufugiendum ab ea est; & ad CHRISTVM confugiendum. VEL sic potius intelligito: Reperio igitur legem, hoc est, animaduerti & cōfite rari, atq; deprehendi uim legis atq; naturā, eamq; diligentiū exaninaui, quòd nihil mihi emolumentū auxiliū afferre potuerit. Vnde liquet? Quòd uolenti mihi facere bonū, nihil suppeditat auxiliij: sed similiter malum mihi adiacet, quòd hanc ipsam mihi uoluntatē infectam reddit. In hoc igitur exactè reperi, uires legis quantæ sint, quæq; sit natura ipsius, dum in me, si quando bonū facere disposuero, inuenio malum mihi adiacere, & esse præstò, nec ex me ab ipsi lege expelli ualeat. Et quæ deinceps à Paulo dicentur, erunt quoq; duarū, quas supra diximus, disputationum cōmentationumq; assertiua, dum sensus uterq; locum habet, conseruetq; consequentiā immunitē à omni impedimento. Potest autem & hoc modo germanius lectioni accipi. Reperio, uolenti mihi facere bonū secundū legem, quòd malum mihi adiacet. Etenim qui secundum Euangeliū bonū facere uolunt, non reperiunt malū sibi adiacere: nam per baptisimū exclusum est. Oportet igitur per baptisimū ad CHRISTVM, lege relicta, accedere. Acciperes sane & hinc ad modū nō ab re. Inuenio legē nō solū quasi concertantē, auxiliantē, uerū etiā consonā uolētī mihi bonū. At qui opusest cōsonātia, siue auxilio? Multū inquit propterea quòd malū mihi adiacet, & militat ex aduerso,

uerso, & bellū ingerit: & quæ sequuntur. Idipsum igitur planū reddit ac manifestū, quonā pacto cōsona sit lex, quoq; addatur malū. Oblector enim lege Dei: igitur iuxta hoc mihi est cōcors, & modo quodā mecū, ut opem ferat, pugnat, licet inualida sit ad auxiliū cōferendū: oppugnante siquidē ex aduerso altera lege, nimirū peccati, neutiq; sustinet, uel suppeditat auxiliū, etsi ipsam uelim, eaq; oblecter: sed discedit omni desituēs auxilio, et cū per me mihi nō sufficiā, captiuus ducor. Erit quoq; si ita constructio fiat, eorū quæ dicta sunt manifestior intellectus. Reperio itaq; uolenti mihi bonum, hoc est, legem ipsam (quod malum mihi adiacet) uolenti mihi facere bonum, ueluti adhortantem, consiliūq; porrigentem.

^aOblector autē lege Dei secundū ^binternū hominē. Video autē aliā legem in membris meis, oppositā legi mentis meæ, ^ccaptiuūq; me reddentē ^dlegi peccati, ^equæ est in membris meis.

^a ¶ Oblector autē lege Dei. Quatuor sunt leges de quib. in hoc loco disputat. Prima quidē est lex dei, de qua inquit: Oblector enim lege Dei. Secūda uerò, quæ opponitur et reluctatur legi Dei. Tertia, de qua inquit: Legi mētis meæ. Quarta, de qua ait: Legi peccati, quæ est in mēbris meis. Harū prima Euāgelij est institutio extrinsecus per prædicationē ingrediēs, animā nostram ordinās et cōponens. Altera est, quæ huic opponitur & reluctatur: hæc forinsecus accedit iuxta operationē maligni, per rationes & cogitationes

& animam ipsam captiuam facit. Tertia, quam dicit
 legem mentis: & hæc est quæ à conditore nostræ na-
 turæ insita est et inspersa, ad ea quæ Deo grata sunt,
 excitans. Quarta, peccati lex: hæc est peccati amans,
 quæ per assuetudinem ad malum, indurauit in nobis
 peccata. Expende igitur quomodo in tam ex diame-
 tro pugnantibus legibus incedamus. Harum nanque
 duæ extrinsecus nos adeunt, altera quidem ad boni
 operationem uocans, hoc est, Euangelica: altera ue-
 rò ad malitiam incitans, lex inquam maligni, quæ E-
 uangelicæ reluctatur atq; opponitur. Reliquæ uerò
 duæ intus sunt, & intrinsecus animam cohibent: al-
 tera quidem lex mentis, à conditore nobis in ipsa crea-
 tione inspersa & insita, & ad meliora nos ducent.
 quarta uerò, quæ & lex est peccati, ob consuetudinē
 & habitum ad malum, infixata nobis est. Proinde ani-
 maduerte, quàm scitè & accuratè loquutus sit: Videt
 autem, inquit, aliam legem oppositā, reluctantem
 legi mentis meæ, mihi ad bonum insitæ, meq; capti-
 uum reddentē legi peccati, quæ est in membris meis.
 Aequè ac dixerit: Forinsecus adspirans, cōmouet &
 irritat omnes in me repositas sordes & sterces, quæ
 mihi consuetudo peccati fœdè iniecit & iniunxit. ET
 ALITER. Tres sunt leges: scripta, quam legem Dei
 uocat: altera, quæ nobis insita est, quam dicit legem
 mentis: tertia, quæ per peccatum in membris nostris
 uim obtinuit: quam etiam aduersari dicit, in q; nostris
 artibus robur reluctandi habere. Porro legē hanc,
 quasi

quasi ualidam atq; robustam dicit, & quæ, qui sibi
 obediunt, habeat plurimos. Hæc item, inquit, lex est,
 quæ à peccato profecta, nostra ingressa est membra:
 & dum contra me luctatur & militat, captiuum me
 ipsum efficit. At quomodo? Enim uero quoniã relu-
 ctæ meminit, ne fortè suspicareris quòd iurè captiuum
 faceret ac lege belli, infert, & ait: Legi peccati. Haud
 iuste inquit? Absit. Quale enim ius dixeris, seruum
 alienum ac creaturam sibi ipsi uendicare & usurpa-
 re? Sed quo modo? Lege peccati: uidelicet iuxta pro-
 prietatem peccati captiuum me reddit, iuxta ipsius
 peccati morem, ex impudentia, ex uiolentia multa,
 ex insidijs, ijsq; clandestinis, & non aperto Marte, et
 manifeste: uerum decipiens, captiuumq; faciens. De-
 inde ne quis diceret: Totum igitur illi est imputan-
 dum quòd captiuus ducor: siquidem & captiuum me
 facit, idq; efficit consuetudine ipsa sua peccandi, insi-
 dians, & occultè decipiens: addit, In membris meis.
 hoc est, quòd fuerit in eis peccatum collocatum, inq;
 eis insederit, meum est: & quæ sequuntur. **ITA** san-
 ctus Methodius in concione de resurrectione: Lex
 enim Dei Euangelica, mouet & exuscitat quæ in no-
 bis sunt instita & inspersa à conditore Deo ad boni o-
 perationem semina. Nam quælibet legum forinsecus
 accedentium, propriam & mutuam interiorum in no-
 bis legum mouens & prouocans, aut piè, aut impiè
 agere nos adhortatur. **b** ¶ Secundum internū
 hominem.) Internum hominem, mentem, aut ani-

mam uocat. Ait itaq;: Nō uult profectō mens mea agere quæ lex dicit: sed ipso tempore peccati, per peccatū corripior. Hęc enim aliā legē appellat, eō quōd peculiaria quædā, et ea quæ sint extra legē, imperet. Hęc itaq; lex, siue peccatum, decipit me ob infirmas membris nostris ac nobis ipsis concupiscentias, meq; captiuum ducit. Nam concupiscentiam, quæ in nobis est, ut conferat, atq; cōmodet, ad incōmodum uertens peccatum, nobis ipsis contra nos pro armis utitur.

c ¶ Captiuumq; me.) Eleganter ait, Captiuum ducentem me: pugna enim excitata inter peccatum, legisq; mandata, hoc est, ratione contradicente peccato, ab ita uictoriam referens peccatum, captiuum agens calamitosum hominem.

d ¶ Legi peccati.) Legem peccati, periphraſticē ipsum peccatum uocat.

e ¶ Quæ est in membris.) Quæ per membra mea, inquit, bellum mihi ingerit. Id uerō non est corporis culpa. Neque enim si regiam quisquam tyrannus occupauerit domum, ipsius iam hoc causa domus est.

Miser ego homo. ^a Quis me liberabit ex corpore mortis huius? ^b Gratias ago Deo per IESVM Christum Dominum nostrum. Itaque ego idem ^c mente quidem seruius legi Dei, ^d carne autem legi peccati.

^a ¶ Quis me liberabit.) Quis me, inquit, liberabit ex corporalibus meis actionibus, spiritualem mortē adducentibus? Aut quis me liberabit, ut nō ar
ripiat

ripiar à cupiditatibus, quæ sunt in corpore meo, quæ nobis mortem adducunt? Quis, inquam, alius præter CHRISTVM? Id enim clam indicat. Gratias ago deo, qui me per Dominum nostrum IESVM Christum liberavit. Neque enim lex me liberat, neque mea uoluntas, quantumuis hoc conetur. **b** ¶ Gratias ago Deo.) Gratias, inquit, ago Deo, quoniam ipse me nimirum liberavit per mortem filij sui. **c** ¶ Mente quidē seruo.) Quantum, inquit, ad uoluntatem meam attinet, quod supra dicebat, Oblector enim lege Dei secundum internum hominem. **d** ¶ Carne autem.) Peccatum siquidem per carnem, carnisque cupiditates, quæ sua sunt facit.

CAPVT VIII.

Nulla igitur nunc condemnatio est ijs ^b qui sunt ^c in Christo Iesu, qui non iuxta carnem ambulant, sed iuxta ^d spiritum. Lex enim ipse spiritus uitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis. Impossibile itaque legis, ea ^e parte quæ imbecillis erat per carnem, Deus misso suo ^f ipse filio, & in similitudine carnis peccati, & ^h de peccato condemnauit peccatum ⁱ in carne, ut ^k iustitia legis impleatur ^l in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

a ¶ Nulla igitur.) Lex quidē hunc, inquit ad modum facit: CHRISTVS uerò non modo à præteritis nos liberavit peccatis, uerumetiam in futurum tales reddidit, qui captiui teneri non possumus. Id enim

illud præ se fert: Nulla igitur condemnatio nunc: hoc est, nulla propter peccatū damnatio. **b** ¶ (Iis qui sunt.) Quid igitur? nulla condemnatio, neq; peccatum nunc? Hoc iam confirmat. Nulla, inquit, sed illis tantummodo, qui non suapte sponte carnalem uitam uiuunt. Si enim solummodo spiritualiter uiuere elegerint, nō peccabunt. Porro in lege, neq; qui recte uiuere uoluit, potuit, nemine adiuuante, neq; confortante. **c** ¶ (In Christo Iesu.) Hoc est, qui sunt in CHRISTI fide, qui uitam eligunt spiritualem. **d** ¶ (Sed iuxta spiritum.) Quemadmodum legem peccati, peccatum appellat: sic & legem ipsius spiritus, spiritum: quem dicit uitæ esse suppeditatorem a datorem. Hoc igitur est quod dicit, Spiritus per IESUM CHRISTVM (ipse nanq; CHRISTVS auctor est cur nobis impertiatur spiritus donū: idem nobis soluit peccatū, & attrahit, quatenus homo est, spiritum quē nobis cōmunicet) liberauit me cū a peccato, tum inde emergente morte, ducens nos ad optima quæq;. Lex spiritus uiuificantis, hoc est, ipsius spiritus, qui uiuificat, à lege peccati mortificatis, id est, peccati mortem inducentis. **e** ¶ (Ea parte.) Vides quòd legem non condemnet? Non enim dixit, Præuitatem legis, in qua mala cōmittebat: sed, impossibile, & in quo erat imbecillis. Perinde ac si dicat: Voluit quidem seruare, sed non potuit: in ea, inquit, parte imbecillis erat. Per carnē, inquam, ægrotabat: hoc est, per ipsius superbiam. Non enim carnem uituperat.

rat. f ¶ (Suo ipsius filio.) Suprà confirmabat nos, per spiritū liberatos, nunc per filium dicit. Nam cōmuni sanctæ Trinitatis beneuolentia salui facti sumus. g ¶ (In similitudine.) Quòd ait, in similitudine, non ad illud respicit, nempe carnis, sed ad illud, carnis peccati. Haud enim aliam atq; diuersam à carne hac nostra sibi ipsi asciiuit: minimè: uerū non peccatricem assumpsit carnem, sed sine peccato. Perinde ac dicat, in similitudinem peccatricis carnis, sed absq; peccato. Sanctus Cyrillus lib. 15. aduersus Iulianum: Corpus, inquit, CHRISTI nō erat peccati corpus, sed similitudo carnis peccati. BASILII ex epistola ad Sozopolitanos: Apparuit Dominus, naturalibus quidem susceptis affectibus, ad cōfirmationem ueræ, & non imaginariæ humanitatis: affectiones tamen illas, quæ à prauitate manant, quæq; puritatem uitæ nostræ sordibus conspergere ac defœdare solent, uti deitate indignas, reiecit. Eapropter dictus est in similitudine carnis peccati uenisse. Carnē itaq; nostrā cum naturalibus suscepit affectibus, peccatum autem admisit nunquā. h ¶ (Et de peccato.) Non simpliciter, neq; inexploratè dixit, Quemadmodum potest, & pro potentia sua condemnauit peccatum: sed cum primū monstrasset, quòd maximè peccatum ipsum peccauerit, hoc illud insinuat, quod ait, & de peccato, ostendens admodū impudenter peccatum ipsum delinquere. ALITER: Bisariam accipi potest. Vel punctum hoc in loco figentes, ut ita ha

beatur sensus: Misit Deus filium suum in similitudi-
 ne carnis illius, quæ peccatis oppleta erat: atq; de pec-
 cato, hoc est, peccati causa: & ut illud è medio tolle-
 ret, nosq; ab eo liberaret. Qua igitur ratione ipsum
 abstulit: cõdemnando illud? Nõ enim simpliciter ac li-
 berè, sed subditũ illud mōstrans, percussum, & captũ.
 Quomodo igitur captum fuit, & uictum? In carne,
 hoc est, per carnem eius. Inuadere enim eam uolens,
 sed nõ ualens, captũ fuit ac uictum. Aut igitur sic ac-
 cipiendũ, hĩc punctum figentes: aut copulantes idem
 sequentibus, ut hic reddatur sensus: Et de peccato cõ-
 demnauit peccatum: hoc est, quoniam supra modum
 ipsum peccatũ deliquerat: id est, quoniã per bonum,
 malũ ad finem usq; cõpleuerat: quippe quòd in supe-
 rioribus dixerat, supra modum, & per excellentiam
 sit peccans peccatum. At id quo ordine factum est:
 quo condemnatum fuit peccatum? Per carnem eius,
 inquit. i ¶ (In carne.) In carne, hoc est, per car-
 nem. Hoc enim admirabile est, quòd per carnẽ, que
 iam olim obnoxia erat peccato, ipsum condemnauerit.
 Quo modo? Cũ illam peccato inanem seruauerit
 & uacantem. Hac enim ratione & uicit peccatũ,
 & puniuit. Punitio autem peccati, eiusdem est abla-
 tio, & inter necio. Hacq; ratione, dum peccatum su-
 stulit, exhibuit se Deo. k ¶ (Ut iustitia.) Et ut ne-
 quis dicat, Ecquid hoc ad nos attinet? inquit: Hec
 CHRISTVS fecit, ut scopus legis (hic enim iustifica-
 tio est) impleatur in nobis. Quis uerò legis est sco-
 pus?

pus: Vt ne fiamus obnoxij execrationi, impleatur au-
tem in nobis. Quibus? Illis qui nolūt secundū carnem
porrò uiuere, sed secundū spiritum. Vt enim ne di-
cas, CHRISTVS uictoriā obtinuit, nec opus est por-
rò nostudò uiuere: adiecit, ^{lis} qui non secundū car-
nem ambulant. Perinde quasi dicat: Scopus ac finis
legis per CHRISTVM sanè partus est ac exhibitus,
uerūm nobis etiam opus est. CHRISTVS nanq; ui-
ctoriam nobis imperijt & coronam: nostra proinde
interest ea posse retinere, quæ nobis sunt tradita, per
bonam uidelicet conuersationem & fidem. Hoc enim
est quod ait, Secundū spiritum.

² Qui enim sunt secundū carnem, quæ car-
nis sunt sapiunt: qui uerò secundū spiritum,
^b quæ sunt spiritus. Nam ^c affectus carnis,
mors est: ^d affectus autem spiritus, uita & pax:
propterea quòd ^e affectus carnis inimicitia est
aduersus Deum: ^f legi enim Dei nō subditur,
& neque enim potest. ^h Qui uerò in carne sunt,
Deo placere non possunt. ⁱ Vos autem non es-
tis in carne, sed in spiritu: ^k siquidem spiri-
tus Dei habitat in uobis. ^l Quòd si quis spiri-
tum Christi non habet, hic nō est eius. ^m Porrò
si Christus in uobis est, ⁿ corpus quidem mor-
tuum est propter peccatū, ^o spiritus autem ui-
uit propter iustitiam. Si autem spiritus ^p eius
qui excitauit Christum à mortuis, habitat in
uobis, is qui excitauit CHRISTVM ex mor-
tuis, ^q uiuificabit & mortalia corpora uestra,

propter^r ipsius spiritum inhabitantē in uobis.

a ¶ Qui enim sunt secundūm.) Qui, inquit, carnalibus sese cupiditatibus dederunt, ijs etiā uicē sunt intenti. b ¶ Quæ sunt spiritus.) Verbum repetas, sapiunt. c ¶ Nam affectus.) Affectum carnis uocat, terrestrem mentis impetum, conatumq̄, ac raptum ad absurdas operationes. Hæc uerò non est carnis calumnia: nō enim dixit, natura, sed affectus, qui potest etiam corrigi. Porro quòd ait, affectus spiritus, rationē dicit, cogitationēq̄; illam, quæ in nobis spiritu cietur. d ¶ Affectus autē.) Vita, quatenus attinet ad hoc quòd dixit, Affectus carnis mors est: pax uerò, quatenus attinet ad ea quæ sequuntur. Nam affectus carnis inimicitia est in Deum. e ¶ Affectus carnis.) Affectus carnis, nō ipsa est caro, uerūm ipsius ad intemperantiam impetus. Sic etiam sanctus Methodius in concione de resurrectione ait. f ¶ Legi enim Dei.) Causam dixit inimicitie, quòd legi diuine non obtemperet.

PHOTII: Rectè ait, affectum carnalem legi Dei nō esse subiectum. Nam quantum planum est quòd non sit subiectus, tantum etiam præterijt, alienusq̄; ab homine factus est, neq; omnino est: itaq; ne hunc quidē etiam ad modum subijcitur. Quī enim fieri potest, ut qui omnino nusquā est, uel obstet cuiquam, uel subijciatur? Nulla itaque omnino ratione legi Dei subijci potest. Quis ergo subijcitur? Homo, in quo carnalis affectus situs est: imò ne uel ipse quidem, quandiu carnalis

nalis adest affectus. Cumq; uerò abiectus ille per pœ-
 nitentiam fuerit & propulsus, tunc ipse homo & be-
 ne operatur, & legi Dei collum submittit. g ¶ Ne-
 que enim potest.) Ne perturberis, cum audis, Ne-
 que enim potest. Nō hoc dicit, quòd carnalem affe-
 ctum habens, Deo placere nunq̄ possit: sed, quòd si
 in eo perseveret, non possit Deo subijci: alioqui quo-
 modo alij pleriq; resipiscences seruati essent? Haud
 enim affirmat istud, quòd affectu carnali imbutus nō
 possit Deo subdi: uerum enim affectus ipse, qui nihil
 reuera est aliud, quàm praua ipsa opera. h ¶ Qui
 uerò.) Quinam uerò sunt isti, qui in carne sunt? Ii
 nimirum, in quibus carnis affectus uiget. Id enim per
 mutuum respectum dixit. i ¶ Vos autē nō estis.
 Ob datam uobis, inquit, Dei gratiam, non estis in car-
 ne: hoc est, in carnalibus, peccatricibusq; operationi-
 bus, sed in spiritali affectu. k ¶ Siquidem spiri-
 tus Dei.) Haud est ambigentis particula hæc, si qui-
 dem: sed persuasi, adeoq; certi, ac si diceret: Quoniã
 quidem spiritus Dei habitat in uobis. Quemadmodū
 in eo loco, ubi dicitur: Siquidē iustum est apud Deū,
 reddere affligentibus uos afflictionē. Nam ibi etiam
 coniunctio, Siquidem, pro Quoniam posita est. Ali-
 ter, PHOTII: Animaduerte, obsecro, quonam mo-
 do inquit, Siquidem spiritus Dei habitat in uobis. Ac
 rursum: Si CHRISTVS in uobis est, ubi enim una ex
 personis sanctæ Trinitatis est, ibi adest Trinitas tota.
 Postea inquit, Quoniam CHRISTVS in uobis est:

uidelicet corpus quidem mortuū est secundū peccatū. Istud nāq; significat quod ait, Propter peccatū. Haud enim inhabitaret CHRISTVS, nisi corpus, secundū peccatū, esset mortuū. Mortuū itaq; corpus est iuxta peccatū. l ¶ Quod si quis.) SEVERIANI: Ne moerore afficeret Romanos, nequaquā dixit, Quod si nō habetis: uerū, si quis: tanq; de alijs loqueretur. Spiritū uerò Christi ait noui Testamenti dona: cōmunis nanq; est, tum patris, tum filij spiritus. Spiritus autē eius qui excitauit, hoc est Patris, IESVM ex mortuis. *Or* rursus: Spiritū filij sui. m ¶ Porro si Christus. Quod triste erat, in aliū quēpiā, eumq; unū transfudit. Nam si quis, ait, spiritū Dei. Quod uerò Letū et desiderabile, ad ipsos, idq; pluraliter, si autē Christus in uobis est. n ¶ Corpus quidem.) Corpus inquit, erit mortuū, quantū attinet ad peccati operationē: id enim prae se fert, propter peccatū. IOANNIS: Mōstrauit Apostolus, quod haud carnē, sed peccatum potius accuset. Praecepit enim ipsi corpori, ut peccato moreretur, hoc est, ut peccatū efficax esse nō debeat: spiritū uerò hīc animā ipsam appellat, ut quā iam spiritualis effecta sit. Hanc iustitiā adire iubet, quā fructus omni amplectēdus amore, est uita. o ¶ Spiritus autē.) Ne, inquit, perterrefias cū audis mortuū corpus: habes enim et uitā, nēpe spiritū, ad iustitię operationē et efficaciam. Vt autē dixit, corpus quidem mortuū: sic cōsequens erat dicere, Spiritus autē uiuēs: sed dixit, uita: innuēs nedū esse spiritū uiuētē, sed etiā uiuif-

uiuificantē. p ¶ (Si autē spi.) CYRILLI: Excitatus fuit dominus noster IESVS Christus à patre, dum uita circa carnem ipsius efficeretur, per spiritū sanctū, qui et ipsius est. Proinde etiā si à patre excitatus esse dicatur, ueruntamen ipse etiā fuit qui resurrexit per spiritū sanctū. Omnia quippe diuina pater per filiū in spiritu sancto operatur. Excitabit itaq; & nostra corpora CHRISTVS à mortuis. q ¶ (uiuificabit.) Ad resurrectionis sermonē peruenit. Quoniā igitur in hac omnes resurgūt, sed alij quidē ad uitā, alij uerō ad supplicium, nō dixit, excitabit, sed, uiuificabit: hoc est, ad uitā et gloriā resurgere faciet. r ¶ (Propter ipsius spir.) Causam uiuificationis reddidit. Nō modō enim qui inhabitauit, dixit, sed, qui inhabitat: plenā atq; perfectā ipsius indicās permansionē.

^aProinde fratres debitores sumus, nō carni, ut secundum carnem uiuamus: ^b nam si secundum carnem uixeritis, moriemini: ^c si autem spiritu facta corporis occideritis, uiuetis.

^d Quotquot enim spiritu Dei ducuntur, ^e hi sunt filij Dei. ^f Non enim accepistis ^g spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed ^h accepistis spiritum ⁱ adoptionis filiorum, in ^k quo clamus, Abba pater.

^a ¶ (Proinde fratres.) Enim uero post tantū nobis prestitum beneficium & gratiam, debemus profectō secundum uoluntatem Dei uitam ducere, & non porrō secundum carnem, Deinde, ne uideretur

necessaria corporis adimere ministeria, ut alimentum & indumentum, insert: Vt secundum carnem uiuamus: hoc est, in peccatis, utue carnalibus eam cupiditatibus permittamus. ALITER: Vitam nostram iuxta uoluntatem Dei, non iuxta carnem, id est, carnaliter atq; terrenè, debemus dirigere. Viuere autem in carne, hoc est, nutrire eam & amplecti, nequaquam tollit. b ¶ (Moriemini.) Moriemini morte immortali in gehenna. c ¶ (Si autem spiritu.) Si autem per spiritum sanctum facta corporis, hoc est, praua opera necaueritis, ac è medio abstuleritis, uitam illam beatam uiuetis. d ¶ (Quotquot enim.) Nō dixit, quotquot spiritum Dei acceperūt: uerū, quotquot spiritu Dei ducuntur: hoc est, totius uitæ suæ arigam & ducem eum præstituent. Nam omnes, dum baptizantur, accipiunt spiritum sanctum: at non omnes ei præsidatum permittunt. e ¶ (Hi sunt filij Dei.) Ecce, adoptionem etiam filiorum locuta promissione annunciat. f ¶ (Non enim.) Postquam filiorum meminit adoptionis (fuerunt autem & Iudæi hoc nomine honorati, ut illud indicat: Filius meus primogenitus Israël. & : Ego dixi diis estis & filij excelsi omnes) uult ostendere, multā adoptionum differentiam. Non enim, inquit, accepimus spiritum seruitutis iterum ad timorem: nō perinde ac Iudæi spiritualement accepunt legem, seruatorum instar, ad terrorem. Id enim indicat, spiritum seruitutis. Nam ipsi per timorem, qui in illorū positus erat ma-

nibus
atq;
quan
sunt,
re ui
liori
AL
men
triu
illor
uitu
ritu
mod
datic
prop
som
quit.
bona
nicat
eost
adop
tis.)
Non
h ¶
ptio
Deū
inqu
appl
nibus

nibus, facere ut serui cogebantur quod bonum esset atq; honestum: nos uero, ait, ut filij, propter spem, quam in caelis habemus, quæ decent, quæq; honesta sunt, facimus. Illis itaq; in seruorum ordine cum timore uiuentibus, nomine tenus duntaxat & honore filiorum adoptatio applicatur, nobis autem reuera.

ALITER: Quoniam & Iudæi adoptionis sibi nomen uendicabant (filium enim, inquit, genui, & enutriui) ostendit quantum differentie inter nostram atq; illorum intersit adoptionem, & ait: Illi spiritum seruitutis, hoc est, legem acceperunt, ab ipso uidelicet spiritu datam, magis porro seruis quam liberis accommodam. Etenim supplicia mox, eaq; corporalia, lapidationes, exustiones, minæ, gladius uos consumet: & propterea plurimus timor præ oculis. nec non è diuerso mercedes habebantur terrenæ. Si audieritis me, inquit, bona terræ comedetis. Nostræ contra mercedes, bona cælestia sunt, ac mysticæ mensæ, uti filijs, cõmunicatio. OECUMENII: Perinde ac omnia apud eos typus rerum erant nostrarum, sic etiam filiorum adoptionem arbitramur. g ¶ Spiritum seruitutis.) Spiritum seruitutis, spiritualem legem uocat. Non enim uniuersim spiritum perceperere Iudæi.

h ¶ Sed accepistis.) Accepistis, ait, spiritum adoptionis filiorum. Vnde planum est? Patrem, inquit, Deum uocamus, in quo clamamus, Abba pater. In ipso inquam, adoptionis spiritu, uocem hanc attribuere applicareq; Deo digni facti sumus, & eum patrem ap-

pellare. Et hoc unde fit manifestum? Quod uocem hanc congruam, & Deo placitam attollimus. Filii ipse hunc ad modum loqui nos docuit: Pater noster qui es in caelis: & quae sequuntur. Ipse autem, quae communia nosset dispensationis erga nos factae opera CHRISTI, Spiritus, inquit, testimonium dicit. Cum enim CHRISTVS hanc precandi formulam tenuerit, & ipse Spiritus tradit, contestaturque illi quod nobis datum est, muneri per ipsum. Quobis nam testimonium dicit? Quod recte, & prout Deo placet, & gratum est, ipsum patrem nostrum uocemus: quod filii sumus ipsius, illi baptisinate adoptati. Si autem filii, inquit, & haeredes. Attamen dei etsi filii Dei uocati sint, uerum plurima intertranque, cum uocationem, tum adoptionem, differentia interest. Nam isti quidem typice duntaxat minabantur, aequae ac caetera illis in typum gratia tingebant: nos uero haud typice, uerum absolute & que perfecte. Et hi quidem, licet filii uocarentur, tamen illis concessum fuerat, ut Deum ipsum patrem uocarent: nobis autem & hoc donatum est, & quoque priuilegia plurima. i. Spiritum adoptionis. Atqui consequens erat dicere, Spiritum libertatis: attamen maius quiddam eloquitur. quo clamamus.) Dicimus enim, Pater noster qui es in caelis. Posuit autem Hebraeam dictionem, ut manus patrem per omnia demonstraret.

^a Idem Spiritus testimonium dicit Spiritui in

stro, quod sumus filij Dei. Quod si filij, & ^b hæredes. Hæredes quidem Dei, ^d cohæredes autē Christi. ^e Siquidem simul cum eo patimur, ut unā cum eo glorificemur. ^f Arbitror enim nō esse dignas afflictiones presentis temporis, ad futuram, & quæ erga nos reuelabitur, gloriam. ^h Auida enim expectatio creaturæ, ⁱ reuelationem filiorum Dei præstolatur. ^k Vanitati enim subiacet, ^l nō spontē, sed propter eum qui subiecit illam ^m sub spe: quoniam ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, ⁿ ad libertatem gloriæ filiorum Dei.

^a ¶ (Idem spiritus.) Quia Iudæi patrem Deum uocabant, uult iam demonstrare hoc eis non fuisse permissum, nobis autem id reuera datū esse: idq; perspicuum fieri ex testificante spiritu. Ipse itaque, inquit, spiritus, hoc est, ipse paracletus, simul testimonium perhibet spiritui nostro: id est, charismati, quod ab ipso nobis impensum est. Non enim solius charismatis, muneris uel huiusmodi uox est, uerum etiā donantis spiritus. Vbi igitur spiritus testimonium præbet, quænam ibi dubitatio est? ^b ¶ (Et hæredes.) Quod reliquum est, auget dignitatē. Fieri namq; potest, ut quis & filius sit, & nō hæres. ^c ¶ (Hæredes quidem Dei.) Viden' quod alia sit nostra adoptio, q̄ Iudæorū? Nos enim hæredes sumus, illi autē nō item. Nam de ijs, Malos, inquit, malè perdet, & uineā alijs locabit. Et rursus: Multi, ait, ueniēt, & recumbēt cū Abrabā: filij autem regni, hoc est, Iudæi, eijcientur.

d ¶ Cohæredes autem.) Iterum amplificat dignitatem Christianorum, nosq; Domino CHRISTO uicinos ac propinquos statuere contendit. e ¶ Siquidem cum illo.) Ne segniore reddamur, dum uniuersum gratiæ esse cogitamus, exigit etiam à nobis quæ nostra sunt. Si enim, inquit, tristiu consortes erimus, bonorum quoq; participes erimus. f ¶ Arbitror enim.) Quod temporariæ sint, & non perpetuæ, afflictiones, per id quod ait, præsentis temporis, indicat. Deinceps ostendit, totum propemodum esse gratiæ, quod uincat nos deus remunerationibus, & quod nõ possimus dignum quicq; futura permissione atq; mercede hic uel pati, uel contribuere. g ¶ Quæ erga nos reuelabitur.) Elegãter dicitur quæ reuelabitur: etenim etiam nunc est, uerum occultata. h ¶ Auida enim.) Hoc est, uehemens, et daq; præstolatio. Quod porrò ait, tale quiddam. Et ipsa, inquit, creatura uehementer futuram suam gloriam manet. Quamobrem? Incorruptibilis creata, ob mortalium peccata corruptibilis facta, quandoquidem & nos ex incorruptilibus corruptibiles facti sumus. Vult igitur, inquit, creatura, homines immortalitatem percipiant (erit autem in resurrectione) ut & ipsa propriam incorruptibilitatem accipiat. Homine enim, propter quem creatura ipsa corruptibilis est effecta, incorruptibilitatem recipiente, & ipsa simul propriam induet incorruptibilitatem. Atqui totũ hoc pro sopopœia est, &

bonorum

bonorum excellentiam promat, & ut demōstret, nos
 multo magis quàm creaturam ipsam huiusmodi glo-
 riam & incorruptibilitatem assequi conari debere.
 Ne enim estimes inanimatam, sensuq; carentem crea-
 turam talia præstolari, uel sentire. ALITER: Exci-
 tans Apostolus auditorem, & à creatura ipsa erigēs
 & attollens, grandem reddit sermonem suum, con-
 temptum præsentium statuens, futurorumq; cupidi-
 tatem. Et ut futurorū præstantiā bonorū exhibeat,
 desideriumq; demonstrat, quò cupiant liberari à qui-
 bus detinentur malis, infert, ipsam quoq; creaturam
 ualde expetere præstolariq; bona. i ¶ Reuela-
 tionem filiorum Dei.) Mundi, inquam, finem,
 quando demonstrabuntur quinam sint filij Dei, qui-
 ue filij diaboli. k ¶ Vanitati enim subiacent.)
 Hoc est, corruptioni: hāc enim condemnationē ob no-
 stra peccata subijt. l ¶ Non spōtè, sed propter
 eum.) CHRISTI potentie hoc opus est, quòd uel
 inuita, subiecta fuerit creatura. m ¶ Sub spe.) Sub
 spe igitur liberationis creatura subiecta est. Deinceps
 seipsum interpretatur, quomodo sub spe subiecta fue-
 rit, quòd & ipsa creatura liberabitur. n ¶ Ad li-
 bertatem gloriæ.) Ad libertatem, hoc est, ob glo-
 riæ libertatem. Id est: Nostri causa creatura incorru-
 ptibilis erit, æquè ac propter nos facta est obnoxia
 corruptioni. OECUMENII: Vel, ad libertatem,
 hoc est, ad eandem, ad quam & nos, libertatem à cor-
 ruptione pertinet & ueniet: uidelicet ex corrupti

bili incorruptibilis erit.

^a Scimus enim quòd omnis creatura firmè nobiscū gemiscit, simulq; parturit adusq; nūc.
^b Non solūm autem illa, uerumetiam nos ipsi, qui primitias spiritus habemus. Et nos ipsi intra nos ipsos gemimus, ^c adoptionē filiorū expectantes, redemptionē corporis nostri. ^d Spem nanq; seruati sumus. Spes autem quę uidetur, nō est spes. Quod enim uidet quispiam, quid sperat? Si ^e autem quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus.

^a ¶ Scimus enim.) Non quòd gemitum cuiuspiam, qui à terra moueatur, audiuerit, hoc dicit, uerūm ut ob oculos poneret cupiditatem, qua expectat creatura ipsa, à malis, quibus est obnoxia, liberari.
 ALITER: Ingemiscit creatura, cupiens in posterum corruptionem deponere. Quòd si hæc creatura desiderat, quantò potius id uos uelle debemus, ut terrenis adeò hic inhiare rebus: quippe qui & uerbo Dei honorati sumus, & adoptionem filiorū præstiti mur. CHRYSOSTOMI. Simul nobiscū gemit, quia nos etiā primitias spiritus habentes, & ipsi ingemimus, ideo & ipsa unà nobiscū gemit. Hæc uerò ait, nequaquā præsentia paruipendens, sed futura desiderans. Gratiā, inquit, gustavi, & non fero dilationem: spiritus primitias habeo, atq; ad totum anhelus ascendi ad tertium cœlum, gloriam illam uidi arcenam: lucida regna aspexi, didici quibus destitutus sum, dum in hoc mundo diuersor: & horum causa gemo.

gemo. b ¶ Non solum autem.) Nedum, inquit, creatura ingemiscit, uerum etiam nos, qui primitias quasdam exiguas, ac gustum spiritus accepimus, ad caelestia peruenire festinamus conamurq;. Nam si primitiae initiaq; spiritus talia sunt, quae faciant mirifica ex umbra, quid finis & consummatio spiritus efficiet? c ¶ Adoptionem filiorum.) Ne quis obijciat, Tu dixisti nos deos esse, quam ergo aliam adoptionem expectamus? subdit: Redemptionem corporis nostri, hoc est, incorruptibilitatem. Tum enim stabilis erit adoptio, eiusq; effectus euenient: nunc enim neq; gloria est conspicua, sed expectamus ut liberemur a casu, ad quem per uitam damnatam propellimur. PHOTII: Adoptionem filiorum expectantes. Qualem? quid enim? an non eam accepimus per baptismum? Nonne ipse paulo antea dixerat, Spiritum adoptionis filiorum accepistis? Sane, inquit. Quam igitur expectamus? Illam, inquit, quae manifestatur per corporis redemptionem. Num aliam diuersamue ab ea quam dixerat? Absit: uerum eandem ipsam manifestiorem, & experimento ipso notiozem. Nam post redemptionem corporis, tunc bonorum retributio, tunc ipsius corporis resurrectio & incorruptio, tunc caelorum regni hereditas, tunc omnia ipsius adoptionis insignia & effectus perspicua erunt. Enim uero nunc sub spe horum adoptionem accepimus. Porro ipse expressius significatiusq; dixit, seruati sumus: indicans, quod ex magna tempestate ac perturbatione,

quæ sit iuxta peccatum, in filios adoptati, seruati
 mus. Quæ igitur ratione sperauimus hæc an quæ
 hæc olim affuerint, & sub nostrum minime aspectu
 ceciderint uel experimentum? Pulchrè ait ac ratio
 nabiliter: nam si sub aspectum experimentumq; in
 antea sperata uenissent, neuiquam sanè speraremus.
 Quod enim iam obtinet quis, quam ad rationem
 ri potest, ut speret? Iuxta igitur naturam spei
 proprium est, quòd hæc de futuris, ac nondum præ
 sentibus sit. Et nos itaq; etiam quæ nõ cernimus, spe
 rare oportet. Quòd si quæ non cernimus, ea nõ ope
 tet, etiam speramus: & sustinere & præstolari nec
 cessariũ est, quæ expectauerimus, & nõ continuo
 quirere ut hæc adueniãt: præsertim cum spiritum
 per charismata & munera illis fidem conciliet, &
 illic sunt, imbecillitatemq; rationũ nostrarũ ac cog
 tionum adiuuet, eiq; medeatur. Quot enim beneficia
 in nostris precibus elargitur (ut nunc cætera om
 tam) docens quo modo orare oporteat, scrutans et
 da, ac demum omnia ad bonum adiuuans? **EIV**
DEM aliter. Quare expectas? Quia expectamus
 ac spe seruati sumus. Quomodo igitur nõ oportet
 præstolari, & sperare adhuc? Si autem sperare est
 cessarium, opus omnino est sufferre, ac per sufferren
 tiam sperata præstolari. Habemus autem ad hæc spi
 rituale charisma, quod nostris opitulatur infirmis
 bus, & neuiquam permittit nos erga spem labo
 ctari. Quòd autem spirituale charisma nostris op
 tuletur

tuletur
 tualig
 supp
 spiritus
 corda
 tre pr
 lamur
 ticsq;
 uerun
 ptione
 factus
 Perin
 ipsi ob
 norum
 sed no
 bi pra
 quæ u
 uiden
 illorum
 Quòd
 ni non
 tie pa
 Sir
 firmi
 tenus
 ª inte
 bus.
 fit&aff

tuletur infirmitatibus, mox innotescit etiam à spiri-
 tuali gratia & munere, quod nobis circa preces
 suppeditatur. Cum enim ter spiritum nominauerit,
 spirituale præ se tulit charisma. Qui uerò scrutatur
 corda, ipse nimirum sanctissimus spiritus est, qui à pa-
 tre procedit. ALITER: Adoptionem filiorum præsto-
 lamur. Porro ne uideatur præsentia criminari, here-
 ticusq; nonnihil anse dare, non præsentia mala esse,
 uerum quæ expectantur potiora dixit, nempe ado-
 ptionem ipsam: tum enim adoptionis euentus & ef-
 fectus patebunt. d ¶ Spe namq; seruati sumus.)
 Perinde ac si dicat: Omnia à Deo accipientes, nos fidē
 ipsi obtulimus: cuius magna pars est spes futurorum bo-
 norum. Ne igitur quære cuncta tibi hinc adesse bona,
 sed nonnulla etiam spei reconde. Si autem cuncta ti-
 bi præsto esse uis, nondum porrò speras. Spes enim
 quæ uidetur, non est spes. e ¶ Si autem quod nō
 uidemus.) Porro si quæ non cernuntur, speramus,
 illorum expectationem per patientiam assequemur.
 Quod uerò patientia maxima pars uirtutis sit, nemi-
 ni non perspicuum. Spes itaq; cum fidei, tum patien-
 tiæ parens est.

Similiter autē & ipse spiritus auxiliatur in-
 firmitatibus nostris. ^bNam quid oremus, qua-
 tenus oportet, ^cignoramus: uerum ipse spiritus
^dintercedit pro nobis gemitibus inenarrabili-
 bus. ^ePorro qui scrutatur corda, ^fnouit quis nā
 sit ^gaffectus spiritus, ^hquoniā secundum Deum

interceditⁱ pro sanctis. ^k Nouimus autē, quōd diligentibus Deum ^lomnia cooperātur ad bonum, ^m ijs qui secundūm propositum uocati sunt. ⁿ Quoniā quos præscluit, etiam præscluit ^o conformes fieri ^p imaginī filij sui, ^q ut esse ipse primogenitus inter multos fratres.

a ¶ Spiritus auxiliatur infirmitatib. nostris. Ne aestimes, inquit, propter expectationē & patientiam defatigari: spiritus enim nō te defatigari sinet, uerū hac te in re adiuuabit. Sumus enim infirmi, patientes satis esse possumus circa spiritus auxilium. Similiter autem & spiritus tui curam geret, hoc ē spirituale donum. **b** ¶ Nam quid oremus. ⁱ quid dicam, inquit, quōd ad patientiē egregium ⁱ cinus, spiritus sancti indigeamus auxilio? quāuis quidem in his etiam quæ facilia, ut in oratione, iudicibus accidit. Est enim hoc, cū inutilia postulamus. **c** ¶ Ignoramus. ⁱ Seipsum quoq; immiscet, ne sensum se reddat, neue grauis uideatur. **d** ¶ Spiritus intercedit pro nobis. ⁱ Olim plerique ⁱ ria accipiebant charismata, nempe prophetiarū, interpretationū, linguarū: quæ omnia, utpote ab ipso collata spiritu, spiritus uocabant. Nonnulli etiā orationis donū accipiebant. Quoniā enim ignorans uulgi quæ essent cōmoda, sepe inutilia petebat, accepit quidam orationis charisma, ac pro uniuerso populo precabatur: quod & ipsum spiritus dicebatur. ⁱ est igitur quod dicit, quōd donū ipsum, & gratia

tionis, pro nobis apud Deū intercedit gemitibus maximis. Hoc uerò ait, cōmendare atq; cōmonstrare nobis uolens, ignorare nos quonam pacto orandum sit. Nam si hoc nō esset, quid erat necessariū quosdam accipere charisma ad orandum pro populo? OECVM. Id porrò nunc adimplet diaconus, dum sacra fiunt. Non autem dixit simpliciter *ἰνὴ ὑπακούει*, hoc est, intercedit, siue interpellat, uerūm *ἰσχυρῶς ὑπακούει*, hoc est, uehementer & efficaciter intercedit: uehementē & nō languidā intercessionē interpellationēq; indicās. e ¶ Qui scrutatur cor.) Ipse, inquit, paracletus corda spiritualiū hominū scrutans, qui gratiā uidelicet, atq; orandi suscepit spiritū. f ¶ Nouit quis nā.) Spiritualiū uidelicet hominū, qui spiritū, quem diximus, orationis perceperūt, et gratiā. g ¶ Affectus. Nouit affectū, hoc est, ipsam intercessionē, interpellationēq;. h ¶ Quoniā secundū Deū.) Non ignorantē, inquit, docēt sancti Deū, sed nouit ipse paracletus, quòd secundū Deū intercedit, non secundū noxiā quandam cupiditatē. Secundū Deū, hoc est, secundū uoluntatē Dei. i ¶ Pro sanctis.) Qui per orationē sanctificātur. Vel, quia pro puris Deoq; placentibus operibus petitiones faciat, uel pro hominib; sanctificationē desiderantib;. k ¶ Nouimus.) Sic, ait, in ignorantia precū à spiritu adiuuamur: quandoquidē etiā mala in bona nobis cōuertit. Porrò totus hic locus ad eos pertinet, qui in periculis constituti sunt: cruditiq; eos, ne quæ sibi uideātur cōmoda seligant. Nec dixit

quòd non accedat quicquam periculi, cæterum ad bonum cooperetur: hoc est, quòd ipsis periculis utatur ad bonorum, insidias & calamitates sustinentiũ, probationẽ. l ¶ (Omnia cooperantur ad bonum.) Omnia, inquit, etiam mala. Nam & hæc Deus ad bonum cõuertit: ad probationem siquidem patientium conuertit. Potius enim est, quòd conuertantur ad bonum, quàm si omnino non ingruerent mala. m ¶ (Iis qui secundum propositum.) Quia minime probabile uidebatur, quòd mala conuerterentur in bona, Dei uocatione adiecta confirmat quod dixerat. Non enim quibuscunq; ait, id cõtingit, sed à Deo tantummodo uocatis. Deinde ne existimetur Deus partem duntaxat mortalium uocasse, subdit: Iis qui secundum propositũ, ijs qui secundum sententiã, hoc est, animi præelectionem & cõsiliũ digni uocatione habiti sunt: ostendens, omnes quidem uocatos esse uerũ illos tantummodo obedisse. Et hæc est causa qua illi adiuuantur, qui secundum proprium propositum uocati sunt. n ¶ (Quos præsciuit.) Quoniam quos, hoc est, illos ipsos qui secundum propositum suum uocati sunt, præsciuit. Illud repetas, secundum propositum, uel prædestinationẽ. o ¶ (Conformes fieri.) Quicquid est, inquit, ipse Dei filius secundum naturam humanitatis (perspicuum est autem, quòd sanctus sit, & peccato uacet) id ipsum facti sunt & ipsi secundum gratiam. Conformes enim uocat, qui sint haud dissimilis cum eo formæ. Imaginem

uerò filij, dispensationem nuncupat, & corpus inde ipsius. Nam secundum dispensationem conformes sumus ipsi homines, ac fratres ipsius: secundum uerò diuinitatem, unigenitus est. p ¶ (Imagini filij sui.)

CYRILLI: Qualis nam hic imago Dei intelligatur, declarat ipse cum dicit: Quemadmodum enim tulimus imaginem terrestris, sic & imaginem supercoelestis seremus: hoc est, uitam in sanctificatione inculpatam, irreprehensibilemq; ad proximū quenq; cōuersationem. Quemadmodū enim imaginem terrestris, id est, Adæ, dicimus esse uitam in inobedientia et peccatis, ita imaginem supercoelestis, hoc est, CHRISTI, sanctificationem, iustitiam, & obedientiam.

q ¶ (Ut esset.) Per omnia cognationem nostram, quam erga CHRISTVM habemus, significare uult: cognationē inquā, quæ est in dispēsatione carnis suæ.

^a Quos autem prædestinauit, eos & uocauit: & quos uocauit, ^b hos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, ^c hos & glorificauit. ^d Quid igitur dicemus ad hæc? ^e Si Deus pro nobis, quis contra nos? ^f Qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illum, ^g quomodo nō etiā unā cū eo omnia nobis donabit?

a ¶ (Quos autem prædestinauit.) Vbiq; illud, nempe, Qui secundum propositum uocati sunt, subaudi. Quoniā quos præsciuit, pro eo ut diceret, hos qui secundum propositū. Quos autem prædestinauit, hos & uocauit, qui secundum propositum. Et quos

uocauit, hos etiam iustificauit, qui secundum propositum: quos uero iustificauit, hos & glorificauit, rursum repetendum, qui secundum propositum uocati sunt: ne in absurdum incideretur, si Deus in quosdam quidem beneficia conferret, in quosdam autem non conferret. Quod si, secundum propositum, subaudiatur, eorum uirtute statuit, qui secundum propositum suum crediderunt, Deum ad personarum respectu liberum facit. b ¶ (Hos etiam iustific.) Per lauacrum regenerationis. c ¶ (Hos & glorificauit.) Per charismata, & filiorum adoptionem. d ¶ (Quid igitur dic.) Perinde ac dicat: Cum ista sic habeant, nemo deinceps de tentationibus, quae hic mortalibus inferuntur, loquatur. Quid enim adducere poteris aduersus Dei tantam bonitatem? PHOTII: Quis enim dicemus ad haec? Qualia? Quod praedestinauit, quod uocauit, quod iustificauit, quod glorificauit: tantam beneficiorum ubertatem quid dicemus? Neque gratias agentibus, inquit, uerbis abundamus, ne dum operum retributione: tanta est ineffabilis ipsius gratia. Deinde aequè ac corollario hinc percepto, inquit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Nemo. Licet enim nonnulli nocere conentur, haud nocentium inferent, imò utilitatem, et emolumentum. Vnde patet quod Deus pro nobis sit? Cum ex ijs quae iam dicta sunt, tum quod est maximum, et omnem attonitum reddit ac stupidum intellectum, quod pro nobis proprio filio non pepererit. Si igitur deus pro nobis, planum est quod omnia nobis ad utilitatem conuertet: & quae tristitia uidentur et gra-

uia, gaudij nobis effectiua reddet, æquè ac circa Apo-
 stolos ipsos & martyres, afflictiones, persecutiones,
 & mortes, coronarũ ac brauiorũ subiectũ effecit, re-
 gniq; cælorũ acquisitiua. Sic igitur, modò ipsi nõ dis-
 soluamur eneruemur q; , nemo poterit cõtra nos. Po-
 suit autẽ & appendicẽ illã, nempe, Qui etiã proprio
 filio suo nõ pepercit, et quæ sequuntur: ut et curã inef-
 fabile ac prouidentiã (ut diximus) Dei circa nos, indi-
 caret, pariterq; ut si quid difficile à quibuslibet infera-
 tur, sustinere et tolerare hortaretur per exẽplũ. Neq;
 id modò, uerũ etiã recuperãs et cõsolans. Nam si filius
 tot tantaq; pro te passus est, quid te pro eo pati oportet?
 Et si ille tanta pro te patiens, nihil omnino ample-
 xus est quod paternæ detraheret gloriæ ac diuinitati,
 neq; tu, cũ hæc pateris, despõdeas animũ. Omnino e-
 nim promissionib; et post passionẽ, et post mortẽ di-
 gnus efficieris. Quòd uerò ait: Quomodo nõ etiã u-
 nã cũ eo donabit? eò dicit, quòd asserat donũ ipsum ne-
 quaq; omnino uel negãdũ, uel excusatiõẽ ulla uel præ-
 textu nobis abnuendũ. Vnã cũ eo, inquit, donabit om-
 nia nobis. Dices, inquit, num nostri obliuiscetur? Tibi
 ego respõdeo: Quòd si obliuioni nos tradet, tradet et
 filiũ: cũ ipso enim omnia nobis largitur. Itaq; omnino,
 et incũctanter promissa percipiemus. Cũ uerò tenta-
 tionũ meminisset, quæ per afflictiones ingeruntur atq;
 tormẽta, dicẽdo, Quis cõtra nos? alterã nũc tẽtationũ
 speciẽ promit, nempe cõuicia, odia, cõtumelias, calũ-
 nias, quas ab incredulis tulerunt fideles: idq; indicat,

dicendo: Quis accusabit electos Dei? Necnon in hoc loco, quemadmodū in precedentibus innuit, quod iustificante Deo, in uanū gannunt accusatores, & condemnatores. e ¶ Si Deus pro nobis.) Ut ne dicant: Reges sunt contra nos, populi, ac duces (omnes enim fidelibus insidiabantur) inquit: Potest Deus insidias, quæ nobis parantur, occasionem facere coronarum. Nemo igitur cōtra nos. f ¶ Qui proprio filio.) Quomodo itaq; ait, perdet nos Deus, qui nō dum conformes nos filio suo fecit, sed & iustificauit, & glorificauit? Nec id tantū fecit, sed & filium suum dedit pro nobis omnibus, inquit, peccatoribus, publicanis, & fornicatoribus. g ¶ Quomodo non etiam.) Si filium, inquit, in mortem dedit pater, quid est quod de alijs ambigamus? Qui enim maius dat, minus etiam dabit.

^a Quis accusabit electos Dei? ^b Deus est qui iustificat. Quis ille ^c qui condemnet? ^d Christus? ^e qui mortuus est, imò & resurrexit: ^f qui est etiam ad dexterā Dei, qui & intercedit pro nobis. ^g Quis nos separabit à dilectione Dei? num ^h afflictio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? ⁱ Sicuti scriptū est: ^k Propter te occidimur ^l tota die, reputati sumus ueluti ^m oves mactationi destinatae. ⁿ Verū in his omnibus egregiè uincimus per eum qui dilexit nos.

^a ¶ Quis accusabit electos.) Pleriq; impij accusabant fideles. ait itaque: Ecquis nam idoneus erit, qui

qui Dei electos accuset, uel de illis quippiam conquereatur? Animaduerte autem quod non dixerit, seruos Dei, seu fideles: sed, electos, dignitatem illorū amplifi-
cans. b ¶ (Deus qui iustificat.) Non dicit, qui peccata remittit, sed quod maius est, qui iustificat.

c ¶ (Quis est qui condemnet?) Vbi enim Deus proprio calculo quempiam iustificat, quis est qui condemnet? Quid uerò sibi etiā profuit qui condemnat? Condemnandi autē uerbo, ueluti de peccato utitur.

d ¶ (Christus?) Per interrogationem ipsum producit, tanq̄ sunt irrefragabilia. e ¶ (Qui mortuus est.) Quis, inquit, ille est qui condemnat, spiritu adiuuante imbecillitates nostras, patre autem nos iustificante, filio uerò pro nobis mortuo? Quos enim Trinitas ipsa iustificauit, quis ille est qui condemnet?

OECUMENII: Poteris etiam sic intelligere, ueluti coordinatio sit constructionis loci huius: Si spiritus nobis, inquit, opitulatur, si pater iustificauit, quis est qui cōdemnare possit? Relinquitur itaq; filius. Filius igitur, inquit, condemnare nos potest: atqui usque adeo diligit, ut & mortem pro nobis elegerit: cumq; sit in dextera patris, inq; propriam reuersus gloria, non destiterit à dilectione erga nos, uerum etiam patrem ipsum pro nobis precatur. Id enim dixerim, Intercedit. Precationē uerò seu adhortationē hanc filij ad patrem sic intelligas licet. Eo ipso quod carnē assumpsit humanam, patrem pro nobis precatur, hortaturq;. f ¶ (Qui est etiam ad.) Ne enim per

intercessionē, diminutionē quandam intelligeres, primum parem ac æquā dignitatē posuit, nimirū quod sit ad dexteram patris: deinde dixit, Intercedit: monstrare uolens ignitā ipsius erga nos dilectionem. Non enim tanquam ipse per sese seruare non possit, patre indiget: haudquaquē. **CYRILLI:** Ceu humane more dictum est: quoniam pontifex erat atq; sacerdos. Tu es sacerdos, ait Dauid, in æternum. **PHOTII:** Dominicæ proinde illius uocis intellectum hoc in loco indicat, clamq; innuit, orationis uidebitur quam in typo obtulit patri: Pater serua eos in ueritate tua. & Ut serues illos à maligno: & huiusmodi. Si igitur ita satagit, curamq; nostri gerit filius, etiam intercedat (precatio nanque illa quam tu temporis obtulit, tantum habuit roboris atque uirium, ut sempiternò sit efficax, & ea quæ utcumque fiunt, expleat & perficiat) Si igitur tantam nostrorum ram habet, quis ille erit qui illos condemnet, qui eum credunt? Pater iustificauit sanè & glorificauit, spiritus auxiliatur & adiuuat, **CHRISTVS** & mat tuus est pro nobis, & resurrexit, & intercedit: quis deinceps est qui uel accuset, uel cõdemnet, sancta nos Trinitate defendente? g ¶ Quis nos separabit? Quis? Nemo, inquit, postq̄ nos tanta Deus dilectione & prouidētia persecutus est, ac dignos censuit. **PHOTII:** Quòd ait, quis nos separabit, superiorū uerborū repetitio est, nempe, quid igitur dicemus: nõ secus ac illud: Deus est qui iustificat, quis est qui

cõd
pro
gu
tinu
eorū
gnu
ret
rum
cipi
repe
glor
quæ
fior
pro
est.
enim
tem
terr
gis
dem
pter
cit.
mor
tota
m
fisi
dum
Auc

cōdemner: illius repetitio est quod dixerat, si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Sæpenumero enim figura hac usus est, propter amplexus, & ambitus continuationē. Nemo enim ferme, prout scire potui, uel eorū qui apud nos, uel externorū, figura hac, uti magnus Paulus, usus est. Ne in obscurū illi ualde decideret sermo, superiorū etiā repetitionibus iterū atq; iterum usus est. Possunt autē etiā quasi à proprio principio hæc accipi loca, et nō quasi eorū quæ dicta sunt repetitiua. h ¶ Num afflictio? Nō dixit, pecunia, gloria, et quæcūq; uidentur homini speciosa: sed ea, quæ humanā etiā naturā cogere soleant. Porro afflictionis nomine multa significātur, carceres, catenæ, proscriptiones, idq; genus cætera. i ¶ Sicuti scriptū est.) Pudefacere eos uolens adduxit testimonium: Si enim, inquit, qui in ueteri erant Testamento, uitā cōtemnebant, quibus tamen præmia promittebantur terrena, & bona quæ habentur in terra: quanto magis id nos debemus, qui regnū ipsum cælorum mercedem habemus ac permutationē laborum. k ¶ Propter te occidimur.) Testimonio sermoni suo fidē fā Psal. 43. cit. l ¶ Tota die.) Licet enim uoluntate sæpe in die mortē subire. Vel, tota die, pro, per totā diē, uel, per totam uitam. Dies enim una est omnis hominū uita. m ¶ Veluti oues.) Omnibus, inquit, ad iniuriā expo siti sumus, nos Apostoli uidelicet, hoc est, æquæ ac oues dum maclātur, nihil cōtradicētes. n ¶ Verū in his.) Auditore erigit, ne succūbat, animūmue despōdeat,

audiens afflictionem, persecutiones, & quaecumque ratione sua fuerat persecutus, & ait: Omnibus donamur per gratiam CHRISTI. Nec dixit simpliciter, uincimus, sed, egregie uincimus, seu superuincimus: hoc est, per eas quas patimur insidias, coronamur. Non modò non concidimus impugnati, uerum etiam coronamur. Insidiatores enim et aduersarij nostri, sunt nobis coronarum suppeditatores, modo quo animo, & cum gratiarum actione feramus.

^a Persuasus enim sum, quòd neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; ^b aliud, neq; profunditas, neq; ulla alia creatura, poterit nos separare à dilectione Dei, ^c quae in Christo Iesu Domino nostro.

^a ¶ Persuasus.) Quia supra presentia dum nunc futura commemorat. Neq; futura, inquit, mors, neq; uita, neq; angeli, neq; potestates poterit me separare à dilectione Dei, quae mihi per CHRISTUM donata est. Nam omnia mihi, si ad illam parentur, exigua sunt. Cùm omnè deinde creatura enumerasset, uisibilem & intelligibile, quae sunt instantia & futura, adiicit, Neq; alia aliqua creatura est, si alia quaedam, praeter eam quae est, subsistat, neq; ipsa mihi quicquid esse uideatur ad charitatem Dei. Quoniam uerò & angelorū & potestatum mentionem fecit, ne aestimes angelos aut potestates, quos à CHRISTO auertere uelle: absit: enim uero uel

mens desiderium exprimere quærens, idq; ignitū erga Deum, ad hos sermones peruenit. **b** ¶ Neq; alitudo.) THEODORETI: Profunditatem, ut opinor, gehennam appellat: altitudinem autem, cœlorū regnum: præterea æternam uitam, & æternam mortem. ALITER, Oecumenij: Atq; ut summam dicam, neq; ualde celebria, neq; apprimè celebria nos separabunt à dilectione Dei, neq; bona, neq; tristia, neq; pulchra, neq; mala. Quod autē dicit est huiusmodi: Etiam si alia tanta creatura esset, quanta & uisibilis est & inuisibilis, nihil tamen quicq; ab ea me charitate diuellet. **c** ¶ Quæ est in Christo Iesu.) Suprà primū meminerat charitatis Dei, ut ne uideatur mentiri, seu uerba dare, si de propria dilectione loquatur (quid enim mirum, si amatus redamet?) addidit, quæ est in CHRISTO IESU. Diligebant quidem etiam Iudæi Deum, at non id in CHRISTO IESU, unde & perierunt.

CAPVT IX.

Veritatem autem dico in Christo, nō mentior, contestante mihi conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & assiduus dolor cordi meo. **b** Optarim enim ego ipse **d** anathema esse à **e** Christo pro **f** fratribus meis, qui sunt cognati mihi secundum carnem, qui sunt Israëlites, & quorū est adoptio, & gloria, & testamēta, & legislatio, & cultus, & promissiones: quorum sunt patres, & ij ex

quibus est Christus secundū carnem, ^h qui est
 super omnia Deus ¹ benedictus in secula, Amē.
 a ¶ Veritatem autem dico.) Quidpiam magis
 diciturus est, eam ob rem prestruit sibi iter, ut uerba
 qui credatur, tres testes producēs, CHRISTVM, Spi-
 ritū sanctū, & suam ipsius cōscientiam. Vide autē: Veri-
 ritatem, inquit, dico in CHRISTO, & nequaquā me-
 tior, conscientiaq; mihi ad hoc testis est, unā cum san-
 cto spiritu. b ¶ Optarim ego.) Obserua epistolę
 hoc est, intentionem. Non dixit, uelim, sed optarim.
 PHOTII: Quem nihil separare potest à dilectione
 Dei, nō mortis minæ, nō uita protenta, nō que eunq;
 inde simpliciter prodeunt, nō ea quę hīc habentur
 quę quisq; intelligere posset (idcirco enim & angeli
 rum meminit, & uirtutū, et profunditatis, atq; diu-
 dinis) quem igitur nihil separare potest, qua ratione
 spontē ipse diuellitur, idq; pro ijs qui ei secundū car-
 nem erant cognati? Nec modō suapte sponte diuelli-
 tur, imò etiā cupit, & inquirit, precaturq; à CHRIS-
 STI dilectione separari. Optarim nanq;, ait, ipse q;
 anathema esse à CHRISTO. Quid igitur est hoc?
 conuenient incōuenientia? Primū sane dicimus, quia
 hęc haud contraria sunt. Non enim contrariū dicitur
 rim, ad eò CHRISTVM diligere, quòd neq; supplicio,
 neq; promissione ulla separari ab eius dilectio-
 ne possit: & ita diligere proximum, ut eius salutem
 suę ipsius æqualem, imò potiozem ducat. Nequaquā
 igitur contraria hęc sunt, uerum etiam magis con-

n. Qui enim diligit fratrem suum, ipsum quoq; Do
 minū amat, & è cōuerso. Et in hoc cognoscent omnes Ioan. 13.
 quòd mei discipuli estis, si mutuò uos amabimini. Et
 ipse Paulus inquit: Plenitudo legis est dilectio. Ac Do Rom. 13
 minus rursus de dilectione in Deū & in proximū:
 In his, inquit, duobus mandatis tota lex pendet & Matth. 22
 Prophete. Perinde atq; duo hæc omnium aliorū sum-
 mam contineant, amor inquam in Deum, & in pro-
 ximum. Sanè, inquit: sed hoc in loco proximorū dile-
 ctionē præfert dilectioni ipsius Dei: ut illum deneget
 precatur, & illos lucretur. Porro CHRISTVS ait:
 Qui amat patrem suum & matrē plus quàm me, non
 est me dignus. At nō est hoc diligere plus q̄ CHRI-
 STVM? Quid enim erat eos diligere? Nempe familia-
 res illos ac domesticos CHRISTO efficere. Quo igitur
 pacto est illos supra CHRISTVM amare, quan-
 do quidem & illos ad CHRISTI amicitiam & obe-
 dientiam attrahere conabatur? Potius enim ostenden-
 tis est excellentissimā præstantissimamq; quam erga
 CHRISTVM habebat, dilectionem, quòd & alios ad
 eum adducebat. Nimirū, inquit, si non se ipsum sepa-
 rasset à CHRISTO, dicens, Optarim ipse ego, &
 quæ sequitur. Quid ergo dicemus? Sanè (quod absit)
 diuulsit ne ac separauit? Minimè. Nō enim dixit, oro
 ut hoc fiat: sed feruorem desiderij, quod erga Christū
 habebat, & studium quod gerebat adducendi omnes
 ad ipsum, ac præsertim Iudæos (ipsi enim & cognati
 erant, & mirū aduersabantur in modum.) Hæc itaq;

comprobare cupiens, ait: Si fieri ullo modo posset, ut
 per meum exitium & perditionem CHRISTVS
 glorificetur, & Iudæi seruentur, neque id profecti
 abnuerem. Optarim enim, inquit, si fieri posset, si da
 retur, si quis mihi hanc proponeret optionem. Num
 uis tu à CHRISTO diuelli, ut tota Iudæorum stirps
 uniatur, & glorificetur CHRISTVS, adimplean
 turq; promissiones patris, an ut in hac ipsa tui cum
 CHRISTO coniunctione, & Iudæorum gens dis
 cta maneat ac separata, & blasphemetur CHRI
 STVS? Si hæc igitur proponeretur, inquit, & Chri
 sti gloriam sanè, & multorū salutem priuatè saluè
 præferrem. Viden' dilectionis in CHRISTVM ex
 cellentiam? Cùm ex omnibus quæ sunt, suam in
 CHRISTVM dilectionem ostendisset, nunc quoq;
 ijs quæ non sunt quidem, sed præsupponendo ac
 piuntur, per hunc, quem diximus, casum eandem
 firmat. Etiam priuatam, inquit, salutem, in propo
 sito, pro ipsius gloria, ac Iudæorū ad ipsum cōuer
 sione, neglexissem utiq;. Enimvero Paulus auulsus pro
 gloria CHRISTI, & Iudæorum in ipso unione. Ipsi
 lè rursus uniretur, coagmentareturq;: non secus à
 pullus quispiam paululum à matre diuulsus: sicq; &
 ipse iterum seruaretur, & CHRISTVS plenius glo
 rificaretur, & Iudæorum gens seruaretur, & testa
 menta ac promissiones finem congruum sortirentur.
 Imò uerò si his de causis separaretur, haud separa
 tur, sed arctius uniretur. An non tibi uidetur, quare

do Timotheum circumcidit, quando ipse purificatus est, quando legalia perfecit, cum gratiam prædicaret, quodammodo ab ipsa gratia separatus, sibiq; ipsi contrarius? Sed neq; diuisus erat, nec sibi ipsi contrarius: uerum propter ipsam gratiam, & ut omnes ad CHRISTVM adduceret, cum hæc, tum reliqua omnia peragebat. Istud nanq; ad dilectionem CHRISTO dignam pertinet: istud ad animam, quæ tota mirum in modum in desiderium CHRISTI flagret. Denique uero neq; dicit, fieri anathema, hoc est, posthac ab eo separari atq; diuelli (id enim & odiosissimum esset, & maxime execrandum) sed anathema esse: hoc est, separatus ad hoc usq; tempus, & nondum ad CHRISTVM accessisse. Hoc, inquit, optarim profecto, me nondum ad CHRISTVM uenisse, & adhuc ab eo esse diuisum, si quidem hoc ad uestram introductionem & fidem in ipsum conferret. Non enim propterea duntaxat quod ipse ad CHRISTVM accesserim, idcirco etiam uos me aduocare putetis, inquit: etiam ante me uelim uos ad eum accurrisse. Postea in sequentibus causas quoq; prodit. c ¶ Ego ipse.) Ipse ego. Non alios, inquit, uobis præfero ad accessum ad CHRISTVM, uerum ne me ipsum quidem. Maluerim enim nondum ad eum uenisse, si per hoc ipsi accesseritis. Ipse ego, qui omnium sum magister, qui innumerabiles expecto coronas, qui omnibus eius dilectionem præfero. d ¶ Anathema esse.) Videtur uelle pro fratribus atq; cognatis ab alienari à CHRI-

STO: hęc enim anathematis uis est. Attamen hęc exactè rimanti apparebit, eum ob CHRISTI hęc dilectionem dixisse. Quānam ratione? Quia uidebat CHRISTVM à lud. eis uituperari, eò quòd dicerent: Nos, qui legē & promissiones accepimus, quib; progenitores sumus ipsius CHRISTI, ad quos pertinebat adoptio filiorum, eiectioni sumus: surreperant autem in nostrum locum homines modò ab aris & fociis egressi. Quoniam igitur hęc dicturos norat, non esset occasio blasphemie contra Deum, in tantū cupiebat lud. eos quoq; resipiscere, ut etiam pro eis fieri anathema optaret: quod sanè indicium est ingenitæ in CHRISTVM dilectionis. Quem enim nulla creatura separare poterat à CHRISTO, quomodo caritas erga cognatos & fratres separasset? e. (A Christo.) Propter CHRISTI dilectionem isthuc ait. Uolebat enim ipsum ab omnibus glorificari: sed donum ita publicare nolens (donum siquidem hoc dixerunt ita CHRISTVM amare) maiorem in modum cognatos diligere, quàm seipsum, confingit. f. (Pro fratrib. meis.) Ostendere cupiens ineffabilem ipsius amorem ac studium, quo in lud. eos afficiebatur statim, postquā dixerat, Nihil me separare potest à dilectione Dei, appendit: sed pro fratribus meis, sibi ad eorum emolumentū utilitatemq; conferret, optarim sanè disiungi ac separari. Ad enim anathema significat. g. (Quorum est adoptio.) Ostendere nititur, Deum nihil prætermisisse, quod faceret ad laudandum

deorum beneficium: ipsi autem propria ingratitude
 ne & stultitia ab omnibus istis excidere bonis: ea pro-
 pter recenset Dei munera, nempe adoptionem filio-
 rum, gloriam, legislationem, & reliqua. **h** ¶ Qui
 est super omnia.) Hoc in loco præstantissimum
 ac splendidissimum Deum CHRISTVM uocat
 Apostolus. Erubescere miserrime Ari, diuum audiens
 Paulum, CHRISTVM glorificantem, Deumq;
 uerum dignissime attestantē. **i** ¶ Benedictus.)
 Apostolus ipse pro omnibus gratias retulit, dicēs: Li-
 cet enim contra ipsum blasphemi, inquit, Iudæi sint,
 ego tamen, inquit, qui & arcana noui, & eius pro-
 uidentiam compertam habeo, certò scio quòd prædi-
 cari laudariq; dignus est, sicut Deus, CHRISTVS
 super omnia, in secula.

^a Non autem hæc loquor, ^b quasi quòd excide-
 rit sermo Dei. ^c Non enim omnes qui sunt ex
 Israel, sunt Israel: ^d neq; quia sunt semen Abra-
 hæ, omnes propterea filij: uerùm in Isaac uo-
 cabitur tibi semen. ^e hoc est, non filij carnis, ^f hi
 sunt filij Dei: ^g sed filij promissionis, illi repu-
 tantur in semen. Promissionis enim sermo hic
 est: Secundum tempus hoc ueniam, eritq; Sar- **Gen. 18**
 rhæ filius.

^a ¶ Non autem.) En, inquit, anathema que-
 ro fieri, quò Iudæi fidem percipiant, & ut ne uidea-
 tur Deus in suis promissis minus esse uerax. Et
 tamen si rem fuerimus diligentius contemplati,

neq; nunc excidit sermo Dei, uel promissio facta est
 irrita. Hec enim dixi, inquit, non quasi quod sermo
 Dei exciderit, hoc est, non quod exciderit, cassusue sit
 effectus, uerum ut meam erga illos ostenderem dile-
 ctionem. Deinceps etiam monstrat, quomodo sermo
 Dei, ac promissio Abrahæ facta, non exciderit. **Quæ
 nam?** **Quæ** pollicetur semen eius futurum astris sunt
 le. Illud porro est secundum promissionem semen fi-
 delium nempe, & eorum qui à diuina non excidere
 prouidentia. **b ¶** Quasi quod exciderit sermo.
PHOTII: Non modò, inquit, nō excidit sermo Dei,
 imò ne quasi quidem excidit: hoc est, uerum etiam ne-
 casus quidem appropiauit, uel eò, ut saltem excidisse
 uideatur. **c ¶** Non enim omnes.) **Ecquo mo-
 do,** inquit, non excidit sermo Dei? **Quoniam,** inquit,
 non omnes qui ex Israël sunt, Israëlitæ sunt, hoc est,
 semen Abrahæ. Deinde seipsum declarat. Non enim
 si qui sunt filij Abrahæ secundum carnem, statim etiam
 filij sunt promissionis, & quibus promissio facta est.
 Verum qui nam filij sint Abrahæ, audi, inquit, Scri-
 pturam. Obserua autem quod non dixerit, ex Iacob
 uerum ex Israël: uirtutis manifestationē ac noticiam
 Israëlī attribuens, supernumq; ac cœleste donum si-
 gnificans. **d ¶** Neq; qui sunt.) **PHOTII:** Si nō
 omnes, inquit, qui ex semine sunt Abrahæ, hi etiam fi-
 lij Abrahæ sunt, alius proculdubio modus est qui fa-
 cit ipsos filios Abrahæ, & nō ex eo generatio. **Quis
 porro iste?** Nempe ex promissione: hoc est, illi sunt fi-
 lij,

lij, q
 sunt,
 dele
 lij ca
 ptura
 seme
 lij su
 neq;
 uirtu
 serat
 bent,
 f ¶
 doqu
 tum
 sunt:
 nos fi
 dei: f
 g ¶
 Isaac
 filij I
 tute
 Abra
 bap
 ficam
 & fil
 ne ba
 phet
 Lau

filij, qui digni habiti sunt promissione, adimpletiq;
 sunt, ac multiplicati instar caeli astrorum, ut sunt fi-
 deles, hoc est, non filij carnis. e ¶ Hoc est, non fi-
 lij carnis.) Deinde interpretatur prolatam scriptu-
 pturam, quid, inquam, sit, in Isaac uocabitur tibi Gen. 21.
 semen. quoniam, inquit, qui ex promissione sunt, fi-
 lij sunt. Non autem dixit, Abraham, sed Dei: ostendens
 neq; Isaac simpliciter esse filium Abraham, quòd non
 uirtute seminis ortus sit, sed uirtute illius qui promi-
 serat: ut indicet, quòd qui adoptionem filiorum ha-
 bent, ipsi sunt secundum promissionem filij Abraham.
 f ¶ Hi sunt filij Dei.) Alioqui etià Idumæi, quan-
 doquidē & ipsi progeniti fuerūt ab Abraham, quan-
 tum attinet ad carnem, debebant esse filij Dei: sed nō
 sunt: nam secundum carnem sunt semen Abraham. At
 nos filij sumus Abraham, qui sumus eiusdem cum eo fi-
 dei: filij autem Dei per lauacrum baptismatis.
 g ¶ Sed filij promissionis.) Quotquot secundū
 Isaac, inquit, nati sunt, hi & semen sunt Abraham, &
 filij Dei. Nam Isaac nō est natus lege naturæ, sed uir-
 tute promissionis. Igitur qui sic nati sunt, filij sunt
 Abraham. Hanc uerò ad rationē & nos nascimur per
 baptismam. Quinetiam & uerbis nos promissionis ef-
 ficimur filij. Verbis quidem, quòd per nomen Patris,
 & filij, & spiritus sancti, submersiones in ipsa tinctio-
 ne baptismatis fiant. Promissione uerò, quatenus Pro-
 phete ante multa tempora baptismam nunciarūt: ut,
 Lauamini, & Mundi estote. Esa. 1.

^a Non solum autem hoc, sed & Rebecca uno semen habens patre nostro Isaac, ^c qui nondum nati essent, neque quicquam mali, ac boni egissent, ut propositum Dei maneat secundum electionem, ^e non ex operibus, sed uocante, ^f dictum est foeminae: Maior serui minori. Sicut scriptum est: ^g Iacob dilexi, Esau uero odio habui.

Gen. 25
Malach. 1

^a ¶ Non solum autem.) Ecquid, inquit, mirum est, quod Iudaeorum, credentes quidem in semen Abrahae reputantur, increduli autem non item? Nam idem in ueteribusprehendes. Enim uero Isaac solum uerummine censetur, cum tamen et alij ex Chettura nati rint. Non solum autem hoc, inquit, uerum et Rebecca mulac ex uno Isaac semē haberet, duosque genuisset, habuit tamen ambos placentes Deo, neque reputa in semen Abrahae: atqui nondum etiam geniti, ac boni quippiam operati nec mali. Pari ratione dei, alij quidem fideles, ac semen Abrahae sunt seruantur: alij uero infideles, et non item. ^b ¶ (uno semen habens.) Propterea, inquit, quod et ambos Deo placentes habuerit, ambigentibus diluit, inquiens: Quid mirum Iudaeorum quosdam quosdam seruatos esse, quosdam uero non item, cum iam acciderit et in patriarchis? ^c ¶ (Cum nondum nati.) Esau et Iacob. ^d ¶ (Secundum electionem.) Electio, inquam, secundum praescientiam. ^e ¶ (Non ex operibus.) PHOTII: Cum dicit, Propositum Dei

confiliu

cōsiliū eius ostendit. Cū uerò ait, secundū electio-
 nem, significauit plurimū inter sese differre. Nemo
 enim alterum ab altero eligit ac discernit, nisi ab illo
 differat. Dicens autem, non ex operibus, magnitu-
 dinem uocationis adseruit, eiusq; gratia, quòd etiam
 cū nihil patrarint, eligitur & aduocatur. Verū si,
 cū nondum quicq; egerint, eligitur, quomodo eligi-
 tur? Nam electio quidem de illis fit, qui aliqua in re
 differunt: at qui nihil adhuc patrarunt, in quo diffe-
 runt? Multum sanè. Enimuero humanis sanè ocu-
 lis, quoniam nihil iam fuerant operati, nihil differe-
 bant: diuine uerò præscentia, quæ cernit futura,
 plurimum differebant. Etenim hic quidem placuit
 Deo, ille uerò non item. Electio itaque fuit, & non
 ex operibus: & ex uocatione prouenit & gratia, &
 iusta fuit: uerū iustitia huius rei homines latuit, æquè
 ac maiori adhucque ex parte iustitia illa, quæ de
 eorum interitu ac nece, qui uitulum fabricarunt.
 Cū enim omnes ad uituli constationem coissent, nō
 omnes tamen deleti sunt. At licet homines id iusti-
 tie, quæ in horum interitu sita est, latuerit, om-
 nium tamen iudici exactè ac lucidè nota est. & sic de
 innumeris alijs, ut etiā de ijs quæ quotidie accidunt.
 Multa namq; sunt incognitas nobis habentia ratio-
 nes, & quæ rudibus insipientibusq; ratione carere
 uideantur: propter hoc iudicij illius oculo spe-
 culanti omnia, omniāque penetranti, iustè iudi-
 cantur facta fuisse, & fiunt. Diuus autem Paulus

inquit: quòd licet nulla uel arcana ratio in ijs
 sunt, insit, neq; sic oportet aliquos animum despon-
 dere, & accusare, Quare hic quidem sic, iste uero
 uitam ducit? Potestatem enim habet figulus pro libe-
 dine creare, ac fingere. Isti huc proinde ex abundan-
 loquitur: quando quidem eundem apologia, quæ
 tea dixerat, modum in illis adstruit, ubi ait, quòd Scri-
 ptura dicit Pharaoni: Ad hoc ipsum excitauit te, &
 quæ sequuntur. Hoc enim in loco quodammodo in-
 quit, quòd irrationabile uisum cõpluribus sit, quòd
 ipse Pharaon & sublimatus fuerit, & regnauerit, quòd
 tam scelestus, crudelis, ac inhumanus erat: sicut scri-
 ptura ipsa, causa reddita, quod omnino ratione
 rere uidebatur, ratione præstantissimam demonstrat.
 Atqui ait: Ea ipsa rationum prolatio ac dilutio,
 dubietatem contentiosis duntaxat, improbis & igno-
 rantes parere potest: dicturi enim sunt, Idcirco in regem
 excitauit Pharaonem, ut nomen ipsius, qui eum in
 supplicio, eoq; paradoxo & admirando, affecerit, glori-
 osum appareret. Quid igitur illum adhuc accusat?
 uerò cur ipsum iam supplicio tradit? quæ enim
 sit peccata, ad eius admisit gloriam. Nisi enim ad-
 misisset, neutiq; ab eo supplicia exposcisset, nequaquam
 glorificatus fuisset. Sed hoc uoluit: ut enim, inquit, ostendat
 dam, & quæ sequuntur. Quòd si hæc eius fuit uolun-
 tas, quis ille est qui eius possit obsistere uoluntati?
 den quo pacto dilutio ipsa dubietatis, causæq; resolu-
 tio, ambiguitatem improbis non soluerit, sed alteram

ansan-
 sas ei-
 iorum
 enim
 perti-
 requi-
 ei res-
 me co-
 magi-
 quor-
 diore-
 res &
 quap-
 mere-
 bieta-
 na.)
 prius
 nanq;
 nasca-
 let.
 quæ e-
 ait, du-
 odio e-
 C
 pud-
 cuius
 que
 curru-

ansam præbuerit ambiguitatis? Quare satius est causas eiusmodi non requirere, quam requirentes, maiorum ambiguitatū causas dilutiones ipsas facere. Id enim ad candidorū plasmatum ac seruorum officium pertinet, plasmatorem ipsum & dominū causas non requirere: uerū in omnibus, quæ ab eo fiunt, gratias ei referre, quanq̄ rationes, propter quas fiunt, minime comprehendat: quinimò etiam ob id ipsum magis magisq̄; gratias ei agere debemus. Patet enim, quòd quorum nō comprehendimus rationes, in ijs profundiores, mirabilioresq̄; sunt rationes, ac longè maiores & altiores, quàm à nobis apprehendi queant: quapropter maiora oportet etiam allicere ac promereri beneficia. Ipse uerò infra, secundæ quoq; dubietatis dilutionem ponit. f ¶ Dicitum est fœminæ.) Dicitum est fœminæ, ipsi uidelicet Rebeckæ, priusquàm pareret, Maior seruiet minori. Homines *Gen. 25.* nanq; forsitan post factum, Deus autem etiam ante q̄ nascatur ac generetur, optimè quid sit in homine callet. g ¶ Iacob dilexi.) Cùm enim nōdum quicquā egisset Iacob, uocauit eum dilectum: Iacob nanq; *Malach. 1* ait, dilexi, Esau uerò odi. Esau quippe, ait, uti malus odio est habitus: Iacob autem, ut bonus, dilectus fuit.

^a Quid igitur dicemus? Num iniustitia est apud Deum? Absit. ^b Nam Mosi dicit: Miserebor *Exod. 33* cuiuscunq; misereor: & cōmiserabor, quencunq; cōmiseror. ^c Non est igitur uolentis neq; currentis, sed miserentis Dei.

a ¶ Quid igitur.) Pro, Quid de illis dicemus deis, qui in solitudine cōmorati sunt? Nōne omnes simul vitulum conflauerūt? qua igitur ratione, si iustitia non est apud Deum, dictum est, Miserebor iuscunq; misereor? Occultis itaq; oculis Deus inimum corda penetrabat, & non perinde atque mines. Porro neque in Iudeos iniustus est Deus quotquot enim nunc digni sunt, seruantur: crederent enim: quotquot autem indigni, pereunt: non credunt. b ¶ Nam Mosi dicit.) Perinde quod dicit, Ego noui quinam digni sint salute, qui non indigni. Quòd si Moses, inquit, quinam digni esse ignorabat, qui uel non digni, quantò minus nos esse que fiunt, causas dignoscemus? Dei nanque inuisibilis quis indagare potest? Sanè nullus. c ¶ Non igitur uolentis.) Itaque oportet uelle quidem currere, ac quemlibet pro sua uirili agere: atque citra uoluntatem Dei, neque uolens, neque cuiusquam eximij peraget, absque Dei ope. Ceterum qui seruari uult, uult & Deus, & miseretur. Hec autem omnia diuus Paulus hic ait ad illos qui reuertuntur, & dicunt: Cur reiectus est Iudaismus à Deo? loco eius introductus Christianismus, & fides? uolens igitur erudire nos, ne petamus causas earum que agit Deus, sed omnia potius bona ceteremus, licet ea ignoremus, multa adducit, hoc est multis exemplis & signis, quibus infinitam, & que inscrutabilem iudiciorum Dei naturam

com
uolen
que
illud,
Non
gis q
cunc
inqu
mus.
ad al
repet
ficit.
absur
tionis
absur
ritur.
re po
asper
acutè
quis
tu qui
sistis
nō?
respon
foreff
Quar
Quid
Plius

commendet. Et aliter, PHOTII: Non solum uolente, uel currente, sed Dei etiam misericordia atque auxilio opus est. Vel etiam sic accipiendum est illud, igitur non est uolentis, & quæ sequuntur. Non est hoc utpote quod Paulus confiteatur, sed magis quod à dubitantibus proponatur: si enim cuiuscumque uult miseretur, & quæ sequuntur. Si igitur, inquit, hoc est, frustra ergo uolumus, frustraque currimus. Et locutio ad dubitationis confirmationem erit, non ad alicuius alterius solutionem. Item rursus dubitationis repetitio. Pro libito itaque & miseretur, & duros efficit. Deinde tanquam dubitatio non satis sit, quæ absurdi magnitudinem confirmet, eiusdem dubitationis fit repetitio, ad id quod ex hac emergit magis absurdum magisque dubium. Quid enim adhuc conquiretur, inquit? Quid deinceps punit? quis enim obsistere possit uoluntati eius? Hoc modo cum auxisset, & asperam reddidisset dubitationem, solutionem ualde acute comodeque increpando infert, ita dicens: Tu quis es, qui ex aduerso Deo respondes? Hoc est, tu quid nunc facis, dum ex aduerso Deo respondes? resistis ne bellumque infers uoluntati & actioni ipsius, uel non? Nam si non, quid contradicis, quid ex aduerso Deo respondes? Si uero resistis, & contradicis, & ex aduerso respondes, quomodo dicis, uoluntati eius quis obsistit? Quare si quidem resistis, frustra & contra te ipsum dicis, Quid adhuc conqueritur? Si uero non resistis, non amplius dicis, Quid adhuc conqueritur? neque illud,

Cuiuscunq; igitur uult miseretur, quem uerò uoluntatem efficit. Neque in eiusmodi cogitationes omnino adducéris, ut à creatore uelis de ijs rationem persequi, quæ agit, mundum gubernans: nec ipsi contradicere uel resistere. Sic igitur cum sparsim dubitationis solutionem dixisset, alteram etiam solutionem inserta, et proprietate operum quæ apud nos sunt, solutio partim quidem admonitoriũ consilium, et doctrinam continet, partim uerò contradictoriũ adargutionem. Consilium porrò admonitoriũ doctrina huiusmodi est. Quid cõtradicis, qui aduerso uerso factori tuo respondes? Cætera imiter uisitata: tu qui rationis es particeps, ratione carentia inanimata: qui plus debes tuũ collaudatorem, quàm illa suos. Illa nec contradicere, resistunt factori, naturæ licet seruientia: uerum ad eius consilium, et uoluntatem transferuntur: namque factori suo concedunt. Et tu ne naturæ quæ necessitati inseruiens, uerum rationis honore libero arbitrij præditus, nõ subiaces ipsius plasmatore uoluntati, nec gubernationem amas, sed cõtradicere sistis, et rationes, examinaque eorũ quæ sunt accipiuntur, exposcis. Num dicet plasma plasmatore? Quid me fecisti? Hoc porrò est contradictoriũ admentũ. Ex aduerso, inquit, Deo respondes: quæ factus pecces, tanquam ipse uincat uoluntatis sententiam, et libero arbitrio sic sis priuatus. At qui in demus in his plasmatibus quæ libero arbitrio ca-

quæ
cend
fux
cur n
tuo f
arbu
niris
trij e
ijs d
bet t
est h
Fac,
henj
quod
et e
Enu
buen
lect
busc
abe
crea
nes a
habe
abo
que
quis
ri, u
plaj

quæ tu facis. Illa fictoribus suis non contradicunt, di-
 cendo, Quid me ad hunc, & nõ ad illum modum ef-
 finxisti? Vel hoc: Quid me sic, & non sic, uel omnino,
 cur me fecisti? Tu uerò & contradicis, & rationes à
 tuo factore postulas. Non itaq; proprio expoliaris
 arbitrio: non igitur inuitus peccas. Iurè igitur & pu-
 niris tu, & sub accusationem cadis, dum liberi arbi-
 trij es, & non operaris quæ decent. Et hæc quidẽ de
 ijs dicta sufficiant. Quòd porrò inquit, uel non ha-
 bet figulus potestatem, & quæ sequuntur, aliud
 est hoc argumentum per reciprocaionem illatum.
 Fac, inquit, esse iuxta tuum sermonem, alioqui repre-
 hensum, quòd non sis tui iuris liberiq; arbitrij, &
 quòd ita te plasmauerit Deus: neq; sic iustum profe-
 ctio esset, ut uel Deo contradiceres, uel insimulares.
 Enimuero quamuis nullum aliud priuilegium ei tri-
 buere uelis, qui omnibus & ratione præstat, & intel-
 lectu: ueruntamen id ipsum, cuius cum artificibus qui
 buscunq; particeps est, ualde absurdum est ac impiũ,
 ab eo auferre. Quid igitur est hoc? Nihil eorum quæ
 creata sunt, de suo cõqueritur fabricatore, uel ratio-
 nes ab eo exposcit: sed quilibet fabrefactor potestatem
 habet cum fabricandi, tum fingendi pro libito, atque
 ab omni ratione reddenda liber est, præsertim ijs,
 quæ ipse finxerit. Quamobrem & tu, tametsi, ut in-
 quis, ita formatus ac fictus, nullo modo uel conque-
 ri, uel contradicere debes, iuxta communem rerum
 plasmatarum legem ac regulam.

Ait enim Scriptura Pharaoni: ^aIn hoc ipsum excitauit te, ut demonstrarem in te ^bpotentiam meam, & ut annuntiaretur nomen meum in uniuersa terra. ^cIraq; cui uult miseretur: ^dquē autem uult, indurat. ^eDices igitur mihi: Quid adhuc conqueritur? nam uoluntati eius quis resistat? Atqui o homo, tu quis es, qui ex aduerso respōdeas Deo? ^fNum dicet figmentū ei qui finxit, Cur me fecisti ad hunc modum? ^gAn non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massaingat, ^haliud quidem uas ad honorem, aliud uerò ad ignominiam?

^a ¶ In hoc ipsum.) Huius dilutionem infra subdit. Pharaon sanè, ait diuus Paulus, propria malitia passus est, quę eunq; tulit. Enim uero Deus eum seruare uolebat: hinc & longanimis erat, locum ei penitentię tribuens. ^b ¶ Potentiam meā.) OECUMENII: Potentia Dei longanimitas est, potestatisq; maxima. Quis enim non obstupescat tanta Dei longanimitate? Ait itaq;: In hoc te regnare permisi, ut quod sim longanimis demonstratur. ^c ¶ Itaq; cui uult.) Qui dignus est misericordia, eius miseretur: qui uerò durus est & incredulus, durum esse permittit. Non enim iudicij præsens tempus est, sed morum, ac liberi arbitrij. Indurat igitur, pro, durum esse permittit, in libertatem arbitrij concedens. ^d ¶ Quem autem uult.) GREGORII Nysseni: Quòd Aegyptius ille tyrannus à Deo fuerit induratus, non sic accipiendum est, quasi Deus diuinę suę pugnantiam uoluntati

tati, renisumq; menti illius impresserit: uerum quod liberum eius arbitrium, per procliuatatem ad malum, uerbum non acceperit, molliens istum, quo Dei sententia aduersabatur, renisum. S. BASILII: Indurauit Deus Pharaonem, longanimitate uidelicet & dilatione poenae: eius ita malitiam intendens, ut ad extremum usq; finem nequitia eius aucta, diuinum aduersuseum iudicium iustum appareret. e ¶ Dices igitur.) Veluti ex consequentia forsitan dices: Quid igitur reliquum est aduersum nos? Quid adhuc conqueritur, & poenas exposcit? Quis enim consilio eius obstat, & uoluntati? Deinde eorum obstruit ora, qui omnia nosse uolunt quae facit Deus, eorumq; scire causas, rerum inquam. Pro ijs enim, ait, quae discis, esto gratus: pro ijs uero quae ignoras, ne sis aegro animo, ne ea scruteris, ne curiose rimeris: compertum habens, quod omnia iuste, & non citra rectam eueniant rationem, etiam si huiusmodi te lateant rationes. Et cum ita sese habeat ueritas, tu quis es o homo, qui ex aduerso respōdeas Deo? hoc est, repugnes, ac relucte ris, atq; rimeris. Pulchrū autem est quod ait: Tu quis es? es ne particeps dominatus illius? es ne iudex ipsius? f ¶ Num dicet figmentum.) Non ut libertatem tollat arbitrij, haec appendit: minime: uerū ut modis omnibus ostendat, nos oportere obtemperare Deo, etiam si eorum quae fiunt, causas ignoremus: ut in postulatione causarum ac rationū illarum rerū quae fiunt, uel non postulatione, conuenit persuasum

esse, & tacite obtemperare Deo, non secus ac figulus.
 lutum. g ¶ An non habet.) Habet, inquit, potestatem
 Deus, mortuos excitans, hos quidem ad gloriam
 excitare, illos autem ad ignominiam, iuxta proportionem
 antea factae uitae. Ita sanctus Methodius in concione
 de resurrectione. h ¶ Aliud quidem uas.) Non quod alios
 quidem bonos, alios autem non tales condiderit Deus:
 minime: uerum omnia Dei bona ex aequo sunt communia
 omnibus, & quantum ad ipsum pertinet, hoc est, iuxta
 ipsius consilium & uoluntatem, omnes probos euadere
 uoluit, ac uirtutibus praeditos, & fideles: uerum
 Apostolus haec de potentia Dei asserit, qua quae
 sibi placuerint, facit. Omnino, inquit, pulchre, &
 probe, decenterque facit, etiam si rationem ignoremus.
 Et ait: Quemadmodum figulus, quod ipsi uisum fuerit
 facit, neque quicquam contradicit ei lutum, curiose
 uel sciscitatur: sic neque tu, inquit, uel curiosum
 mare, uel aegre fertis, pro quibuscunque quae te
 Deus ignorare uoluit. Etenim harum tibi ignorantia
 reuera omnino conducit: alioqui doctus profecto fuisses,
 quae non didicisti.

Si autem Deus uolens ostendere ^biram, et manifestare potentiam suam, ^ctulit in multa longanimitate ^duasa irae, ^eapparata ad interitum: ^f& ut manifestaret diuitias gloriae suae & super uasa misericordiae, ^hquae praeparauit ad gloriam: quos & uocauit nos, ⁱnon solum ex Iudaeis, uerum etiam ex Gentibus: ^ksicut & in Osee dicit,

Vocabo

Vocabo non populum meum, populum meū: *Of.*
 & non dilectam, dilectam. Et erit in loco, ubi
 dictum fuerat eis: ^m Non populus meus uos,
 illic uocabuntur filij Dei uiuentis.

a ¶ Si autem Deus.) Longanimitatem uoluit
 demonstrare. Verū simulac ad dementiam usi sunt
 longanimitate Dei, iram illis deinceps demonstrauit.
 Inspicito Dei iudicia. Et aliter, PHOTII: Quòd si
 uolens Deus ostendere iram, hunc quoq; ad modū in-
 telligas licet. Vel illius expressiū est argumenti prio-
 ris, per plura illud dilatans, & iterans: uel priuatim,
 peculiariterq; supra ea quæ dicta iam fuerant, aliud
 introducit, quod ad suppositionem eandem cōducit.
 Oportebat, inquit, ut nota fieret ultrix Dei potestas,
 longanimitas, beneuolentia, clementia, ineffabilisq;
 ac copiosa ipsius gloria. Hæc porrò unde manifestan-
 tur? Ex ijs nimirum, quæ compluribus mortaliū ra-
 tione carere uidentur: ex Pharaone, ex uocatione nō
 populi, populi: ex reliquiarum salute, & his simili-
 bus. Itaq; ex ijs, per quæ rudes & ingrati & stolidi
 Dei cōdemnant iustitiam, & iniustitiam nuncupant,
 grati & candidi magna lucrantur. Haud igitur ipsa
 rerum natura dubium hoc habet, sed sola stolidorum
 ingratorumq; blasphemia. ALITER: Quòd ait, si
 autem uolens, & quæ sequuntur, superioribus a-
 ptantur. Si uolens, inquit, Deus ostendere, & ut ma-
 nifestaret. & Illic uocabuntur filij Dei uiuen-
 tis. & Reliquiæ Israëlitis seruabuntur: si hæc in-

quam facit, tu quis es, qui ex aduerso respōdeas Deo
 b ¶ Volens ostendere iram.) OECUMENI
 Nunquid igitur iræ affectu Deus apprehensus est:
 Nequaquã. Enimuero quia talia egit, qualia nos in-
 dignantes facimus, iram huiusmodi rem ex nobis co-
 gnito appellauit. c ¶ Tulit in multa.) Hoc est,
 omnino longanimis fuit, ad resipiscentiam Pharaonis
 ducens: ut uerò non peruenit ad resipiscentiam, mo-
 resq; sobrios, pœna ipsum affecit. d ¶ Vasa iræ.)
 Deus quidem longanimitate ac tolerãtia usus est cir-
 ca Pharaonem: at ipse Pharaon uas iræ factus est, id
 est, homo iram Dei accendens, uel iram Dei ad sese
 attrahens: neq; id solum, uerum ad interitum destina-
 tus, hoc est, aptatus, ac destinatus ut omnino periret:
 innuens, quòd ipsemet in causa fuerit iræ ipsius Dei,
 ac propriæ perditionis. Nõ enim est Deus autor ma-
 lorum: sed quisq; uas iræ seipsum apparat, non secus
 ac humanitatis & beneuolentiæ uas, hoc est, miseri-
 cordiæ. Ita quoq; Pharaon, nequaquã Deo autore, sed ma-
 litia propria passus est, quæcunq; pertulit. e ¶ Ap-
 parata ad interitum.) Quid, inquit, condemnas,
 quòd Deus citra rationem tibi uideatur agere? Per
 subdiversionem isthuc legendum est. Et cum ita acco-
 dat, quid, inquit, irrationabilitatẽ condemnas? Tulit
 ad interitum. Interitum autem hoc in loco exitum dicit,
 & mortem. Tulit porrò, inquit, Deus ad interi-
 tum: non utcunq; seu temerè, uerum illos, qui sese in
 uasa iræ apparauerunt. Attamen circa hos quoque
 qu

qui tales etiã seipfos apparauerunt, multa prius longanimitate usus, sic tandem secundum iustitiam supplicio usus est. Vel potius hoc pacto intelligas. Tulit multa cū longanimitate uasa iræ ad interitū appa-
 ta: tulit, inquit, id est, sustinuit, idq; longanimitate multa. Quomodo autē longanimitate multa? Quòd cū parata essent, atq; ad perditionem accommoda, & ferre propter malitiæ exuberantiam iustæ iræ repleta, tamen adhuc ferebat sustinebatq; conuersionem expectans. Quid igitur? ea non pereant? Omnino planum est: apparauerunt enim sese ad perditionem. Pererūt autem postquàm sese aptauerint, postquàm ad finem malitiæ peruenerint, postquàm nihil ex longanimitate Dei adeptæ fuerint emolumentum. Commendatur etiam & demonstratur per iustam ultionē Dei in ipsos, potētia eius: hoc est, ultrix potestas, iræq; demonstratio, quam, qui huiusmodi sunt, ut experiantur, digni existunt. ¶ Ut manifestaret diuitias. Duobus modis hoc uerbum confingit, cū per repetitionem, tum per defectum. Repetas enim necesse est uerbum, tulit, hunc ad modum: Tulit uasa iræ, & tulit uasa misericordiæ. Per defectum uerò, quoniã non dixit ad quid uasa misericordiæ tulerit, quemadmodum ibi dixerat de uasibus iræ, quòd ad interitum: subaudiendum est itaq; hîc, ad salutem. Nam ijs, qui Dei contemnebant potestatem, necessarium atq; utile fuit notam illis facere per ultionem, potentiã, omnipotentiam, uniuersalemq; illius protectionē, prouidi

dentiam, & prospectiōem. g ¶ Super uasa misericordiae.) Quemadmodū, inquit, ad uasa irae, hoc est, ad Pharaonem tulit iram, uerūm cū diu fuisset longanimis & patiens: sic ad misericordiae uasa, hoc est, in nos qui digni per eum sumus misericordia reputati, tulit humanitatem & clementiam. Hoc enim subaudiendum est. h ¶ Quae prae parauit ad gloriam.) Praeparauit, inquit, postquam dignos cognouit misericordia per fidem. Id uerò ad gloriam suam pertinet. PHOTII: Praeparauit sanè, ut qui praesciuerit, noueritq; studiosos futuros. Apparauit itaq; ipsius misericordia, digna uasa ad gloriam, hoc est, ut ea redderet gloriosa. Diuitiae quippe gloriae suae manifestatae sunt in nobis, quòd idolis deditos, passio numq; & peccati seruos, nò modò ijs liberauit, quin etiam adoptione glorificauit. Vnde igitur alij quidē uasa irae, alij uerò uasa misericordiae? A propria uidelicet electione, deliberatione, ac uolūtate. Deus autem apprimè bonus, utrisq; bonitatem suam ostendit. Non enim eorū tantū qui seruantur misertus est, uerum etiam Pharaonis, & partem etiam populi sui miseratus est. i ¶ Non solūm ex Iudaeis.) Videt quòd Deus, non unius duntaxat partis Deus est: sed enim ex Iudaeis, & Gentibus, qui per fidem digni salute sunt, seruat. k ¶ Sicut & in Osee.) Quòd uerò nò temerè, inquit, neq; ut fortè diceret aliquis, quòd unius partis studiosus, seruauerit Deus fideles qui ex Gentibus, sed quoniam digni fuerunt salute, ci
tat Pro-

tat Prophetā, qui ante multa tempora id ipsum præ-
 cinuerit. Ecce enim Deus & populum, & dilectam
 ecclesiā, tum filios quoq; ex Gentibus appellat. Quid
 ita? Omnino sanè ob illorum gratitudinem, animiue
 candorem & fidem. l ¶ (Et non dilectam.) Ex
 Gentibus ecclesiam intelligit, quæ antehac nō erat di-
 lecta: nec enim agnoscebat Deum. m ¶ (Non po-
 pulus meus.) Gentes enim Deus olim auersabatur
 ob superstitionem.

Esaïas autem ^a clamat super Israële: Si fuerit Esa. 10
 numerus filiorum Israël ut arena maris, ^b reli-
 quix seruabuntur. Sermonem enim ^c consum-
 mans, & concidens in iustitia: quoniam ^d uer-
 bum cōcisum faciet Dominus in terra. Et quæ-
 admodū prius dixit Esaïas: Nisi Dominus ^e Sa Esa. 1
 baoth reliquisset nobis ^e semen, ueluti Sodoma
 facti essemus, & Gomorrhæ assimilati essemus.

^a ¶ (Esaïas autē clamat,) Nō remisse, inquit, loqui
 tur, sed palām clamat. Ad hæc omnia imperuestiga-
 bilia iudicia eius, tu quis es qui ex aduerso respōdeas
 Deo? Ab illo nanq; dependere, subaudiendū est hoc,
 uel per repetitionem accipiendum. Hoc est: Si uolens
 Deus ostendere, si hæc & hæc fecit, & omnia ad uti-
 litatem ac sapienter, qua tu facie rerum harum ope-
 rumq; rationes exposcere audes, quæ ad eō & sapien-
 tissima sunt & incomprehensibilia? ^b ¶ (Reliquix
 seruabuntur.) Reliquix seruabuntur. Non omnes,
 inquit, sed pars quædam ex eis: id enim reliquix uo-



lunt. Ecce Deus ob suam ineffabilem humanitatem cum ex Iudæis, tum ex Gentibus facit populum suum nouum. c ¶ Sermonem enim consummans. OECUMENII: Consummans enim, siue perficiens indicat, quòd finem habeāt omnes sermones fidei & cognitionis Dei: nec aliud uerbum posthac prædicandum sit, præterquàm quod diuulgatū est, quemadmodum Iudæorū politia & lex, in præsentem Christianismi statum deciderunt. Verùm ad perfectionem totius fidei, omnisq; sermonis, datum est nobis uerbum fidei. PHOTII: Lex quidē Mosaica data fuit, præfigurante Deo, ac præscribente ipsius gratiæ uerbum. Euangelicam uerò dat, perficiens atq; cōcidens: hoc est, omnibus numeris uniuersa explens, adq; optimū finem perducens, qui nullam aliam possit emendationem uel perfectionem admittere. Proinde, quare huius uerbi mentionem fecit, nempe, sermonem autem perficiens & cōcidens? Perinde atq; causam quorundam eorum, quæ antea dicta fuerant, reddens, id ei iunxit. Et asserimus, quòd admodum concinnè ac sectaneè multis ex causis copulauit. Primū quidem, quoniā dixerat, Vocabo nō populum meū, populum meum, & quæ sequuntur: ut ne quis diceret, Equid hoc? Sicut enim nōnulli ex populo facti sunt non populus, ita quoq; tametsi ex nō populo populus fieri, nihil prohibet & hos iuxtā rursus non populū fieri. Nequaquā ita est, inquit: sermonem enim cōplens, conficiens, consummans, concidensq;. Nam illa quidē

dem mutabantur, ac de una in aliam speciem transfe-
 rebantur, cum ad melius omnes transmutari debe-
 rent. Nunc autem non ita: quoniam perfecta & abso-
 luta est presens uocatio, spiritualis legislatio, atque
 professio. Hac, inquam, de causa dixit, sermonem perfi-
 ciens. Secundo autem, quia dixerat, Si fuerit numerus
 filiorum Israël sicut arena maris, & quæ sequuntur:
 ne dicerent, Sæpius promissiones multas audientes,
 uel neq; omnino nacti eas sumus, uel post longum ac
 plurimum tempus: enim uero à multis ob suam ingra-
 tudinem stoliditatemq; animi exciderunt. Ne hunc igitur
 ad modum loqueretur Iudei, nequaquam sanè ita &
 in hoc tempore, inquit, erit: sed, modo uelitis, perfe-
 cta, consummata, concisaq; ad manus salus uobis ad-
 est. Idq; sanè, quia concinnè admodum aptauit. Ha-
 bet porrò & propriam doctrinam: (huiusmodi enim
 est diui Pauli idioma) & copulat, & mutuò ea con-
 iungit, quæ deinceps dicuntur, cum ijs quæ antea di-
 cta fuerint, ac singularem rursus peculiaremq; in-
 tellectum & doctrinam per eadem fundit. Feracissi-
 mus namq; uberrimusq; cum sit intellectibus, breuissi-
 mis uerbis plures & uarias complectitur intelligen-
 tias. Et nunc itaq; ait, ne arbitremini o Iudei, legem
 Euangelicam æquè ac Mosaicam destitutam: illa ty-
 pus fuit, ad aliam aspiciebat perfectiorem: rectè igitur
 cessauit. Dominica proinde legis sanctio, perfe-
 cta est & absoluta. Ad hanc Mosaica prospectabat,
 huius typus erat. In hac enim uera illa & perfecta ius

stificatio & salus est, & post hanc erit nulla. Merito propterea illa quidē cessauit, indiesq; magis magisq; cessabit: hęc autem sempiternò erit. Verum hęc profectò ait, ut ad fidem CHRISTI hortetur, & ad normam illam uiuendi iuxta Euangelium. d ¶ Quoniam uerbum concisum.) Sermonem consummatum & concisum dedit, inquit, & compendiu, & breuitatem, & cōcisionem. Concisus uerò & consummatu sermo, est fidei sermo, qui salutem credentib. conferet. ALITER: Fidem dicit. Si enim dixeris ore tuo Dominū I E S V M, & credideris in corde tuo, quòd Deus ipsum excitauit ex mortuis, seruaberis. Hoc, inquam, est quod faciet, hoc est, dabit. Vides breuitatem, & perfectionem? e ¶ Nisi Dominus Sabaoth.) Virtutum, exercituum. PHOTII: Timorem illis incuit per hęc, coërcetq;: Quoniam nisi omnino aliqui in CHRISTVM credent, Sodomis & Gomorrhę nihil omnino prestabitis, etsi de cognitione Abrahę plurimū gloriemini. Vel magis ad illud quod ait, faciet concisum sermonem, accipienda est prophetica elocutio: hoc est, nisi fecisset hoc Dominus, ac nobis dedisset perfectam Euangelij legem per filium suum in iustificationem & salutem nostrā, omnes nimirū ut Sodoma euasissimus, & quę sequuntur. Nam semen Euangelicam legem insinuat, quęntum admodum & ipse Dominus asserit: Exijt qui seminatum ad seminandum. f ¶ Reliquisset.) Non solum, inquit, seminauit, uerū neq; permisit ut ipsa semina

Matth. 13
Luc. 8.

min
agr
cor
uat
o
sto
fer
so
lu
eti
Q
tat
me
inq
nu
he
eu
per
tit
ME
ST
raa
inte
can
hor
per
sit

mina à uolucris raperentur, uel à quoquā aliorum
 agrorum immundorum uel spirituum, seu cogitationum,
 corrumpentur: uerum etiam seminavit, & perser-
 uauit, ita ut nobis sit reliquum, & ad agricolationem
 & fructum proficere. Posses autē per semen & Apo-
 stolos accipere, qui ex omnibus Iudæis ius seminis au-
 ferentes & asportantes, orbi dereliquerunt uniuers-
 so, & omnes Gentes ipsi ecclesie CHRISTI exco-
 luerūt. Etenim in Euangelio fermenti parabola, ipsis **Matth. 13**
 etiam patribus nostris accommodata præcipue sumitur. **Luc. 13**
 Quantum itaq; ad Iudæorum, inquit, pertinet increduli-
 tatem, uti Gomorra et Sodoma facti essemus. At se-
 men nobis à Domino Sabaoth derelictum, Apostoli
 inquam, & Gentes fructificantes, & agricolationem
 multiplicem demonstrantes, promissiones illas Abra-
 hae factas, in ipsis pullulare, & ad perfectionem rerum
 euadere præ se ferunt. Dereliquisset nobis, tum
 per suam ipsius gratiam, tum per derelictorum gra-
 titudinē, & candorem animi. 2 ¶ (Semen.) OECU-
 MENII: Poteris etiam hunc ad modum de CHRIS-
 TO intelligere, sicut inquit diuus Cyrillus: hoc est,
 radicem & massam. Ita porro semen de CHRISTO
 intelliges, quod corpus uidelicet habeat peccato ua-
 cans (nam partus eius absq; semine fuit: omnes enim
 homines peccauerūt) & planum est, quod semen ex-
 pers peccato, & homo peccato carens, & uerus
 sit Deus.

^a Quid igitur dicemus: ^b quod Gentes ^c quæ

non sectabantur iustitiam, apprehenderūt iustitiam, ^diustitiam autem quæ ex fide: Israël autem, qui sectabatur ^e legem iustitiæ, ad legē iustitiæ ^f non peruenit. Quare? ^g Quoniam non ex fide, sed ueluti ex operibus legis. ^h Offenderunt enim in lapidem offendiculi, sicut scriptū

Esa. 28 est: Ecce pono in Sion ⁱ lapidem offendiculi, & petram offensionis: & ^k omnis qui credit in ipsum, non pudebit.

a ¶ Quid igitur dicemus? Ecce dilutio omnis, quamobrem fideles quidem æternū sunt seruati: in Iudaismo autem permanentes, nō item. *b* ¶ Quod Gentes.) *PHOTII*: Causas postulas, quamobrem in semen Abrahæ hi, qui nō essent ex circumcissione, reputantur, inquit: cur non populus, factus sit populus, & qui essent ex circumcissione abijciantur. Multi quidem dixi, quæ demonstrarent nullo te pacto hæc inquirere decere: quando quidem multa etiam apud te Iudæe facta fuerint, quorum ignoras rationes. Iacob antequam quicquā faceret, præiudicatus fuit Esau. Illi ex tam numerosa multitudine qui uitulū confluauerunt, morte mulctati sunt, tametsi omnes in hæc conuenerint impietatem. Pharaon, & alia innumera. Nunc autē & hoc tibi appono, quod propterea Gentiles in semen Abrahæ computati sunt, tu autem nequaquam: & hi iustificati sunt, tu uerō minime: quod illi ex fide amplexi sunt iustificationem, illamq; salutem quæ ex fide est: tu autem intumescens tanquā ex legis operibus iustificeris, iustificationem despicies

quæ

que est ex fide, merito etiam à semine illius Abrahæ,
 qui ex fide iustificatus fuit, cognoscèris alienus, & de
 populo, non populus factus es, necnon à salute fide-
 lium excidisti. c ¶ Quæ non sectabantur iusti-
 tiam.) Nouum enim est, & extraneum planè, quòd
 Gentes, quæ non sectabantur, apprehenderint: Iudæi
 uerò, qui sectabantur, non apprehenderint. d ¶ Iu-
 stitiam autem.) Hæc enim uerè iustitia est, æquè
 ac iustitia legis est fallax & uana. e ¶ Ad legem
 iustitiæ non peruenerunt.) Hoc est, ad iustitiam,
 quæ ex lege est, non peruenit. Rogabis forsàn, qua-
 re? Quoniam quæ in lege complectebantur, non ser-
 uauit. f ¶ Quoniam non ex fide.) Voluit, in-
 quit, iustificari. Quid igitur causæ est, quo minus per-
 tingeret ad iustitiam? Quòd ex operibus quæsiuit iu-
 stificari. Quis autem mortalium ex operibus iustifice-
 tur? Et nolentes Iudæi ex fide iustificari, sed ex operi-
 bus legis, non sunt iustitiam assecuti. h ¶ Offende-
 runt enim.) Offenderūt, hoc est, increduli perman-
 serunt. Quomodo autè quispiam offendit? Si aduer-
 terit animū ad externam legem, æquè ac Iudæi facie-
 bant, & offenderunt, & frustrati sunt. i ¶ Lapi-
 dem offendiculi.) Offendiculi lapidem, & petrā
 offensionis, CHRISTVM Dominum appellat: nomi-
 ne illo ab ijs, qui in eum impegerūt, eoq; offensi sunt,
 sumpto. THEODORETI: Impingere enim solent
 ij qui aliò mente sua feruntur, & ad iter oculos defi-
 gere nolunt. Id passi nimirū sunt Iudæi. In superflua

enim legis inhiantes, à uatibus prædictum iamoli
lapidem uidere noluerūt. k ¶ (Et omnis qui
dit.) Viden' non esse unius duntaxat partis studium
sum Deū, sed quisquis in eum crediderit, seruabitur.
Infidelibus enim secus quàm natura eius seruat, se ex
hibuit: fidelibus autem iuxta naturam, firmamenti
stabilimentum, & securitatem.

CAPVT X.

FRatres^a, propensa^b quidem uoluntas^c cor
dis mei, & precatio ad Deum pro Israele, est ad
salutē. ^e Testimoniū enim illis perhibeo, quod
zelum Dei habent, ^f sed nō secundum scientiā
& Nam ignorantes^h Dei iustitiam, & propriam
iustitiam quærentes constituere, iustitiæ De
ⁱ non sunt subiecti. ^k Finis enim legis Christus
est, ^l ad iustitiam omni credenti. ^m Moses enim
scribit de iustitia quæ est ex lege, ⁿ quod qui
cerit ea homo, uiuet in ipsis. ^o Quæ uerò ex
est iustitia, sic dicit: ^p Ne dixeris in corde tuo.
Quis ascendet in cælum? hoc est Christum
ducere. aut, Quis descendet in abyssum? hoc est
Christum à mortuis reducere. Sed quid dicitur

Hier. 1 ^q Prope te est uerbū in ore tuo, & in corde tuo
hoc est, uerbum fidei quod prædicamus.

^a ¶ (Fratres.) Quoniam Iudeos pupugerat
pūcturusq; erat adhuc: per id quod ait, Fratres
eos mitigat & demulcet: & ad admonitionem ueni
rus, eos antea præparat, ut ne ira permoueretur.

ita ad audiendum redderentur inepti. **b** ¶ Pro-
 pensam quidem uoluntas.) Hoc est, uehemens de-
 siderium. **c** ¶ (Cordis mei.) Iudeos notaturus,
 beneuolentiam primùm conciliat, ut ne uideatur in-
 fensi inuidentisue esse sermo: sed eius, qui eorum cu-
 ram gerat, increpationis uerba. Ait autem: Valde e-
 tiam cōcupisco, precorq; ut ipsi seruentur. **d** ¶ (Ad
 salutem.) Nequaquam simpliciter pro illis precor, ue-
 rùm ad salutem, ut CHRISTO, inquit, credentes ser-
 uentur. **e** ¶ (Testimonium enim.) Videtur gra-
 tificari Iudeis. Testimonium illis, inquit, perhibeo,
 quòd non propter hominem sunt à CHRISTO dis-
 secti, sed propter zelum sanè Dei. Hoc autè per igno-
 rantiam agūt. Existimantes enim legem esse bonam,
 non adhibent fidem CHRISTO, qui solus seruare po-
 test. **f** ¶ (Sed non secundum scientiam.) Zelū
 quidem, inquit, habent, sed non ut agnoscant: si enim
 talem habuissent zelum, ipsum utiq; agnouissent.
g ¶ (Nam ignorantes.) Verbum est ueniē.
h ¶ (Dei iustitiā.) Iustitiā Dei uocat fidē in Christū,
 ob id uel maximè, quòd gratia Dei indigeat: quam re-
 linquentes, & propriā iustitiā (propriam iustitiam,
 eam quæ ex lege est nuncupat, uel quia nihil porrò
 ualeat, uel quia laboris ac sudoris sit indiga) quæren-
 tes constituere, contententes propriam iustitiam sta-
 bilire, iustitiæ Dei non sunt subiecti: id est, ne illam
 quidem iustitiam adimplerūt, quæ ex lege. Querūt
 enim statuere, proinde nō statuerūt. **i** ¶ (Non sunt

subiecti.) Hoc est, obedientem non subiecerunt e
 uicem. **k** ¶ (Finis enim legis.) In libro nono ci
 tra Iulianum sic habetur: Finis, & ueluti sublatio le
 gis & impletio, CHRISTVS est. **PHOTII**: Quo
 modo autem finis legis est CHRISTVS? Quia iusti
 ficauit: & quotquot illa facere quidem uolebat, &
 non ualuit, hæc omnia CHRISTVS adueniens per
 fecit, & ad optatum finem perduxit, in eos qui fidem
 ipsi adhibuerunt. Et quia ex lege iustitiam quandam
 appellauit, ut ne existimarēt, quòd lex iustificare pos
 sit, CHRISTVM finem & adimpletionem legis ait.
 Lex enim perfectionem habet per fidem in CHRIS
 TVM. Qui igitur in CHRISTVM credit, legem
 implet. **l** ¶ (Ad iustitiam.) Ut uerè, inquit, iusti
 ficet legis consummatorē, hoc est, fidelem. **m** ¶ (Mo
 ses enim scribit.) Legis iustitiæ finis qualis qua
 tusq; sit, monstrat: quòd qui fecerit ea homo, uiuet in
 ipsis. Non igitur seruari potest, quisquis ea non serua
 uerit quæ præcipit lex. At quoniam nemo mortaliū
 adimpleuit, iustitia sanè, quæ est per legem, excidit,
 euauit, & interijt. **n** ¶ (Quòd qui fecerit.) Qui
 legem, inquit, implerit, illis tantummodo fruetur bo
 nis, quæ per legē annūciata sunt: hoc est, terra fluen
 te lacte & melle. **o** ¶ (Quæ uerò ex fide est.)
 Cùm fecisset mentionem iustitiæ quæ est ex lege, iusti
 tiæ item quæ ex fide est meminit, ostenditq; non adeò
 laboriosum, aut difficilem esse: quare hanc nonnulli
 affecuti sunt, illam uerò nemo. **p** ¶ (Ne dixeris in
 corde

corde.) Ut ne existimetur fides transactu facilis, beneq; comprehensibilis intellectu, ideo demonstrat eam labore etiam indigere, & aduersus obscuras cogitationes habere luctam. Ne dixeris enim, ne in corde tuo quidem: hoc est, ne uel cogitaueris, sed cogitationem omnem eijce foras. ALITER: Postquam audisti opera legis hominem iustificare non posse, disce quemadmodum per CHRISTVM absq; labore iustificemur, & maxima cum felicitate. Fidem enim querit ex corde, confessionemq; ex ore. Necessariū porro fuit latius demonstrare uerbum quod dixerat, nempe, quis ascendet in cælum? & quis descendet in abyssum? Licet autē hoc hunc ad modū ab Apostolo sumi ex Mose, iuxta magnam ipsius sapientiā, intellectum. Nam Moses quidem, quo ad literam, sic inquit: Præceptum Dei præ oculis tuis situm est *o* Iudæe, & neq; opus est tibi uel in cælum ascendere, ut illud inuenire possis: uel in abyssum descendere, ut illud percipias: uel transmarinas penetrare regiones: sed prope te est in ore tuo, & in mente tua: uniuersa enim tibi Deus per legem ostendit. Itaq; Moses iuxta literam hæc ita proferre uidetur. Apostolus uerò ad CHRISTVM ea applicauit. Hoc est: Ne addubites, neue dixeris in mēte tua, Quæ ratione CHRISTVS descēdit de cælis, et incarnatus est? Seu, quomodo mortuus ex abisso (qui infimus sanè locorū omniū est) surrexit: sed omnes, ut diximus, cogitationes foras eijce. ¶ Propete est.) Breuis sanè salus est, nihil indi-

gens externis laborib: in mēte nāq; & lingua sita et
ueruntamen solida, forti, prudentiq; anima indige

Nempe, si confessus fueris ^a ore tuo Domi-
num Iesum, & credideris corde tuo, ^b quod
Deus ipsum excitauit à mortuis, seruaberis.
^c Corde nanq; creditur ad iustitiam, ore autem
confessio fit ad salutem. ^d Dicit enim Scriptu-
Esa. 28 ra: Omnis qui credit in ipsum, non pudefiet.
^e Non enim est distinctio Iudæi & Græci. ^f Idē
enim est Dominus omnium, ^g diues in omnes
qui inuocant ipsum. ^h Omnis enim qui inuoca-
uerit nomen Domini, saluus erit. ⁱ Quomodo
igitur inuocabunt, in quem non crediderunt.
^k Quomodo autem credent, quem non audie-
runt? Quomodo autem audient, ^l sine prædi-
cante? Quomodo uerò prædicabūt, ^m nisi mit-
Esa. 52 rantur? ⁿ Sicut scriptū est: ^o Quām speciosi pe-
Nahum 1. des euāgelizantiū pacē, euāgelizantiū bona,

^a ¶ Si confessus fueris ore.) Ostendit quoniam
pacto in corde, hoc est, in cogitatione & lingua, se-
lus sit constituta. ^b ¶ Quod Deus.) Modū ex-
plicat, quo quisq; ad fidem perducatur. Eius nam-
que potentiam meditare, qui CHRISTVM ex mor-
tuis excitauit: sicq; fiet, ut nō sis difficilis ad fidem su-
turus. ^c ¶ Corde nanq; creditur.) Nam si cor-
de, inquit, creditur, CHRISTVS iustificat: ore autem
si eum cōfiteamur, seruat. Sufficiebat quidem cor ad
utraq; & ad credendum, & ad confitendum: nisi pa-
riter operæ precium esset, ore simul profiteri, siue do-
ceti

cere eos qui instituuntur in religione CHRISTI, & in persecutionibus confiteri, & non abnegare ipsum. d ¶ Dicit enim Scriptura.) Testimonium protulit, ut ostenderet, non esse in fide differentiam inter Iudæum & Gentilem. Omnis enim, ait, qui credit, æternum beatus erit: cuius rei Esaiam testem adducit in medium. e ¶ Non enim est distinctio.) Omnibus communem esse gratiam prædicat: & quod supra multis uerbis effecit, Iudæorum fastum deicere uolens, iam nunc paucis sanè persequitur. Nullum, inquit, interstitium est atq; mediū inter Iudæū & Gentilem. Id enim insinuat, Distinctio Iudæi & Græci. f ¶ Idem enim est Dominus.) Suprà de patre dixerat: Num Iudæorum Deus tantū, non autem & Gentium? Nunc idem de filio memorat, ad eò nullum nouit sacrosanctæ Trinitatis discrimen. g ¶ Diues in omnes.) CHRISTVM salutis nostræ apprimè indicat appetentem: quippe qui diuitias suas existimat esse, si plures ad fidem ueniant, & seruentur. Id uerò facit quòd eos erudiat, ne desperent de semetipsis. Nam qui proprias diuitias ducit, alios ab ipso seruari, nunquam cunctabitur, aut differet illam ipsam salutem. h ¶ Omnis enim qui inuocauerit.) Si omnis, nihil igitur Gentes ipsas Iudæi excellunt. Testis porrò est Iohel, qui hæc dicit. i ¶ Quo Iohel 2. modo igitur inuocabunt.) Dixerat, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quomodo igitur licebit eis assequi Prophetæ uerba, hominib. cre-

dere nolentibus? Se ipsos itaq; accusent: salutem enim suam à semet ipsi excludunt. Aliter. PHOTII: Ad modum sanè hic complicatos nescit intellectus, miròq; modo procedit. Diuitias, inquit, arbitratur Christus, fidem ac salutem tuam, adeò quòd totum à CHRISTO sit factum. Vis itaq; seruari? CHRISTVM inuoca. Vis autem inuocare? Credere in primis oportet. Vis porrò credere? Audias primùm necesse est predicantem. Sed predicantem quæris? En ego clamo, Verùm ignoras an missus sum ad predicandum? Ad est propheta, quam supra citauimus, hoc ipsum manifestè clamans, quòd non modò predicabunt, euangelizabuntq; salutem & pacem, sed quòd & magnam Esai. 52. eximiaq; perficient. Quàm speciosi enim sunt peccati ad predicationem currentium, inquit, hoc est, Euangelium annunciantium. Nulla itaq; uobis est an salutis? k ¶ Quomodo autem credent.) Persequens id accidit. Postquàm enim sermones eius audire renuerunt, merito quidem nec crediderunt etiam. l ¶ Sine predicante.) En itaque, inquit, predico: & uos cõdecet tolerare tum uerba, tum oburgationes. m ¶ Nisi mittatur.) Ostendit, quòd haud propria autoritate predicaturus illis uenerit, sed à CHRISTO missus ad hoc fuerit, dignum se hac ratione mōstrans. n ¶ Sicut scriptum est.) Non solum, inquit, missus sum, uerum etiam huiusmodi futurum Apostolatium, iam olim predictam fuisse. Dignus itaq; ex ambobus sum cui fidem adhibeat.

cum ex Apostolatu ipso, tum ex ipsius Apostolatus
 predicatione. o ¶ Quam speciosi pedes.) Pedes
 eorum celebrati sunt, ob prædicationis rationē, Apo-
 stolorum, inquam, euangelizantium pacem: hoc est,
 reconciliationem Dei erga homines, & bona illa quæ
 in ea complectuntur. Itaq; si aliter credi nō poterat,
 præterquam audiendo, & prædicando: prædicatum
 porro fuit, & audierunt: planum sanè est, quòd Deus
 nihil omnino prætermiserit, ipsi autem quandoqui-
 dem fidem abnuerunt, sese accusent.

² Sed nō omnes obediūt Euangelio. Esaias
 enim dicit: ^b Domine, quis credidit auditui no- Esa. 53.
 stro? ^c Fides igitur ex auditu, auditus autē ^d per
 uerbum Dei. Sed dico, ^e Nunquid non audie-
 runt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eo Psal. 18
 rum, & in fines orbis terræ uerba ipsorū. Sed
 dico, ^f Nunquid nō cognouit Israël? ^g Primus
 Moyses dicit: ^h Ego prouocabo uos ad æmula- Deut. 32
 tionem in non gente, in ⁱ gente autem stolidi-
 ad iram cōmouebo uos. ^k Esaias autē rursus
 audet, ac dicit: Inuentus fui ^l his qui me non Esa. 65
 quærebant: cōspicius factus sum his ^m qui de
 me non interrogabant. ⁿ Ad Israëlem autem
 ait: Tota die expandi manus meas ad populū
^o non credentem, & contradicentem.

³ Sed non omnes obediunt Euangelio.)
 Quia diuo Paulo obiectū fuerat: Si à Deo missi estis
 cur nō omnes obtemperant Euangelio? subdit, quòd
 ante nullū temporis istud prædicatum sit. Quòd ne-

rò ait, Domine quis credidit auditui nostro? hoc est
 per pauci, & rari. Cùm enim nos liberi simus arbi-
 trij, neminem Deus adigere uult, uig; pertrahere ad
 salutem. b ¶ Domine.) Si hoc tibi offendiculis
 est, quòd pauci obedierint, id tibi credere persuadeat,
 quòd prædictum sit, non omnes credituros. c ¶ Fi-
 des igitur ex auditu.) Quãdoquidem Iudæi per-
 petuò signa inquirebant, occasione ex loco propheti-
 co accepta, hortatur eos, haud esse necessarium signa
 inquirere. Fides enim ex auditu, ut cernitur, non ex
 signis nascitur. d ¶ Per uerbum Dei.) Cùm au-
 ditum dixisset, infert: Per uerbum Dei. Ne uile quis-
 piam auditum existimes: haud enim humana sunt uer-
 ba quæ dicuntur, uerùm ipseus Dei. Itaq; si mira, no-
 pote ex Deo prodeuntia, uerba inquiris, uerbis ad-
 bito fidem, ut quæ ex Deo dicuntur. e ¶ Nunquid
 non audierunt.) Postquàm dixerat, Fides ex au-
 ditu: sed, inquit, erit qui obijciat: Nunquid igitur
 audierunt Iudæi? Cui respondet: Vniuersus terrarum
 orbis audiuit, perinde ac Propheta quoq; testatur,
 & Iudæi, apud quos maximè diuulgatum erat, non
 audire potuerunt? ALITER: Perinde ac dicere
 quispiam: Ecquid ad Iudæos, si missi fuerint qui præ-
 dicarent, ipsi autem non audierunt omnino? Respon-
 det: Orbis uniuersus audiuit, & quò fieri potest ut non
 audierint ipsi, apud quos tanto tempore sunt Apo-
 stoli conuersati? Imò & Propheta id ipsum testatur.
 Et quam habere poterunt excusationem? f ¶ Nun-
 quid

quid non cognouit Israël?) Sanè, inquit, prædicarunt multi: uerisimile porrò est, Israëlitas nõ agnouisse prædicationis uim. Et quomodo id cõtigit, quòd Gentes, inquit, quibus nihil prædictum erat, agnouerint, Israël uerò non agnouerit, etiam si iam antea au diuisset? En ipse nanq; legislator ait: Ego prouocabo uos ad emulationem per non gentem. Cùm igitur uideretis ex Gentibus nonnullos accedere ad fidem, itemq; deinceps accessuros, uos autè reijci, par erat uos causam non ignorasse. Imò spontè obliui estis uaticiniorum tam apertorũ. g ¶ Primus Moses dicit.) Secundus enim locutus est Esaias. h ¶ Ego prouocabo.) Hoc est, excitabo, exacerbabo, irritaboq;. Maxima porrò est uis huius rei. Nam sepe numero usuuenit, ut qui exhortationi nõ crediderit, emulatione persuadeatur. i ¶ In gente autem stolidi.) Quid enim uilius, quidue stolidius, quàm cultores idolorum? k ¶ Esaias autem.) Maluit, inquit, periclitari etiam, quàm adumbratè proloqui ueritatem, & dispensationem. l ¶ Inuentus fui in his qui me non quærebant.) Quinã sunt qui nec quærebant, nec interrogabant? Qui ex Gentibus uidelicet. Viden' quantas cognoscendi CHRISTI habuerint ansas? Cùm enim uiderent Gentes per fidem approbari, debuerant & ipsi accendi: at spontè excæcati sunt. m ¶ His qui de me interrogabant.) Gentium hinc tumorem exterminat. Quoniã totũ, inquit, hoc gratiæ fuit, attamen & Gentium est. Nam

Deut. 32.

quòd & inuentum, & conspicuum factum nō iam miserint, ipsorū est uirtutis. n. ¶ Ad Israëlem autem ait.) O quanta Iudeorū hæc accusatio est. Ne enim dicerent: Cur nobis nō apparuit, sed Gentibus maiorem in modum, satisq; abundantius in illis conspicuum factum ostendit: quando quidem & eos adhortabatur, non tamen exauditus est Dominus. Totā porro, inquit, die: hoc est, tempore incarnationis: seu potius omni illo, quod præcesserat, tempore, ex quo egressi sunt de Aegypto. o ¶ Ad populum non credentem.) Deus quidem uocabat, ac ueluti ubi suis complectebatur. Quid autem isti? Et inobedientes erant, & contradicebant.

CAPVT XI.

Dico^a igitur: ^b Num repulit deus populū suū? Absit. Nam & ego Israëlites sum, ex semine Abrahamæ, tribus Benjamin. ^c Nō repulit Deus populum suum, quem præsciuerat. ^d Aut nescitis de Elia quid dicat Scriptura: quòd interpellat ^{3. Reg. 19} apud Deum aduersus Israëlem, dicens: Domine prophetas tuos occiderūt, & altaria sua foderunt, & ego relictus sum solus, & querunt animam meam. Sed quid dicit illi ^f diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia uirorum, qui non flexerūt genu Baal. ^g Sic igitur & in ^h præsentī tempore, reliquæ secundæ electionem gratiæ factæ sunt. Si autem ⁱ ex gratia, ^k non iam ex operibus: nam gratia nō iam amplius est gratia, Sin ex operibus, nō porro

ex gratia: quandoquidē opus nō iam est opus.

a ¶ (Dico igitur.) Postquā igitur inobedientes manserunt, & contradixerunt, num id in eorum reiectionem cessit, adeo ut reuerti nullo modo possint, atque per hoc irritæ factæ sint promissiones ad Abraham factæ? Haudquaquam: enimvero & populus eius est, ipsumq; præsciuit, hoc est, ante Gentes. Porro argumentum, & confirmatio huiuscemodi sermonis in promptu est. ipse ego, inquit, Paulus, qui præco, ac doctor sum Gentium, Israëlites sum. Minimè itaque repulsi à Deo estis, sed uos ipsi repellitis. b ¶ (Num repulit.) Per interrogationem & insiciationē prouehit sermonem. c ¶ (Non repulit Deus.) Si enim repulisset, nō ex Iudeis sanè Apostolos & præcones delegisset: nam & ego Paulus Iudeus sum. d ¶ (Aut nescitis in Elia.) Ut ne dicant Iudei: Tu igitur solus, uniuersus es populus Israëlitis: inq; te promissiones Abraham factæ finē sunt accepturæ? Dicit ad hoc: Multi sanè seruati sunt, qui nobis haud sunt cogniti. Etenim & Elias solus putabatur esse relictus, uerū audiuit etiā alios superesse. Quā ad rationē iam nunc, ait, multi profectō sunt ex Iudeis fideles: at qui uos ignorantes, arbitramini me solū esse. e ¶ (Et ego relictus sum solus.) Quod si Elias ignorabat se solum non esse, quid mirum si uos nesciatis? f ¶ (Sed quid dicit illi diuinum responsum?) Hoc est, sermocinatio Dei: hanc enim responsum uocat. Vocata uerò illa, nempe, reliqui,

indicat plurimā partem gratiæ fuisse. g ¶ (Sic igitur.) ¶ (Quemadmodum igitur tum, inquit, ex uerso populo septem millia Deo placebant: sic hodieq; per pauci placent, qui & ipsi in semen Abrahæ reputantur, & non excidit promissio Dei. h ¶ (In præsentī tempore.) Igitur etiā temporibus Eliæ, salus illorum, gratiæ adscribenda fuit: hoc enim coniunctio, Et, denunciat. Ac rursum: Perinde ac Eliæ temporibus reliquiæ placebant, secundū gratiam electorum. Cū uerò dicit, electionem, monstrat pariter electorum probitatē. Non enim reprobi electi sunt. Sed cū ait, ex gratia, Dei donum ostendit. i ¶ (Si autem ex gratia.) PHOTII: Si per gratiā deligimur, facile erit ut ad CHRISTVM curamus, & in eum credamus. Haud enim operibus indigemus ad CHRISTVM accurrendum, inq; cum credendum, sed sola uoluntas & mentis intentio sufficit. Nam secundū gratiam, & non propter opera, nos recipit Deus. Igitur si ex gratia & uocat, & accipit, nullis ad hoc operibus opus est. Alioqui si operibus indigeremus, haudquāq; gratia maneret gratia, si per opus in mercedem cōmutaretur. Itaq; nō est gratia, ipsa gratia. Nedum istud cōsequeretur porro absurdum, si quidem arbitrarēmur necessaria nobis esse opera ad accedendū ad CHRISTVM, & in eum credendum, uerum etiā alterū haud dissimile huius. Quòd si quidem ex operibus accedendum nos oportere fuerimus arbitrati, planum est quòd gratia tollitur.

tur. Alioqui nisi tolleretur, nec opus iam remaneret opus, uetante gratia opus omnino subsistere, sed stultam inanemq; uocationem ipsam ostendente. Plurimum sanè inter sese opus & gratia secundùm eorum naturã distant. Et opus quidem sequitur merces, non autem gratia: gratia uerò donatur, non instar retributionis, sed ueluti donum, & liberalitas. Itaq; manifestum est, quòd cum gratia beneficentiam præstet, si quis hanc putet per opera se affecuturũ esse, de medio, quantũ ad se, gratiam tollit, nec iam amplius gratia manet gratia. Rursum uerò nec opera remanent opera: propriam enim naturam non seruant: quandoquidem opera merces, non gratia sequitur. Cum itaq; gratia suppeditet beneficium, si quis uerò per opera hãc assequi conetur, inanis erit conatus ipsius, quandoquidem opera ipsa, deinceps opera permanere non ualeant: haud enim ijs merces erit, occupante gratia, & uanè laborante homine, ut id per opera assequatur, quod gratis largitur gratia. ALITER: Si ex gratia, inquit, non iam amplius ex operibus. Quoniam si permittatur, quòd ex operibus, tollitur gratia esse gratiam. Item si ex operibus, non iam amplius est gratia: quomã si detur gratia, non iam opus perseverat esse opus. ¶ Non iam ex operib.) Ut ne dicant: Etiam si Prophetæ admoneant nos, adhorteturq; Deus, Gentiũ quoq; prouocatio ad emulationem satis sit, ut nos ad fidem accederemus: attamen quia grauia quaedam exiguntur à nobis, idcir-

co nō obtemperamus, subdit: Gratia est quicquid per
Christum cōtigit: nec opera ad fidem sunt necessaria.
Neque enim qui crediderunt, ob prae terita opera a
catione illa digni uisi sunt, uerū gratia Dei hoc
est. ¶ Quādoquidem opus non iam.) Nam
si gratia opus postulat, opus igitur non est opus, cum
gratia praeoccupauerit, & facta sit ipsa opus, ac ue
luit opus, ne sit opus, expellat.

^a Quid igitur: quod quaerit Israël hoc nō est
assecutus, ^b electio autem est assecuta: reliqui
uerō indurati sunt, quemadmodum scriptum
est: ^d Dedit eis Deus, ^e spiritum cōpunctionis
^f oculos, ut non uideant: & aures, ut non au
diant, usque ad hodiernum diem. ^g Et Dauid in
quit: Fiat ^h mensa ipsorum in laqueum, & ad
uenationem, & ad offendiculum, & in ^k retri
butionem ipsis. ^l Obtenebrētur oculi eorum
uideant, & ^m tergum illorum semper incuruetur.

Psal. 68.

^a ¶ Quid igitur.) Hoc nō est interrogantis
accusantis. Secū, inquit, ipse pugnat Iudaeus, quaerit
iustitiam, quam nō uult accipere. Hoc enim, ait, impo
nit Iudaeus, quod non uult assequi. Quod enim
non est assecutus: iuxta propiam intelliges uolunt
tatem. Non est, inquam, assecutus: sciens sese assequi
tum non esse, iuxta quod nullo modo poterat. Quis
enim, obsecro, ex operibus iustificetur unquam?
^b ¶ Electio autē.) Ex Iudaeis uidelicet & ex Gen
tibus fideles. Electionem autem dicens, & illorum pro
bitatem, & Dei gratiam prae se fert. Assecutus est a
tem.

tem, bonorum magnitudinem indicat. c ¶ Reliqui uerò.) Quinam? Quicumq; in iudaismo perdurauerunt. Deinceps post reprehensionem, audet & obcecationē illis obijcere. d ¶ Dedit eis Deus.) Dedit, non actū, sed permissum intellige: hoc est, accipere sinit, adeoq; permisit. e ¶ Spiritū cōpunctionis.) Compunctionē uocat, animi ad peiora habitudinē, et attentionē. Cōpungi enim, est insigi alicubi, & affigi tam bono q̄ malo. In hoc autē loco, impermutabilē ipsorū ad malū procliuatē & conatū, cōpunctionē uocat. f ¶ Oculos ut non uideant.) Postq̄ dixit, Obtenebrati sunt, Esaiæ testimoniū profert, ut non uideatur molestus esse. Causam uerò obcecationis, dicit illorū fuisse peruicaciam & ambitionē. Oculos enim habentes, quibus uidere poterāt mirifica CHRISTI, & aures, uti doctrinam ipsius audirent, neutris horū opportunē usi sunt: sed hos quidem clauserunt, illos autem obfirmarunt, in hoc unice incumbentes, ne salui fierent. g ¶ Et David inquit.) Tandem incredulitatis huius pœnam uaticinantem David profert, quæ iam uera facta est, & ad suum effectum deducta. h ¶ Fiat mensa ipsorum.) Bona ipsorum atq; deliciae in contrarium uertantur. Id significat, mensa, & laqueus. i ¶ Et ad uenationem.) OECUMENII: Facile, inquit, à persequentibus, imò à ministris capiuntur. k ¶ Et in retributionē.) Retributionem dixit, ostendens, quòd hæc patientes, peccatorum pœnas luant.

l ¶(Obtenebrentur oculi.) Quod spōtè ab ip
 futurum erat, ceu in execrationis parte cōmemor
 Nam simulac noluerunt solem iustitiæ intueri, ne
 uideant, inquit. m ¶(Et tergum illorum.) Ipsi
 Romanis subiugandos fore indicat. Quòd semp
 adijcit, innuit eos nunquam futuros liberos.

Dico igitur: ^a Num impegerunt ut caderent
 Absit: ^b uerùm ipsorū lapsu, salus Gentibus cō
 tigit, in hoc, ut eos ^c ad æmulationem prouoc
 ret. ^d Quòd si lapsus ipsorū ^e diuitiæ sunt minu
 di, ac diminutio ipsorum diuitiæ sunt Gentium
^f quātò magis plenitudo eorum? & Vobis enim
 dico Gentibus, quatenus ego quidem sum
 postolus Gentium, ministerium meum gloriæ
 eo, ^h si quo modo ad æmulationem prouocet
ⁱ carnem meam, & seruem ^k quosdam ex ip

a ¶(Num impegerunt.) Cū acriter eos
 psisset, attentat iam nonnihil eis consolationis
 re, & inuenire. Ne peccata, inquit, grauiissima
 num igitur sic impegerunt, ut lapsi non resurg
 etiam si uelint? Absit, inquit. Nam quantum
 rum fuerit lapsus, modo uelint, Deo reconciliari
 sunt. Interim tamen obserua, quòd uel in ipsa con
 latione reos ipsos maximorū faciat delictorū.

¶ II: Quoniam offendentium alij quidem tantum
 modo impingūt, alij uerò etiam corruunt, uolens
 deos à magna illa animi deiectione ac desperatione
 ut qui olim iam contumelia fuerint affecti, abduce
 sum

simulq
 ad ext
 pege
 tioner
 bus q
 illorū
 ex G
 ipso
 dem
 caru
 uerò
 enim
 Dei
 exhi
 runt
 bi, n
 Deu
 rum
 gera
 pege
 rò, u
 rur
 omni
 runt
 cati
 cas
 etu
 dō

simulq; ad fidem allicere, ait: Casus ipsorum nequaquam
 ad extremam ruinam cecidit, uerum solummodo quasi im-
 pegerunt. Idq; non temere, sed ob quandam dispensa-
 tionem permissum fuit, ut per illorum casum Genti-
 bus quidem gigneretur salus: gigneretur, inquam, et
 illorummet correctio, emulantiu, eosq; sectantium qui
 ex Gentibus. Itaq; quod ipsi ceciderint, modo quoda
 ipsorum quoq; emendationem peragit: quandoqui-
 dem per casum ipsoru salus obtingat Gentibus: perq;
 earum salutem, emulatio Iudaeoru: per emulatione
 uero, eorum, qui iam conciderant, emendatio. Talis
 enim ineffabilis, incomprehensibilisq; providentia
 Dei ac dispensatio, ex difficilibus facilia, et ex malis
 exhibet meliora. Nam Iudaei quidem adeo impege-
 runt, ut et corruerent, et ita affecti essent, ut nec sibi,
 nec alijs cuiuspiam boni in causa esse possent: at
 Deus illorum casu et ad Gentiu salutem, et ad ipso-
 rummet correctionem a casu usus est. Igitur non impe-
 gerunt (Deo haec dispensante) ut caderent, uerum im-
 pegerunt ut corrigerentur, emendarenturq;: imò ue-
 rò, ut ipse inquit, ut diuinae mundi fieret. Ac per hoc
 rursus perfecta totius mundi recõciliatio, perfectaq;
 omnium resurrectio, non eorum tantum qui impege-
 runt, uerum etiam eoru qui ad mortem usq; mortifi-
 cationemq; corruerunt. Et inspicio: in initio quidem
 casum dixit, et inobedientiam Iudaeoru: deinde deli-
 ctum, siue lapsum: sed quia monstrauerat illis (si mo-
 dò uellent parere) bonorum magnitudinem, et eos

euerat, diuitias Gentium uocans, mundiq; recõ-
 tionem, & suã ipsius carnẽ: tum etiam incredulitas
 atq; inobediẽtiẽ absurditas quanta sit ostendit, in
 tuos eos per hanc indicans effectos. Verũ & hoc ma-
 gna facit cum admiratione & sapientia. Enim uerũ
 quia mortuos simpliciter eos nuncupatos fuisse ma-
 gne amaritudinis erat atq; molestiẽ, ac tale quod
 contumeliã potius q̃ in consolationẽ uerteretur, non
 ita durẽ isthuc ponit, sed tẽperat ipsum, & instar co-
 comij profert, dicens: Quidnam assumptio eorũ, ut
 uita ex mortuis? Per illud sanẽ, uita, quod letum ad-
 posuit: per illud uerò, ex mortuis, indicat, quod il-
 lorum inobediẽtia mortificatio fuerit. Dicens pro-
 rò, quòd illorũ delictum siue casus, salus fuerit Gen-
 tium: deinceps magis expressiusq; cõmonstrat, quòd
 omnino ipsorũ quoq; salus futura inde sit. Probat
 uerò argumentũ (siquidem, ut mos illi est, anteq̃ dis-
 soluat periodum, ambagibus, uerborumq; circumlo-
 xionib. usus est) per illud, uobis enim dico, & qui
 sequuntur, rursus repetit argumentũ, & ait: Sic
 enim reiectio ipsorum, & quæ subsequũtur. Et no-
 ta, quòd ut plurimũ in antedictorum repetitionibus
 haud ita nudẽ & apertẽ, & ut fuerat argumentatus
 rursus repetit, sed uel cum augmento, uel cum per-
 fectiore dilucidatione ac resolutione, uel apertius atq;
 euidentius: & simpliciter, absq; aliqua figura, et
 formæ permutatione, rarò inuenies ipsum, licet con-
 tinuẽ serẽ utatur, repetitione usum fuisse. b ¶ Ve-

rùm ipsorum lapsus.) Totus hic locus cò pertinet, ut ipsis animũ addat, cõsoleturq; , ne desperent; utq; Gentium demittat fastum, persuadeatq; , ne ad dementiam uertantur. Ob eam, inquit, causam seruatæ sunt Gentes, quia Iudæi seruari non sustinuerunt: ceu hos primũ oportuerit (ut dignitas postulabat) seruari, deinde Gentes. At postquam illi, inquit, renuerunt, uos exemplaria facti estis fidelium. Vnde & ipse ait, Iudæo primũ & Græco. Tum Dominus: Adite potius oues quæ perierunt in domo Israël. Et illud: Necessarium erat ut uobis primũ annunciaretur uerbum. Nõne uides incredulitatem Iudæorũ, locum dedisse Gentibus, ut fierent exemplaria ad fidem? c ¶ Ut eos ad æmulationem.) Ut quia à seipsis credere noluerũt, per zelum quendam crederent. d ¶ Quòd si lapsus.) Ad consolationẽ eorum hæc dicit & admonitiõẽ. Si enim, inquit, lapsus eorũ ac diminutio, occasio facta est Gentibus tantorũ bonorũ innumeris, quantò magis si omnes seruẽtur? Id enim præ se fert, plenitudo. Quomã salutis, inquit, occasio erunt, si omnes seruẽtur? Verũ per hoc etiam, ut ne desperent, erudit. e ¶ Diuitie sunt mundi.) Diuitiæ Gentium, hoc est, factæ sunt. f ¶ Quantò magis plenitudo.)

PHOTII: Veluti si & ipsi perfecti euaserint, & in eorũ numero cõputentur qui seruantur. Si igitur ubi ipsi diminuuntur atque deficiunt, diuitiæ mundi, inquit, facti sunt, ac diuitiæ Gentium, quantò magis si

Matth. 10.

Act. 13.

perficiantur & ipsi, compleanturq; diuitiæ man-
 erunt, & diuitiæ Gentium. Consolatur itaq; eos
 constitutos, abundè cōfidere ipsos putans salutis
 nomine, si modò resipiscant. Etenim si quādo tot
 tiq; impegerunt, tot simul sunt affecuti salutē: dum
 illi abiecti sunt, tot uocati fuerunt: considera quid
 turum sit, si redeant ad saniolem fidei mentem? Ne
 dixit, Quāto magis conuersio eorum: sed, Quāto
 magis plenitudo ipsorum: hoc est, quando omnes ad
 CHRISTVM accessuri sunt. Hoc uerò adiecit, gra-
 tiæ doniq; Dei plenitudinem & exuberantiam de-
 monstraturus. g ¶ Vobis enim dico.) Prohi-
 deis uerba facit, ut ne uideatur ex insensioe, que
 xit, memorasse: utq; Gentium demittat fastum. Vos,
 inquit, Gentes ob duas causas laudo, atq; glorifico.
 Primū, quoniam in ministeriū uestrum, hoc est, pre-
 dicationem uobis datus sum, necesse habeo & laude-
 re & glorificare uos, ceu discipulos meos. Deinde,
 ex Iudeis (quos & proprium corpus appellat) ni-
 nullos, uestris nimirū laudibus impulsos, seruem. Ea
 porrò de causa Gentes illustres reddit, ut que causa
 salutis Iudeis sint. Nam illi quidem qui ad perditionem
 pertinebant, sunt (inquit) uobis salutis occasio.
 Gentes, inquam, illis ob fidem. ALITER: Videtur
 eos terrere ac ferire qui sunt ex Gentibus, eorumq;
 deprimere arrogantiam. Tacitè autem Iudeos car-
 pit ac plectit, inquirens quomodo tantam ruinam
 ipsorumq; interitum fulciat: nihil autem inuenit, ob
 verum

verum
 sunt a
 alij
 tione
 sed, p
 O lu
 Non
 pro
 per
 me
 cat,
 k
 men
 hab
 M
 tio
 tuis
 e ra
 mo
 fis, i
 & p
 adu
 dice
 a
 stre
 rati
 que
 est

verum naturam. Enimvero ex ijs, quæ dixit, maiore sunt accusatione digni, cum quæ ijs bene parta sunt, alij ipsis egentes acceperint. Posthac illorum contentionem indicans, non dicit, Si quo modo persuadeam, sed, prouocem & seruem. *h* ¶ (Si quo modo.) O Iudaicam contentionem, renisum & peruicaciam. Non enim dixit, persuadeam, sed, ad æmulationem prouocem: ut qui aliter persuaderi non possint, nisi per intentionem exaggerationemq;. *i* ¶ (Carnem meam.) Suprà eos cognatos quidem ac fratres uocat, nunc uero carnem, propius eos sibi admouens. *k* ¶ (Et seruem quosdam ex ipsis.) Neq; sic tamen omnes, sed quosdam: adeò ipsorum exploratam habebat peruicaciam.

Nam ^a si reiectio ipsorum est ^b reconciliatio mudi, quæ erit assumptio, ^c nisi uita ex mortuis: Quòd ^d si primitiæ sanctæ, & massa: ac si ^e radix sancta, & ^f rami. Quòd si ^g nonnulli ramorum ^h effracti sunt, ⁱ tu autem, oleaster cum sis, insitus es ipsis, & ^k simul particeps radice & pinguedinis oleæ factus es, ^l ne glorieris aduersus ramos: quòd si gloriaris, ^m non tu radicem portas, sed radix te.

a ¶ (Nam si reiectio.) PHOTII: Quòd ait, Nam si reiectio ipsorum, & quæ sequuntur, illius quod dixerat repetitio est, nempe: Si casus, seu delictum ipsorum, quemadmodum etiam suprà diximus. Vel certe causa est ipsius Pauli studij, quod de eorum salute gerebat,

perinde ac dixerit quispiam: Quid sollicitus es o Paule pro Iudæis? Quid loqueris? quidue respondes, quo modo ad emulationem prouocem carnem meam, seruē ex eis aliquos? Quisnam hic tantus agone? Ne inquit, conuenit mihi & curam gerere, esseq; sollicito, & concertare. Nam si reiectio ipsorum, & qui sequuntur: hoc est, si cum ij reijciuntur, Deus tam munto recōciliatus est, intermediumq; parietem abstulit ueteris illius inimicitie, quidnam non subsequatur boni atq; mirifici, si contingat ut & ipsi seruantur, & ad CHRISTVM accedant? p. ¶ (Est reconciliatio mundi.) Quoniā rursus eos pupugnatum collaudat, eadē cum superioribus dicēs. Si enim inquit, eorū transgressio & offensio facta est saluti occasio mundo, quid dixerit aliquis futurū, si assumpti fuerint à Deo? Quid igitur aliud, nisi resurrectionem inquit, ex mortuis? Verū perinde ut resurrectio non propter eorū assumptionem futura est, sic neq; saluti Gentib. obtigū propter ipsos. Sed uerba eis impertitur, quib. eos exhortetur ad salutē. ALITER: Si illi inquit, infensus Deus talia donauit alijs, & qui hostes erant effecit amicos, ubi ipsos assumeret, quid, obsecro, nō donaret? Nam uita ex mortuis futura tūc est hoc est, interminata bona: id enim uita indicat. Si uerò clanculò innuit profundius quiddā: quod si resurrectio ex mortuis ob Iudæos nō erit, ita nec aliorum salus propter eos erit, nisi & ipsi fidē adhibeant. Vniuersa quippe, quæ eorū causa dicere uidetur, si

gidam gratiã elargiens dicit, æquẽ ac medici sæpenu-
 mero ægris faciũt. PHOTII: Licet enim maxima ex
 parte, inquit, in causa sit seruandorũ, quod cõdemna-
 ti ipsi fuerint, ipsorũ tamẽ salus recõciliatio est mũdi:
 & inimicitia illa, qua homines afficiebãtur in Deũ,
 dissoluitur, postquã & ipsa pars, hoc est, Iudæi, as-
 sumpta fuerit, & apposita ijs qui seruãtur. Quid co-
 gitare oportet? OECVM. Quã igitur dixerim assump-
 tionem ipsorũ, additionemq; nisi magnas diuitias?
 nisi perfectum ac integrum gaudiũ? ceu propter cõ-
 munẽ perfectam uitam, ac resurrectionẽ ex mortuis.
 c ¶ Nisi uita ex mortuis.) Si hoc, inquit, quidnam
 erit ipsorũ assumptio, nisi ut dicamus, quod mortuos
 eos peccatis, assumptos Deus uiuificet? d ¶ Quod si
 primitiã.) PHOTII: Hoc sanẽ assertiuũ est, quod
 omnino (si quidẽ uelint) seruãdi sunt Iudæi: idq; bifa-
 riam cõprobat: primũ quidẽ ex consequentia: secũdò
 autẽ dubietatẽ, quæ afferebatur ad hoc, sæpe sæpius
 soluens. e ¶ Ac si radix sancta.) Primitias & radi-
 cem, Abraham uocat: massam uerò ac ramos, qui ex
 genere eius crediderunt. f ¶ Et rami.) Si igitur cũ
 primitijs & radice necesse est sanctam esse massam,
 & ramos. Iudæi uerò non sunt sancti, exciderunt igi-
 tur à cognatione Abrahæ. OECVMENII: Vel quia
 ipsos sanctos appellat, adhortans ad fidem: perinde
 ac dixerit, Studiosi estis sanẽ ac uirtute decori, uelle
 uobis tantũmodo deest. g ¶ Quod si nõnulli ra.)
 g ¶ Paucitatis significatiuã posuit dictionẽ, animũ

illis addens: quandoquidem in superioribus ostendit
 haud multos fore seruatos: ut quando dicit, Reliqui
 saluæ erunt. h ¶ (Effracti sunt.) Effracti nimirum
 sunt ex incredulitate. i ¶ (Tu autē, oleaster cun-
 tis.) Quantò ostendit uiliores Gentes, tantò illos ce-
 pit magis. Cum ait porrò, in fitus es, ostendit, Gen-
 tes excellentiori se radici insistere. An non sunt hec
 uerba carpentis? k ¶ (Et simul participes radi-
 cis.) Isthuc ad calamitatem Iudæorum spectat: nul-
 la in re excellentes, Gentes nimirum, consortes exi-
 miæ ipsorū radicis fieri, ipsosq; contrā reijci, ac pe-
 l ¶ (Ne glories.) Ingentem Iudæorum uilitatem
 exhibet: nō enim dixit, Glories simpliciter, sed, Glo-
 rieris aduersus: quippe quod ad humi iacentes refer-
 tur. Deinde admordet etiam eos, Gentibus digna ob-
 tigisse monstrans gloriatione ex fide, etiam si nō de-
 ceat gloriari. m ¶ (Non tu radicem.) Equil
 hoc ad effractos ramos? Nihil sanè. Nam si aduersus
 radicem gloriaremur, haberet id rationem: sin radi-
 cem ueluti sanctam adoro, quid ad ramos qui excide-
 runt, si baiulor à radice? Verum umbram uult eis de-
 inuenire solatij, ut ne ultrā quàm par sit, despōdeant
 animum, sed sobrij potius sint, tanquam adhuc salu-
 te superstite.

Dices igitur: ^a Effracti sunt rami, ut ego in-
 sererer. Bene: ^b per incredulitatē effracti sunt,
^c tu autem fide constitisti. Ne nimium altē fa-
 pias, ^d sed metue. ^e Nam si Deus naturalibus ra-
 mis

mis non pepercit, ^f forsan ne tibi quidem parcat. ^g Vide igitur bonitatem, ac seueritatē Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te uerò, bonitatem, ^h si permanseris in bonitate: ⁱ alioqui & tu excidēris: & illi rursus, si ^k nō perseverauerint in incredulitate, inserentur. ^l Potens est enim Deus, qui rursus illos inserat. ^m Si enim tu ex naturali excisus es oleastro, ac præter naturam insitus es in pulchram oleam, quantò magis illi, qui naturales sunt, inserentur ⁿ propriæ oleæ?

a ¶ (Effracti sunt rami.) Figuratus est sermo: ceu Gentes dicant, Eccur non glorier, quum tot mihi tantæque sint bona? Ipsi effracti sunt, & ego insertus sum, factusq; hæres gloriæ patrum ipsorū: promissionibus item, quæ illis sunt traditæ, ego nouus hospes, cui nullo pacto hæ pertinebant, fruor. Cumq; dicat, bene, Gentibus, ut qui uera dicant, assentitur. b ¶ (Per incredulitatem effracti sunt.) Intuere hic diui Apostoli sapientiam. Cum uideretur uerba facturus pro Iudæis, magis eos atterit atq; cōcidit. c ¶ (Tu autem fide.) Illorum reiectionis nostræq; assumptionis, fidem in CHRISTVM causam asserit. d ¶ (Sed metue.) Metue, inquit: nam fidei & incredulitatis res agitur, non naturæ. Nec dixit, humiliare, sed metue. Demētia enim contemptū parit, & imprudentiam. e ¶ (Nam si Deus naturalibus ramis.) Calamitatem illorū deplorare pergit, Gentū quadam obiurgatione. f ¶ (Forsan

ne tibi quidem.) Sermonis sui molestiã duritiem
 ambiguitate tollit. g ¶ Vide igitur bonitatem.
 Rem ipsam ad Deum refert, & ad gratiã ipsius. Non
 enim dixit, Intuere, considera quantiũ laboris & in-
 tutum, rerumq; bene ac piẽ transactarum habeas.
 h ¶ Si permanseris.) Si digna Dei mansuetudi-
 ne peregeris. Non enim fide tibi, inquit, sola opus est.
 Seueritatem uerò Dei isthuc dicit, quòd illis ob id
 maximè non pepercerit, quòd indigni, degeneresq;
 à uirtute patrum reperti sint. i ¶ Alioqui & tu.)
 Nam neque tibi bona, neque illis mala sunt immu-
 bilia. k ¶ Si non perseuerauerint.) Non enim
 Deus illos excidit, uerum sese ipsi. l ¶ Potens est
 enim Deus.) Probabilem facit sermonem ex Dei
 potentia, Potens est Deus, inquit. m ¶ Si enim
 tu.) Rationem reddit, quòd possit eos, si modò uo-
 lint, inserere. Si enim fides effecit quæ sunt contra
 naturam, quantò potius quæ sunt secundum natu-
 ram efficiet? n ¶ Inserentur propriæ oleæ.)
 Ne quis Iudæum præcellentiorẽ Gentibus aestimet,
 cùm audit de Gentibus, & præter naturam, & in-
 fitus es: addit & de Iudæis illud, inserentur, ut di-
 ter utrius eandem dignitatem ostendat: & quòd nihil
 ob eam rem præstabiliores sint, quia ad pulchram et
 bonam pertineant oleam: quando quidem & ipsi, ut
 semel inserantur, indigeant. At cùm Paulum dicen-
 tem audias, præter naturam, id quod est uerisimile
 intellige, & consuetaneum: ceu, Par fuit ut filius
 sancti

sancti illius Abrahæ, sanctus esset: æquè ac è diuerso præter naturam, hoc est, indecens esset, ac citra omnè consequentiã, ut filius prophani Græci sanctus sit.

a Non enim uolo uos ignorare fratres mysteriũ hoc, ut^b ne fitis apud uosmetipsos prudentes, c quòd excæcatio^d ex parte contigit Israël, donec^e plenitudo Gentium accesserit, & sic^f omnis Israël saluus erit, & sicut scriptum est: Veniet ex Sion ille qui liberat, & h auertet Esa. 59 impietatem à Iacob. Etⁱ hoc illis à me testamentum, cum^k abstulero peccata eorum. l Secundum Euangelium quidem inimici^m propter uos, n secundum electionem autem dilecti^o propter patres. p Nam dona & uocatio Dei pœnitentia uacant.

a ¶ (Non enim uolo.) Quantũ ad uos, inquit, ignoratur. b ¶ (Ut ne fitis apud uosmetipsos prudentes.) Ignorantia enim suæ uoluntati auctoritatem pariebant. c ¶ (Quòd excæcatio.) GENNA DII: Perinde ac dicat diuus Apostolus: Ne magnum aliquid ac mirificũ de uobis ipsis suspicemini, decipientes uos, blandientesq; uobis, tanquam super alios quippiam intelligatis. Discite itaq; breuiter mysteriũ hoc horribilissimum, quod ineffabilem Dei erga omnes Israëlitas prouidentiam indicat, qui tamen sunt ex electione. Id enim significat quod dixerat, ex parte. Iudæis nanque ex parte induratis, ac salutem repellentibus à se, talem nimirum super uos salutem intorsit Deus: postquam uerò omnes uos

fueritis adoptati, tum demum & illos gratia omni
 assumet. Testimoniū autem & huic sententiæ, ipse
 diuini Esaiæ uatis depromit oraculū. d ¶ Ex parte
 contigit.) Non ex toto, inquit: siquidem innu-
 ri ex Iudæis & crediderunt iam, & credituri sunt.
 e ¶ Donec plenitudo Gent.) Plenitudinē Gen-
 tium, cunctos ex Gentib. dicit credentes. Vbi enim ad
 fidē Gentiles omnes accesserint, tum & Israël cre-
 seruabitur. Israëlē autē appellat eos, qui in Iudaiā
 perdurarūt. Nā pones eos, inquit Scriptura, dorsum
 & in residuis, hoc est, in reliquijs, parabis faciē eorū.
 f ¶ Et sic omnis Israël.) DIONYSII Alexandri-
 ni: Pro, bona pars, seu plures. g ¶ Sicut scriptū
 est.) Esaiā rursus adducit clamantē, quod uentura
 sit ex Sion qui seruare potest, Israëlitarumq; expi-
 re peccata. Et hæc quando erunt? Cū abstulero pec-
 cata eorum. h ¶ Et auertet impietatem à Ia-
 cob.) Auertet quidem à peccatis, conuertet autem
 ad seipsum. i ¶ Et hoc illis à me testamentū.)
 Hoc est testamentum, id est, signum, quando mortu-
 les uenia illa dignos fecero, quæ est per baptismum.
 Quoniam itaq; hanc nondum assecuti sunt (ex cæcitate
 enim, induratiq; sunt) ad extremum id quoq; fiet.
 k ¶ Cū abstulero peccata eorum.) Ne quis ad
 Iudæos, qui iam in CHRISTVM crediderint, Scri-
 pturam hanc pertinere deputet, signum ponit, quo
 cognoscatur, quòd futura hæc prophetia sit. Quod-
 nam illud? Cū abstulero peccata eorū. Si enim non-
 dum

dum abstulit, hoc ergo uaticiniū adhuc est complendum. Vnde infert: Dona enim Dei pœnitundine carent. Cùm abstulero, tunc, inquit, eueniet Dei promissio. l ¶ Secundum Euangelium.) Quantū sanè, inquit, ad Euangelium spectat, propter uos qui ex Gentibus estis, inimici sunt Iudæi. Qua ratione hoc? Vobis enim fide annunciata, illi contentiosiores facti, à fide resiliuerūt. m ¶ Inimici propter uos.) PHOTII: Inimici facti sunt Iudæi, propter eos qui ex Gentibus fidem admisserunt, quemadmodū in superioribus ait: Quandiu quidem sum ego Gentium Apostolus, ministeriū meum glorifico, atq; celebros. Quamobrem, inquit? Si quo modo fiat, ut ad æmulationem prouocem carnem meā. Si enim per Gentium fidem, ad zelum & imitationē permouentur Iudæi, ac fideles euadunt, qua ratione propter ipsos, hostes sunt rursum cūm fidei, tum Euangelij? Cui respondemus in primis: Nequaquā sanè per fidem Gentium, ad æmulationem cieri Iudæos, & imitationem: uerū propterea quòd & glorificentur, & collaudentur. Glorificatio enim & laus in eos, qui sunt ex Gentibus, exhibita, instigabit eos, & ad zelum & imitationem prouocabit. Haud igitur contraria sibi, ea quæ dicta sunt. Secundò autem, neq; ait per assertionem affirmatiuè, Ad æmulationem cientur Iudæi: sed dubie ambigens. Si quo modo enim, ait, ad æmulationem prouocem carnem meam: hoc est, forsā, fortassis. Licet itaq; per fidem illorū dixisset, & nō per gloriā et

laudes, zelo permoueri Iudeos, neq; sic repug-
 Dicendo enim, inimici propter uos, Iudeorū
 fidiam memorat: causam quoq; ob quā acrius
 impugnent hostiliterq;. Per illud autē, si quo mo-
 ad æmulationem prouocem carnem meā, pro-
 prium studium, animiq; promptitudinē indicat,
 erga Iudeorū afficiebatur salutē. Quinetiā ab
 quæ dicta sunt, neque sic ea, quæ memorauimus,
 gnantia sibi sunt, etsi ambo affirmatiuē dicerent.
 Enimvero quidnam uetuit, nonnullos quidem eorum
 qui crediderunt Gentium fide instigatos, & ad æ-
 mulationem prouocatos esse, & fidem admisisse? Eorū
 item qui fidem abnuerunt, complures inimicitia
 odio in Gentiles, difficiliōres, duriōres, atque ad
 dendum persuadendumq; obstinatiores erga Euan-
 gelium ac prædicationes effectos? quemadmodū
 rebus ipsis cernere est. Qui enim Gētes imitati sunt,
 accedunt ad fidem, & seruantur: qui uerò erga
 hostium animos assumpserūt, uehementiores obstina-
 tioresq; inimici sunt, ac fidei aduersantur. n. (Se-
 cundū electionem.) Quatenus patres coram
 à Deo electi fuerunt, dilecti sanè sunt. o. ¶ Dile-
 cti propter patres.) OECUMENII: Deinde qui
 in incredulitate perseverauerunt, ac propter hoc
 sunt dilecti, tutum quiddam accipiens, Propter pa-
 tres, inquit. Perinde quasi dicat: Licet ipsi ob incre-
 dultatem suam dilecti non sint, propter patres tamen
 adhuc diliguntur, unde & salutem sunt accepturi.

P ¶ (Nam dona.) EIVSDEM: Vocatio, inquit, quæ ad Iudæos pertinebat, exhibita Gentibus.

² Quemadmodū enim & uos^b quondam increduli fuistis Deo, nūc autem misericordiam affecuti estis per horum incredulitatem: sic & isti nunc increduli facti sunt in uestri misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. ^c Conclufit enim Deus omnes sub incredulitate, ^d ut omnium misereretur. ^e O^e profunditate^f diuitiarū, & sapientiæ, & scientiæ Dei: & quā imperscrutabilia iudicia eius, & imperuestigabiles^h uiaⁱ ipsius. ⁱ Quis enim cognouit mentem Domini? ^k aut quis illi fuit à cōsilijs? ^l aut quis primū dedit ei, & reddetur illi? Quoniam ^m ex ipso, & ⁿ per ipsum, & in ^o ipso sunt omnia: ipsi ^p gloria in secula, Amen.

^a ¶ (Quemadmodū enim.) Innuuit Gentes primum uocatas fuisse: deinde, quia nō crediderunt, Iudæos electos: atq; idem rursus deinceps euenturum. Postq̄ enim noluerūt Iudæi fidem adhibere Christo, denuō Gentes uocatae sunt, ac secundū accitæ crediderunt. Atqui in Iudæorū reiectionē non uergit, sed ut ipsi quoq; misericordiam iterum consequantur.

^b ¶ (Quondam increduli fuistis.) PHOTII: Ad fidē Christi per hæc adhortatur Iudæos, simulq; bonas illis protēdit spes, omnēq; erubescentiā tollit. Ne, inquit, accedendo uerecūderis, tametsi nō obedieris: neq; desperes sanē, instar tardius accedentis: parato, & inspicio, quòd propior ipse misericordiæ adstas.

Enimvero etiam Gentes uocatæ, tergiuersarunt pri-
mum: at nunc crediderunt, nec priorem quidem in-
bedientiam uerecundatæ, nec à tarditate ad salutem
præpeditæ. Neq; tuitaq; ipse ô Iudæe, uel rubore,
desperatione afficiare: sed alacri animo accede ad
dem, & omnino misericordiam assequeris. Sine igi-
tur ad exhortationem, consolationemq; pertinentem
quæ dicta sunt, siue ad prophetiam, fidem futuro ex-
hibentia à comparatione & testimonio eorum quæ
euenerunt, locum haberent. Quòd uerò ait: Miseri-
cordiam consecuti estis ob illorum inobedientiam, &
incredulitatē. & Increduli facti sunt, ob id quòd ip-
sorum misericordiam nacti sitis: non eò pertinet quòd Iu-
dæorum incredulitas in causa fuerit, quòd Gentes mi-
sericordiam nactæ sint: neq; quòd hæc misericordia
Gentium, causa fuerit Iudæorum incredulitatis: sed
uniuersa inquit, ut ostendat & doceat, nullo unquam
modo destitisse Deum, quin quòd ad se pertinere, pe-
ceret, ac suam ipse effunderet misericordiã. Quæ
quam enim Gentes olim fidem renuerunt, nunc autem
increduli sunt Iudæi, ipse tamen à beneficijs & miseri-
rationibus haud destitit. Et liquet ex eo, quòd Iudæo-
rum tunc misertus est, cum Gentes essent incredulæ.
& nunc contra Gentium miseretur, cum Iudæi in-
credulitate tenentur: quodq; adhuc manifestius est,
quòd Iudæorū quoq; deinceps miserebitur. Simulq;
etiam hæc demonstratio est ad Iudæos. Licet ipsi, aut
extorres à fide sitis, ne putetis fidem ipsam minorari
factam

factam fuisse. Sicut enim Gentibus olim alienis, in nullo fuit ipsius Dei religio minor: ita etiam nunc uobis ab alienatis à fide, nihil minus fides ipsa habebit. Transfigurauit autem ad Gentiles quæ dicta sunt, cupiens ut reprehensio ipsa in Iudæos maiorem in modum inuidia careat. Possunt autem hæc et ad Gentes dicta esse, ut ne animo effrentur, quòd crediderint: Misericordia enim Dei credidistis: quiq; increduli remanserunt, inquit, misericordiam nanciscentur, ac seruabuntur. c ¶ Conclufit enim Deus.) Hoc est, incredulos redarguit uniuersos. PHOTII: Hæc quoq; ad rationem intelligas licet, conclufit Deus omnes sub incredulitate, ut duo uidelicet indicet: uel quòd incredulos ipse fecerit: quod omnino explodendum est: uel quòd incredulos redarguerit, indicaueritq; quod est etiam uerum. Per multam siquidem prouidentiam, beneficiorumq; collationem, quã modis omnibus, semperq; cõtulit in mortales, magis magisq; ipsorum redarguit cum perfidiam, tum ingratitude, notauitq;, ac de ea triumphauit. Planũ uerò est, quòd de ijs qui in ipsum nõ crediderunt, siue ex Iudæis, siue ex Gentibus sint, dicat. Idcirco omnes etiã dixit, qui ex duobus his populis non crediderunt cõtplectens. Quomodo conclufit Deus omnes sub incredulitate? Beneficia conferens, prouidentiam et curam adhibens, misericordiamq; impendens. Quid igitur? increduli facti pœnas non luent? Et quid hoc ad eum qui beneficia præstitit? Nam ille profectò, ut om

nium misereretur, omnibus prospiciebat, omnibus
 na largiebatur. Quòd si fidem non admiserunt à
 nihil istud ad benefactorem attinet. Et tamen his
 obstantibus, si reuertantur, eorum miserebitur, nec
 auersabitur. Vel certè hoc modo intelligas. Incre
 le iam olim Gentes fuerunt, increduli nunc sunt Iudei
 atqui oportebat & illos, cum tot tantisq; cerne
 de eos prodigijs ditatos ac signis, non esse incredulos
 nunc Iudeos contra, cum maiora, mirabilioraq; fa
 nora uideant, decebat ut ante Gentes ad fidem accede
 rent ipsi. At neq; tum Gentes, neq; Iudei nunc, quod
 plus sibi afferret emolumentum, essetue melius, elige
 runt. Manifestum itaque est, quòd & Iudei tunc
 nunc Gentes, misericordia Dei & humanitate, & ad
 fidem adducti sint, & assecuti salutem. Vel potest
 sic: Quoniam dixerat, ut & ipsi misericordiã con
 sequantur, Iudeos innuens. d ¶ (Ut omnium misere
 reretur.) Ut alios, inquit, per aliorum seruaret con
 tentionem. Primùm namq; ubi Gentiles erant incredi
 bili, seruauit, ut dictum est, Iudeos: rursum Iudei in
 CHRISTVM fidem detrectantibus, seruati fuerunt
 Gentiles: dum uerò seruantur Gentiles, emulatione
 permoti Iudei, seruantur & ipsi: & hac ratione ma
 nes misericordiã assequuntur, cum hi per illos, tanti
 li per hos. e ¶ (O profunditatem.) Profunditatem
 quidem nouit, quanta uerò sit non nouit. Diuitiarum
 tem bonitatem nuncupat. f ¶ (Diuitiarum.) Cum
 intellexisset, quæ à principio fuit, sapientem Dei ge
 bernat

bernationem, quomodo contraria per contraria administrat, & cum quid ad ipsam diceret, dubitaret, admiratus est. g ¶ Quam imperscrutabilia.) Nediem enim cōprehendi nō possunt, sed ne indagari quidē. h ¶ Viæ ipsius.) Viæ, id est, dispensationes. i ¶ Quis enim cognouit.) Ipse, inquit, solus nouit quæ sua sunt, & nullus alius. k ¶ Quis illi fuit à consilijs?) Sapiens enim cum sit, nequaquā ab alio consiliatore instructus fuit, sed ipse sibi sufficiens est: imò bonorum omnium fons ipse est, & origo.

l ¶ Aut quis primū.) Nulli, ait, pro debiti cōpensatione beneficium exhibet, uerū primus ipse beneficia semper incipit, donaquē impertitur.

m ¶ Quoniam ex ipso.) Ipse inuenit bona, inquit. n ¶ Et per ipsum.) Ipse, inquit, fecit etiam quæ extant. o ¶ Et in ipso.) Ipse, ait, & quæ condita sunt, quasi conseruator, continet. p ¶ Ipsi gloria in secula.) Quoniam magna dixerat & incognita, admiratus tantūmodo, iuxta morem suum, n glorificationis uerba finem fecit.

CAPVT XII.

OBsecro itaq; uos fratres^a per miserationes Dei,^b ut exhibeatis corpora uestra hostiam^c uiuentem,^d sanctam, beneplacentem Deo,^e rationalem cultum uestrum. Et^f ne conformemini seculo huic,^g sed transformemini per^h renouationem mentis uestre,ⁱ ut probetis quæ sit uoluntas Dei bona,^k & beneplacens, & perfecta.

a ¶ Per miserationes.) Ipsa, inquit, Dei miserationes, per quas seruati estis, adhortantur & obsecrant uos (ipsas namq; adfert cum supplicationem facit) ut dignam ijs uitam transigatis. b ¶ Ut exhibeatis. PHOTII: Duo nimirum sunt, ad quae illi adhortatur: tum ad exactam uitae diligentiam, tum ad studium fidei. Nam dicendo, ut exhibeatis corpora uestra, & quae sequuntur, optimam uiuendi normam duci hortatur. Dicendo autem, rationalem cultum uestrum, rectitudinem fidei sectari eos exposcit. Praeponit autem quae ad rectam uiuendi normam pertinerent, quoniam candidam, puramq; uitam, sermo pietatis subsequi consuevit. Expende autem quam ingeniose, quamq; acute locutus sit. Nam praebere, inquit, corpora uestra hostiam sanctam, beneplacitae Deo. Deinde his non contentus, appendit & alteri. Quodnam? Secundum rationalem cultum uestrum, inquit: hoc est, secundum illius cultus leges, consonantem illi, iuxta illum, in nullo ab eo discordantes. Id enim est, sanctam, uiuentem, & beneplacentem Deo hostiam exhibuisse corpora nostra, nihil uidelicet extra praeccepta, legisq; sanctiones, quae iuxta cultum nostrum sunt, conuersari. Est namq; necessarium ut ambo, & fides uitae, & uita fidei, per omnia consonent, & consoniteantur. Vt enim qui fidem quidem professus est rectam, improbus autem ac prauus moribus, per ea quae agit, fidei redarguit confessionem: eandem ad rationem qui bonas actiones ostendit, fidem autem uenerat

tur impiam, per ea quæ impiè agit, actiones illas pra-
 uas reddit ac uiles, atq; perturbat, & clamat, nullū
 in eis fructum inesse spiritualem. Conuenit itaq; uitæ
 normam dirigere iuxta rationalem cultum nostrum.
 c ¶ (Hostiam uiuam.) Quia sacrificij mentionē
 fecit, ne quis existimet nosmetipsos mactari iuberi,
 intulit, uiuentem. Quī uerò erit uictima corpus? Vi-
 deant oculi quæ recta sunt: lingua manusq; , altera
 quidem laudibus Dei, altera uerò præceptis uacet:
 & dum hæc ita agunt, erit hostia uiuens ipsum cor-
 pus. d ¶ (Sanctam.) Secernens hostiā hanc ab lu-
 daica illa, sanctam, inquit, beneplacentem, & ratio-
 nalem. Iudaica quippe cū esset corporea, nō mul-
 tum sancta fuit & beneplacens, ut quæ irrationabi-
 lia sacrificaret. e ¶ (Rationalem cultum.) Ra-
 tionalem cultum, spirituale ministeriū dicit: illud in-
 quam, quod est iuxta bonā uiuendi formulam. quasi
 dicat: Exhibete corpora uestra hostiam, per rationa-
 lem cultum, hoc est, cruore carentē. Siue: Offerete ho-
 stiam uiuentem, & rationalem cultum: illud repeten-
 do, Exhibete. f ¶ (Et ne conformemini.) Et quo-
 modo aliquis sese offert hostiam uiuentē? quomodo?
 Ne conformemini, id est, ne afformetis uosmetipsos
 iuxta formam mūdi huius: nihil enim sani habet, aut
 firmi. Hinc etiam figuram ipsum uocat, instabilitatē
 eius denuncians: atq; hoc dicens, mortalitatē innuit.
 OECUMENII: Vel, ne simul cum temporib. trans-
 mutemini. Aliter, PHOTII: Dicens Apostolus, Ne

simul conformemini seculo huic: hoc est, ne simul in
 mutemini, ne pariter sententia mutemini cum doctri-
 nis eorum, qui ex hoc labente & nunq̄ stabili seculi
 doctrinam adducunt. Hoc, inquam, dicens, ne alii
 qui Iudeorum obijcerent: Igitur nullo modo sane
 oportet nos à tradita nobis doctrina legis discedere,
 transmutari, inq̄; aliam doctrinæ formam mutari.
 idcirco infert, Sed transformemini: hoc est, nimirum
 oportet uos iuxta Dei uoluntatē transformari. Mal-
 tum porrò interest inter mundi huius doctrinā, & sa-
 pientiam quæ est iuxta Dei uoluntatem. Et hæc qui-
 dem legis etiam formam ipsam perdit, in aliam mul-
 tiæ corruptionisq̄; formā ducens: hæc autē nō solum
 non eam obliterat legis formam (in forma enim, figu-
 ra, & umbra, legalia quæq̄; fuerunt) uerū melio-
 rem ipsam reddit, permanentem illi formam & pul-
 chritudinem perficiens atq̄; complens. Quamobrem
 rectè ait, Ne conformemini, sed transformemini. Illud
 quidem perditio est, & interitus: hoc autē salus atq̄;
 perfectio. g ¶ Sed transformemini.) Materiam
 figuram nominans, uirtutis formam intelligit, natu-
 ram eius pulchritudinē monstrans. h ¶ Per renou-
 ationē mentis.) Quia homo cum quissimū sit, non
 potest non peccare: ideo semper innoua, inquit, teip-
 sum per pœnitentiam. Nihil enim adeo animā seorsum
 cōficit & corpus, atq̄; peccatū. i ¶ Ut probeatis.)
 Vel hoc per renouationē inquit, ut discas & quid sit
 cōmodum, & quæ bona Dei uoluntas. Vel, quod hæc
 ratione

ratione innouari potes, si discas quid cōmodum, & quæ sit uoluntas Dei. k ¶ (Et beneplacens.) Ad Iudæos sermonem dirigit, qui lege detinebantur, dicens: Lex quidem, itidem & uoluntas erat Dei, sed non beneplacens, nec perfecta, uerùm ob uestri imbecillitatem concessa. Perfecta autem & beneplacens Dei uoluntas est, nouum Testamentum.

Dico enim^a per gratiam, quæ data est mihi, ^b cuius qui est inter uos, ^c ne arroganter de se sentiat, supraquàm oportet: ^d sed sapiat ad sobrietatem, cuiuslibet ^e ut partitus est Deus ^f mensuram fidei. ^g Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, ^h membra uerò omnia non eandem habent operationem: sic multi unum sumus corpus ⁱ in Christo, singuli autem in. et nos mutuò alter alterius membra.

^a ¶ (Per gratiam.) Cùm suprà, per miserationes, dixisset, nunc per gratiam dicit: haudquaquam se fide dignum, ob nimiam humilitatē, ad persuadendum ratus. Hinc aliàs quidem miserationes, aliàs uerò gratiā obijcit, ac proponit. Gratiæ autē mentionē faciēs, beneficia iuxta Dei recordatur. ^b ¶ (Cuius qui est inter uos.) PHOTII: Quòd ait, cuius qui est inter uos, alio atq; alio modo accipi potest. Vel, Loquor cuiuslibet qui est inter uos: hoc est, omnib. dico, omnes adhortor: & hanc potestatem ex gratia Dei habeo. Vel dico: Ne arrogātes suis, superbēue sapiatis

propter quod uis bonum, quod in uobis sit. Hanc enim sententiam, & quæ sequuntur indicant, ubi a cuilibet ut partitus est Deus, & quæ sequuntur Sapienter porrò admodum prudenterq; uiam præstrauit, admoniturus ne superbè saperet, per id quod dixerat, Per gratiam Dei. Quia enim & admonere & iubere, nonnullis interdum ex supercilio & arrogantia fit, præoccupans, eiusmodi cogitationibus morderi curauit. Haud ex mea, inquit, autoritate, ac proprij animi impetu est, quòd uos ipse admoneam: per gratiam Dei facio id, ipse iubet, ipsius iussa complere. Decet igitur atq; oportet, ut & in sententiam uentis, & minimè contradicatis. c ¶ (Ne arroganter.) Ad humilitatem hortatur, & admonet. Ne, inquit, ultra mensuram nostram sapiamus: id enim dementia est, atq; stultitiæ. d ¶ (Sed sapiat.) Prudentiam enim percepimus, non ut ad dementia ea utamur: stultitiæ reddamus, sed ut ad sobrietatem, hoc est, mortis nostræ sanitatē eam potius adferamus. Hanc enim nunc sobrietatem appellat, nō eam quæ luxui opponitur & libidini. e ¶ (Ut partitus est.) PHOTII: Quomodo partitus est? Num secundum ambitionem? Absit. Sed quomodo? Iuxta mensuram fidei. Fidem, inquam, non illam quæ circa diuinum cultum habetur, inquit: (omnes enim fideles, pij, atq; perfecti in hac profectō sunt, quicūq; charismatibus digni facti fuerunt) sed fidem illam memorat in præsentia, quæ est post ipsa charismata, quemadmodū in Euangelijs

gelij
habu
est,
illo
Fue
alij
alio
ait:
titus
diat
(De
neq;
quid
fura
inui
g
per
nes
tu
bere
cont
nus
mitt
rō
inqu
sic
sto
nos

gelijs dicitur: Domine da nobis fidem. Et rursum: Si Luc. 17
 habueritis fidem tanq̄ granum sinapis. Planū itaque Matth. 17
 est, quòd aliud est quod significatur nomine fidei, ab
 illo quod nomine pietatis accipitur. ALTERIVS:
 Fuerunt nonnulli apud eos donis cōspicui: ex quibus
 alij quidem mirū illorum causa superbiebant, inq̄;
 alios efferebantur: alij rursum æmulabantur. quare
 ait: Quid alios despicias? quidue inuides? Si Deus par
 titus est, omnino bene & cōmodè distribuit. Progre
 diatur itaq; unusquisq; quò potest, neq; extollatur,
 (Dei nanq; donum est, non tuum facinus, aut uirtus)
 neq; inuideat. Deus enim dona distribuit, qui nouit
 quid cuiq; decorum sit atq; congruum. f ¶ Men
 suram fidei.) Sub ipsa, inquit, mensura maneat, nec
 inuideat, nec effertur. Fidei nāq; hoc est, gratiæ est.
 g ¶ Quemadmodum enim.) Quid enim tu su
 perbia eleuaris? Quid uerò æmularis tu? An nō om
 nes unum corpus sumus, membra autē inter nos mu
 tuò alter alterius? Nec dixit: Qui inferius donum ha
 bere uisus est, membrum est eius qui maius habet: sed
 contrā, is qui maius habet, eius est membrum cui mi
 nus est donum: hac dijudicatione uolens cū hos de
 mittere, tum illis addere animū. h ¶ Membra ue
 rò omnia.) Eò respicit parabola: Quemadmodū,
 inquit, membra differentem nacta sunt operationem,
 sic diuersa à spiritu munera data sunt. i ¶ In Chri
 sto.) Caput habentes CHRISTVM, nos autē inter
 nos mutuò alter alterius membra existentes.

^a Habentes autem dona, ^b secundum gratiam datam nobis ^c uaria, siue prophetiam ^d iuxta proportionem fidei, siue ministerium administratione, siue qui docet in doctrina, siue qui adhortatur in adhortatione. ^e qui in simplicitate, qui praestit in sedulitate, qui miseretur in ^h hilaritate. ⁱ Dilectio non simulata.

a ¶ Habentes autem.) Totus hic locus duobus modis figuratur, illuc usq; siue qui exhortatur in exhortatione. Quinam sunt isti? Tum repetitio eiusdem uerbi, tum uerbi defectus. Illud enim, habentes, per unumquodque membrum repetitur: ueluti, siue prophetiam habeat quispiam, siue ministerium habeat quispiam. Porro repetitio haec dicitur etiam ἰσὺμα, id est, coniugatio, quod coniungat copulet singulari plurale, & participium uerbi. Sic igitur repetitio huius participij, habentes, per zeugma sumpti, & perfectum tandem absolutum iuxta figuram hanc intellectum & loca facit. Per figuram uero rursus, quam defectiuam dicimus, figuratur hic locus, quod aliquid desit ad perfectam exactam exhibitionem intellectus eorum quae dicitur. ut illud est: Maneat quisq; in eo, quod accepit charismate, uel contentus sit, seu progrediatur, uel aliquid huiusmodi. Ut, siue prophetiam habeat quispiam, siue ministerium, unusquisque permaneat. & qui prophetiam habet, & qui ministerium, & qui doctrinam

doctrinam, & qui exhortationem habet, in eo simpliciter quisque permaneat, quod sortitus est, munere. Ac frequens est apud admirabilem diuumq; Paulum huiusmodi usus. Neque admireris sanè, si quidem in talibus non instructus, his usus sit: gratia enim, quæ maiora suppeditat, exiguorum quoq; nonnunquam scientiam præbuit, non ueluti magnum quiddam hæc sint. Quid enim erit, cum homines circa dictiones, syllabas, & horum institutionem tempus loquendo consumant? Labor ac nomina. Non itaque, quasi magna quædam sint hæc, usus illis est, sed ut eos confundat, afficiatq; rubore, qui plus æquo horum causa intumescunt, & ad humilitatem lucretur, & obedientiam suæ admonitionis. Solertia namque & impigra fuere Paulo uniuersa, quæ ad salutem conferrent hominibus. Vnde etiam carmina poetarum, Græcorum historias, & alia id genus innumera non eum proferre piguit, dummodo uel per hæc salutem aliquam hominum se reportaturum speraret. Papæ qualis ac quanta fuit huius quum anima, tum studium. Et sanè rectè hac quoque sermonum specie usus est, rursusque ab Apostolico illo, simplici, nobili, candidoq; charactère non discedit. Enimvero si nusquam his usus omnino esset, impotentiam profectò ij, qui nihil non audent, inscitiam, & idiotismum criminati essent: quandoquidem his quoque temporibus nonnulli horum ignari, imperitiam hunc rerum talium habere,

quas ipsi intelligunt, suspicantur. Si uerò contra
 iterum frequentius usus esset, Apostolicus ille cha-
 cter in contemnendis, rebusq; nullius momenti lo-
 tus esset, ac positus. Ambo itaq; acutè sapientiſſime
 perſequutus eſt. Nam illis quidem utebatur, quò-
 ſtenderet, haud ſibi id difficile eſſe, ſi quidem uiri
 let, & horum ſe non eſſe ignarum. Permaſit autem
 in Apoſtolico illo charactère, nobilitatem, ſimplici-
 tatem, candorem, puritatem, germanitatemq; ſer-
 monis honore debito retinens. Quid ergo? non e-
 tiam cæteri hoc pacto ſermones ſuos cõmiſcuerunt.
 Verùm is ſolus præ ſe tulit, quòd & in illis facili-
 multa eſſet, ſi quidem iſthuc facere uoluiffent. Quo-
 quam & in eorũ epiſtolis hæc eadem, licet rariuſq;
 perire eſt. Quòd ſi ab illo, habètes chariſmata
 libi quieſcendum ſit ad illud uſque, benedicite qui
 uos perſequuntur, alius proſectò ſenſus erit. Vna
 autem tantummodo figuræ conſtructio tota erit. Ad
 ſpiritum uerò paracletum ualde perioſus ipſa con-
 nata eſt. **b** ¶ (Secundùm gratiam.) Si Deus do-
 nauit, quid tu faſtu turges? Nunquid enim tua uir-
 te dona peperiffi? Haudquaquam. Dei nanq; donum
 inquit. **c** ¶ (Varia.) Pulchrè dixit, uaria, ut oſen-
 dat, nõ alterum quidem magnum, alterum uerò pe-
 uum eſſe. Nam uniuerſa Dei dona magna ſunt, ſed
 uaria & cõgruentia. **d** ¶ (Iuxta proportionem.)
 Commonſtrat iam, quòd qui maiora quæ uidentur
 dona accipiunt, ſint in cauſa cur acceperint. Si enim
 gratia

gratia
 quiſq;
 habet
 bene
 quoc
 ſeue
 doce
 perſe
 horta
 ret.
 qui m
 ſimp
 dando
 uel in
 plicite
 cum ſ
 tum q
 lucre
 tanqu
 lers. n
 mo, c
 turq;
 in al
 etam
 perfe
 duli
 h q
 ſerec

gratia est, tantò magis affluit, quantò còmodius uas
 quisq; per fidem seipsum præbuerit. Siue prophetiã
 habeamus, iuxta proportionem, inquit, fidei eam ha-
 bemus. Siue ministerium (ministerium enim generale
 quoddam est ad omnia dona) acceperit aliquis, per-
 seueret in eo. Deinceps ad specialia accedit. Siue qui
 docet, munus, inquit, doctrine perceperit, repete,
 perseueret. Siue qui exhortatur, munus, inquit, ex-
 hortationis nactus fuerit, in exhortatione perseue-
 ret. e ¶ Qui impertit.) Deinceps ostendit, quòd
 qui malè utitur donis, ea inutilia reddat. f ¶ In
 simplicitate.) PHOTII: Quia charismata uel in
 dando suam ostendunt efficaciam, uel in præsentia,
 uel in miseratione, intulit: Haud temerè profectò sim-
 pliciterq; perficere hæc oportet, uerùm dare quidem
 cum simplicitate & gaudio, nõ perinde ac detrimen-
 tum quoddam patiaris, sed ueluti magnum quiddam
 lucreris. & præesse, non sine cura & diligentia, sed
 tanquã pro temetipso sollicitus sis, & studiosus, & so-
 lers. misereri quoq; hilaritate magna & alacri ani-
 mo, ceu aliquid quod sponte sua oriatur, fructifice-
 turq;. Et qui fient hæc? Si dilectionem mutuam alter
 in alterum habeamus. Dilectionem, inquam, haud fi-
 ctam & simulatam, sed non fictam, non simulatam,
 perfectam, & que reuera dilectio sit. g ¶ In se-
 dulitate.) Non enim sat est præsidere tantum.
 h ¶ In hilaritate.) Non ueluti damno affectus mi-
 fereatur, uerùm potius ceu lucro auctus ipse sit.

stro adhaeret, agglutinatur, uniturq; : quod reuera
 propriè bonum est, est inquam Dominus noster IESVS
 CHRISTVS. At unde fraterna dilectio ori-
 tur? unde prouenit ut quisquã seruare eam possit? Ex
 mutuo honore alterius in alterũ, inquit. Reuera enim
 firmũ stabileq; amicitia initiũ auspicatur, si unusquis-
 que certatim primus esse conetur ad honore proxi-
 mum prosequendũ. c ¶ Fraterna charitate.) Si fra-
 terna inter uos uiguerit charitas, nimirũ uos mutuò
 diligetis: fratres enim estis. Deinde cõmemorat, quo-
 modo fraterna charitas rectè perficiatur: si quisque,
 ait, fratrem suũ honore praeuenerit. d ¶ Studio nõ
 pigri.) Etenim hoc dilectionem parit, si nõ mo-
 dò honoremus, uerumetiam in hoc supra modum in-
 cumbamus, ut honore alios praeueniamus. e ¶ Spi-
 ritu seruentes.) Qua uerò ratione fiet hoc, ut spi-
 ritu serueamus? Si in bonis & honestis operibus ser-
 uentes simus. Habebimus in eis feruorem etiam, pro-
 pter feruentem calefactumq; spiritum sanctum.
 f ¶ Domino seruentes.) Ex ijs enim quæ dicta
 sunt, proueniet nobis ut domino seruiamus: hac quip-
 peratione reuera indicabimus nos Domino seruire
 per bona opera. Hæc uera est seruitus. g ¶ Spe gau-
 dentes.) Qui fiet autẽ ut spiritu serueamus? Si spe,
 inquit, gaudeamus. Nihil enim adeò ad quæuis ala-
 crem facit, ac bona spes, & si afflictiones, inquit, susti-
 nueritis, & si in oratione inconuulse perduraueritis.
 h ¶ In afflictione.) Patiẽtia nãq; parit probationẽ.

i ¶ (In oratione.) Ea enim adiuuante, erunt fa-
 lia omnia. k ¶ (Necessitatibus sanctorum.)
 Si inopia laborauerint. Eleemosynā in sanctos intro-
 ducit: quare etiam seruauit eam in extremo ac prae-
 puo loco. Suprà quidem de uniuersali eleemosina lo-
 cutus est, Cōmunicantes, ait. Cōmunio namq; res ipsa
 est. Nam tu quidem pecunias illis confers, illi contrā
 tibi fiduciam apud Deū, & innumera bona. l ¶ (Ho-
 spitalitatem.) Ne expectes, inquit, tantisper dum
 ille ad te uenerit: erubescit enim: uerū tu insequere
 eum, ipsum inuita. m ¶ (Benedicite.) Cum do-
 cuisset quomodo erga fratres affectos nos esse oport-
 teat: docet iam nūc, quonam pacto erga hostes nos ge-
 rere debeamus. Obserua autem quòd nō dixerit, Ne
 expetas ultionem, neue maledicta in eum euomas: ue-
 rū, quod longè maius est, Benedic, precesq; ad Deū
 pro eo funde. n ¶ (Gaudete.) Nedum uerbis, in-
 quit, benedicite, uerū etiam operibus: gaudentibus
 quidem congaudentes, dolentibus cōdolentes. Eò per-
 rò maius est congaudere gaudentibus, quò etiam feli-
 citas proximorū impijs saepe occasione inuidiae pre-
 bet. o ¶ (Idem mutuò.) Quasi: Magnū te ipsum
 existimas? talem & fratrem tuum reputa, etiā si pau-
 per fuerit. Nam apud Deum, diuitiarū atq; inopia
 nullus est respectus aut discrimen. Quomodo autem
 tibi hoc contingat? Si de te ipse non alta sentias, uerū
 si accōmodes & consentias tenuibus, atq; ad illorum
 humilitatem descenderis. Ex his supercilium illorū

Et inanem gloriam supprimit. Verisimile nanque erat, propter urbis amplitudinē tali affectu detineri.

Ne a fitis arrogātes apud uosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, c prouidentes bona coram omnibus hominibus: d si fieri potest, quantū in uobis est, cum omnibus hominibus pacē habentes: e nō uos ipsos ulciscentes dilecti, sed date locum irę. f Scriptum est enim: g Mihi uindicta, & ego rependam, dicit Dominus. h Si igitur esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, pota illū. Hoc enim si feceris, carbores ignis coaceruabis super caput ipsius. i Ne uincaris à malo, sed uince in bono malū.

Deut. 32

a ¶ Ne fitis arrogantes.) Hoc est, Ne existimetis uos esse sapientes, & nullius consilio indigos. Ait enim Scriptura: Vae prudentibus apud sese, et sapientibus in conspectu suo. b ¶ Nulli malum.) Si namq; uituperabilis et infelix est, qui tibi iniuriā inferi, cur tu imitationem prauorum nō fugis? sed dum ultionem expetis, reum te ipsum cōstituis, participēq; impietatis. c ¶ Prouidentes bona.) Hoc est quod ait: Date operam, ut boni & probi appareatis, & ne cuius uituperationis occasionem detis. Vel, quia paulò antè dixerat, Nemini malū pro malo reddentes: appendit etiam, prouidentes bona: perinde ac dixerit, Non satis est uos tantū non rependere malum, sed oportet uos ei etiā prospicere, qui uobis malefecit. Etenim nec suprā satis fuit, non execrari eos qui persequuntur nos: sed benedicere nos illis etiam

præcepit. d ¶ (Si fieri potest.) Fieri namq; pote-
 ut non sit possibile, præsertim cum de pietate res ag-
 tur. propterea dixit, Si fieri potest. Quòd uerò ait,
 quantum in uobis est: hoc est, Tu fac quod tuum,
 nec exhibeas inimicitie occasionem, nõ Græco, non
 Iudæo. Hoc est enim quod ait, cum omnibus, fide-
 libus, inquam, & infidelibus. e ¶ (Non uosmet-
 ipsos ulciscetes.) Quoniam id consecrancum es-
 se solet, ut qui iniuria sit affectus, ultionem ac uindi-
 ctam expetat: hoc ipsum tibi, ait, annunciat, ne
 te ipsum ulciscaris, & Deus ipse pro te ultionem su-
 met. Date enim, inquit, locum spaciumq; iræ Dei,
 ut ueniat. Si enim tu ultionem de te sumas, adue-
 niens ira Dei locum non habebit ultionis sumende,
 quòd tu iam te ipse ultus sis. Si enim tu non ultionem
 & uindictam de te sumas, ueniet ira Dei super il-
 los. IOANNIS: Quia cuiusque facta iniuria
 est, hoc maximè uidere desiderat, ut ipse ultione fru-
 tur: id deus magna copia tribuit. Si etenim de te ultio-
 nem ipse non sumpseris, Deus erit ultor tui. Permite
 igitur, & da ipsi locum, ut ipse in hostem tuum egre-
 diatur: hoc enim est, Date locum iræ. f ¶ (Scriptum
 est enim.) Maiori consolatione iniuria affectum
 leuans, protulit testimoniũ. g ¶ (Mihi uindicta.)
 Mihi, hoc est, apud me est ultio. h ¶ (Si igitur esurie-
 rit.) Non solùm, inquit, pacifici sitis & pacati, nec ul-
 tionem sumatis de hostibus, uerum etiam benefacite il-
 lis, cibum potumq; ministrâtes. Quia uerò id ad-
 modum

modum durum erat & arduum, subdit, ut iniuria affectum consolaretur, dicens: Hoc autem faciens, ignem illi coaceruabis super caput: simulq; ut eum perterrefaceret qui iniuriã intulit. i. ¶ Ne uincaris.) Emollito iam antea eo qui iniuria erat affectus, persuasoq; ut beneficeret, per hoc quod dixerat, Carbones coaceruabis: nunc altius ipsum adhortatur. Si enim tali, inquit, affectu ipsum alis, ut ignem ipsi aggreget, haud uicisti malũ, sed uictus ab eo es. Ceterũ ego, inquit, uolo ut tu uincas malum. itaque ne malefico affectu beneficias: pro tua enim consolatione, quæ dicta sunt, commemorata fuere, quòd alimenta illi potumq; ministrans, carbones ignis coaceruabis, non autem ut ita facias. PHOTII: Licet enim te beneficiente, de inimico Deus te ulciscatur, ciq; irascatur, ac ignem tentationum, afflictionum, ærumnarumq;, quas ille in proximum exercuerat, in caput ipsius inuertat: at igitur tu ne isto intuitu beneficijs cum afficere uelis, ut in huiuscemodi eum uideas malis: alioqui à malo uictus ipse probaberis, & ille nihilominus decencia se pateretur, tu autem mercedem omnẽ à malo uictus perdidisti. Imò uerò si talem te uiderit Deus habere mentem, neq; te ulciscetur sanè. Eum nanq; ulciscitur Deus, qui cum bonus sit & quietus, iniuria tamen affectus fuit: nõ autem illum, qui per indignationem, & ex industria se ipsum ultus est, quiq; per bonum opus beneficentiæ malignatus est, ac prauo animo extinctionem

illius uidere conatus est, qui iniuriam intulit. Tu igitur benefacito, ut uincas malum, utq; filius sis (ut Dominus ipse ait) patris, qui est in coelis.

CAPVT XIII.

OMnis ^a anima potestatibus supereminentibus subdita sit. ^b Non enim est potestas, nisi à Deo. ^c Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatæ sunt. Itaq; ^d qui resistit potestati, ^e Dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, ^f sibiipsis iudiciũ accipient. ^g Principes enim non sunt terror ^h bonorum operum, ⁱ sed malorũ. ^k Vis autem non timere potestatem: Bonũ facito, & habebis laudem ex illa: ^l Dei namq; minister est tibi in bonum. ^m Sin malum feceris, time. ⁿ Non enim frustra gladium gestat. ^o Dei namque minister est, ultor ad iram ei qui malum operatur,

^a ¶ (¶ Omnis anima.) Quia satis mores audientium composuerat, & eos ut hostibus quoq; beneuoli essent, docuerat, appendit & hanc exhortationẽ, instruens omnem animam & erudiens, ut licet sacerdos quispiam sit, licet monachus, licet Apostolus, potestatibus subijciatur. Hæc enim subiectio, pietatem non euertit. Hanc porrò admonitionem adhortationemq; ideo facit Apostolus, ut ostendat neutiquã apostasiam docere Euangelium, seu inobedientiã: sed magis candorem animi, & obedientiam. ALITER: Multam undiq; capite hoc prouidentiam facit, monstrans CHRISTI leges non ad publicæ bonæ ordinationis

tionis subuersionem datas: & quòd inimici, qui pietatis nomine nos impugnant, satis sunt. & quid alios eosq; superfluos nobis ipsis hostes excogitare oportet? b ¶ Non enim est potestas.) Non de quouis hoc speciatim principe dicit, sed de ipso magistratu. Cum enim æqualitas honoris, nõnihil haberet seditionis, introduxit Deus potestates. Vel sic intelligas. Quid ais? Quilibet princeps à Deo institutus est: Non hoc dico, ait: neq; de quolibet nunc sigillatim principe sermo mihi est, sed de ipsa re. Quòd enim sint principes, & hi quidem principatũ teneant, isti uerò sub principatu sint, & non omnia inuoluantur confusione, Dei sapientiæ opus esse dicimus. Non enim ait, Non est princeps: sed, Non est potestas, nisi à Deo. c ¶ Quæ autem sunt.) De eodem hæc locutus est. Cum enim, Non est potestas, diceret, nisi à deo: rursus idem profert, Quæ sunt potestates, à Deo ordinate sunt, hoc est, factæ. Deus, inquit, dispensauit, & ordinauit eas. ALITER: Omnes igitur potestates à Deo ordinate, hoc est, factæ sunt, qualemcumq; consideres: licet potestatem patris in filium, licet uiri in uxorem, licet alias uniuersas: & eas etiã quæ sunt inter ipsa animantia, ut apum, ut locustarum, ut piscium. d ¶ Itaq; qui resistit.) Ne sese deteriores uilioresq; reddi CHRISTI serui arbitrentur, si potestatibus subijciantur: ostendit, quòd necessarium sit obtemperare, & non reluctari, neq; immorigerũ quempiam esse magistratui. Qui enim hoc attemptaue

rit, Deo resistit, qui condidit, instituitq; magistratus.
 e ¶ Dei ordinationi resistit.) PHOTII: Hinc
 quoq; lucraberis, ait, dum subijceris: nō solum quod
 præceptū cōples, uerum etiam quod Deum honoras.
 Honorans quippe ab eo institutam potestatem, cum
 quoq; qui hanc instituit, honoribus ipse prosequeris.
 Beatus qui sic, & eapropter, potestatem honorat, & ei
 subditur: æquè ac miser ille, qui nō propterea subij-
 citur. Duplex etenim iudicium reportabit: primum
 ex Deo, quod ab ipso ordinatā prædestinatamq; de-
 spiciat potestatem: secundo ex ipsis quoq; principi-
 bus. Sedenim uideas quodnam mortalium genus ex
 magistratibus ac principatibus lucrum assequatur.
 Prohibent malos, adhortantur studiosos, dum illos
 honoribus, & encomijs incitant ad uirtutem. Est
 itaque necessarium ut eos amplectamur, & propter
 hoc, & quod Dei sunt ministri, Dei uoluntati ser-
 uientes, ac ministrantes. Tertio, quod proprijs
 posthabitis, communia curant, proximorum uti-
 litati inuigilantes, etiam ante suam ipsorum re-
 quietem & quietem, laborem pro illis amplectentes.
 Quis hos, etsi nullus adsit timor, ex ipsa conscien-
 tia iudicij non ueneretur, tum in patrum honore,
 tum magistratuum ratione? Beati profectò sunt hu-
 iusmodi principes. f ¶ Sibi ipsi iudicium acci-
 pient.) Condemnationē, inquit, quam sibi ipsi à Deo
 adfiscunt. g ¶ Principes enim.) Quid doles, in-
 quit, subditus potestati? quid ue paues, ac tremis? Nunc
 quid

quid enim increpat bene honesteq; uiuentes? Nūquid est terrifica ei, qui uirtuti operam impendit? h ¶ Bo-
 norum operum.) Hoc est, ijs qui bene operantur.
 i ¶ (Sed malorū.) Id est, mala patrantib. k ¶ (Vis
 autem.) Quòd si cupias ut uel principes, uel magi-
 stratus nedum tibi clementes sint, uerum te laudibus
 etiam uehant, fac bonū. l ¶ (Dei nanq; minister.)
 Adeò, inquit, laudabit te, si bonū opereris, ut sit etiā
 auxiliaturus ad hoc tibi. Porrò timor ansa tibi erit
 bene recteq; uiuendi. Eam autem ob rem dixit, Dei
 eum ministrum esse ad bonum, quòd ministret ac ser-
 uiat uoluntati Dei, cum bonos laudibus euehens, tum
 malos puniens, perinde ac Deus ipse facit. Hinc autē
 ad bonū te impellit, & hortatur. Id enim significat,
 Est tibi ad bonū. PHOTII: Est tibi, ait, ad bonū, Dei
 uidelicet cum sit minister. Quomodo autē est tibi mi-
 nister? Prohibens malos, & eorum in te nocumentū
 auferens, & facultatem tibi præbens ad bonū faciun-
 dum. Tibi autem in bonum ministrat, & quando te
 super malis perterrefacit, eò id agit, ut inde te retra-
 hat, & ad uirtutem inuitet. Quin & ubi te honori-
 bus prosequitur & collaudat, ad idem hortatur.
 m ¶ (Sin malum feceris.) Non igitur princeps, aut
 magistratus metus tibi causa est, sed scelerata tua ui-
 ta. n ¶ (Non enim frustra.) Viden? quomodo
 perterrefecerit subditum, armaueritq; magistratum?
 o ¶ (Dei nanq; minister.) Nam qui sceleratā uitā
 ducentes pœna afficit, Dei minister est ad iram.

Quapropter^a necessarium est esse subditos, non solum propter iram,^b uerum etiã propter conscientiam.^c Propter hoc enim & tributum soluitis. Siquidem^d ministri Dei sunt, ^e in hoc ipsum^f sedulo incumbentes. & Reddite igitur omnibus, quę debetis:^h cui tributum, tributum: ⁱ cui uectigal, uectigal: ^k cui timorem, timorẽ: cui honorem, honorem. Nemini quicquã debeat, nisi hoc,^l ut inuicẽ diligatis.^m Nam qui diligit alterum, legem impleuit.ⁿ Quod enim ait lex: Non cõmittes adulteriũ, non occides, non furtum facies, non falsum dices testimoniũ, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo summatim comprehenditur, nempe, ^o Diliges proximũ tuum sicut te ipsum.^p Dilectio, proximo malum nõ operat. Plenitudo itaq; legis, est dilectio.

a ¶Necessarium est.) Necessarium est igitur, inquit, magistratibus subijci, nõ solum propter iram Dei, magistratui non subditis obuenientem, sed propter etiam conscientiam: hoc est, ne uidearis conscientia uacare, & ingratus quidã esse, si benefactori tuo, ac ministro Dei, non obtemperes. Enimvero magnis nos principes ac magistratus beneficijs cumulant. Nam per eos uita nostra consistit. Qui si nõ essent, omnia sanẽ dilaberentur, diuitibus, non secus ac pisces, pauperes absorbentibus. b ¶Verum etiam propter conscientiam.) Nam propter iram, prauis & nolentes subijciuntur: at propter conscientia debent studiosi

studiosi spontè, & cum animi promptitudine subijci-
 c ¶ (Propter hoc enim.) Tantis, inquit, beneficijs
 uos afficiunt magistratus, ut & tributum eis penda-
 tis: mercedem nimirum gubernationis, curæq; illorū
 præbentes. d ¶ (Ministri Dei sunt.) Hoc est, sub-
 operarij Dei, ministrantes ipsi ad hoc, ut nostri curā
 gerant, nobisq; prospiciant, ut ipse Deus facit. Dei
 nanq; uoluntatē perficiunt. e ¶ (In hoc ipsum.)
 Hoc est, ut nostri curā gerant. f ¶ (Sedulò incum-
 bentes.) Suis, inquit, rebus neglectis, nostri curæ
 sollicitudinēq; inuigilant. g ¶ (Reddite igitur.)
 Demōstrauit rem esse debitum quoddam: hinc quoq;
 ait, *Quæ debetis: & Reddite: quasi debitum quod il-
 lis debetur, quibus supremus magistratus concedi-
 tus est.* h ¶ (Cui tributum.) Cui debetur tribu-
 tum, hoc est quam Græci *λεπταντιών* dicunt: id est,
 censum illum quem singuli capitecensi soluunt, tribu-
 tum soluito. i ¶ (Cui uectigal.) Cui autem uecti-
 gal debetur, hoc est, contributio pro terra, uecti-
 gal soluito. k ¶ (Cui timorem.) Non solum pecu-
 nias, uerum etiam timorem pendatis, hoc est, reueren-
 tiam & pietatem, ac præceptum honorem. Addit sa-
 nè: Cui honorem debetis, honorem soluite. Timor
 nanq; duplex est: alius quidem quo timēt delinquen-
 tes, qui ex mala cōscientia prouenit, à quo nos supra
 exemit Apostolus: alius autem quem habent amantes
 erga eos quos ipsi amant: is est præstans & excellens
 honor, atq; exuberans, sicut dictum est: Nihil deest

timentibus eum. Cultum enim ac reuerentiam hoc
 loco subindicat. l ¶ (Ut inuicem diligatis.) A
 bonorū omnium matrem charitatē deuenit, illam debi-
 tam esse insinuans. m ¶ (Nam qui diligit.) Lucrī
 deinde charitatis indicat. Qui hanc implet, uniuersam,
 inquit, legem implet. Et quoniam id pacto fiat, di-
 cit. PHOTII: Et quī fiat, ut qui proximum diligit,
 legem compleuerit uniuersam? Per sese planum est.
 Qui enim diligit, dilecti non uiolabit matrimonium,
 in illud quod omnium, quæ in hac uita sunt, maxi-
 mum est insidias parans, ac dilecto inferens nocu-
 mentum: sed nec manus contra ipsum armabit cruen-
 tas, nec furari aggredietur, nec alia quouis modo
 concupiscentia cuiuspiam rei ad ipsum pertinentis
 inuectus, per uim auferet. Non sunt enim hæc amari-
 tis. Neutiquam sanè falsum contra proximū testimo-
 nium feret, neq; peierabit. Patrem porrò atque ma-
 trem, quomodo qui proximū diligit, non uehemen-
 ter diliget & honorabit? Quo pacto proinde non di-
 uinitatem ipsam, qui eiusmodi est, reuera ex toto cor-
 de, exq; tota uirtute sua amabit & glorificabit? Qui
 autem talibus seipsum circunsepserit, quam aliam
 uirtutem ijs, quæ memorauimus, non coagmentabit
 & coaptabit? Itaque qui proximum diligit, totam
 prorsus legem impleuit. Deinde, quoniam dilectio-
 nis nomen consueuere mortales etiam affectionibus
 eo indignis imponere, clarius explicat quamnam di-
 xerit charitatem & legem complecti, & uirtutum

multitudinem summam comprehendere, id expri-
 mens uoce illa, nempe, Sicut teipsum. Dilectio enim,
 inquit, quam diximus, mutuò sibi proximos copulās,
 ita unit, ut uterq; non alium eum arbitretur, qui sibi
 copulatus sit & coniunctus, sed æstimet alterum se-
 ipsum esse illum. Ex quo manifestum est, quòd neuter
 malum proximo inferet. Deinde conclusio quæ supe-
 riora repetit, hæc est: Plenitudo igitur legis est dile-
 ctio. pro eo ut diceret: Verè igitur ac iuste dixeram,
 quòd qui diligit, legem impleuit. n ¶ Quòd enim
 ait lex.) Cum autem dixisset, Qui diligit, totam
 legem impleuit: innuit quo modo id fiat: quòd om-
 nia, inquit, mandata per charitatem complentur. At
 non dixit, implentur simpliciter, sed, in summam re-
 diguntur: hoc est, breuiter & succincta ratione to-
 tum fit, & uniuersum completur mandatorum opus
 paucis. o ¶ Diliges proximum.) Quòd habet
 mandatum, Sicut teipsum, intentam admodum di-
 lectionem, charitatemq; indicat. p ¶ Dilectio.)
 Viden' utranque in charitate uirtutem esse, & quòd
 à malis abstineamus, & quòd bona perficiamus? Ec-
 ce abstinentia à malis: Proximo, inquit, malum non
 operatur. Ecce rursus bonorum operatio: Plenu-
 do, inquit, legis est charitas: proximo enim bene-
 ficia præstat. Vniuersum porrò legis studium nihil
 aliud atque hoc ipsum postulat, nempe abstinentiam
 à malis, & bonorum operationem.

^a Præsertim cum sciamus tēpus, ^b quod tempestiuum sit ^c iam nos à ^d somno expergite. ^e Nunc enim propius adest nobis ^f salus, & quāquam quando credebamus. ^h Nox progressa est, die autem appropinquauit. Abijciamus igitur ^l opera tenebrarū, & induamur arma lucis: ^k tanquam in die cum decore ^l ambulemus, ^m non comestationibus & ebrietatibus, nō cubilibus & ⁿ lasciujs, non ^o contentione & æmulatione: ^p sed induimini Dominum Iesum Christum. Et ^q carnis curam ne agatis ad cōcupiscentias.

^a ¶ Præsertim cum sciamus.) SEVERIANI: Implete, inquit, dilectionis opus, scientes tēpus id urgere, uirtutemq; deposcere. Nunc enim propius nobis adest salus, quā tum quando credebamus. Hoc est: Nunc postquā cognouimus quæ sint opera comodiōra, leuius nobis est & facilius seruari, quā tum quando instituebamur in fidei adhuc uerbo atq; norma. Non enim simul cum fidem in CHRISTVM primū docemur, statim exactam agendorū comprehensionem aut cogitationem tenemus. ^b ¶ Quod tempestiuum sit.) Scientes, inquit, quidnam? Tempus nimirum, ac temporis opportunitatem. Aliter, PHOTII: Præsertim cum sciamus, hoc superioribus est copulandum, & ad illa redditur: imò in omnibus potius est, & adhortationem eorum indicat quæ dicta sunt. Quibus uerò suprā dictis? Omnis anima potestatis sublimiorib. subdita sit. & Reddite omnibus

nibus quæ debetis. & Nemini quicquid debeatis, nisi ut
 mutuo inter uos alter alterum diligatis. Hæc itaque,
 inquit, facite, cum propter ea quæ iam dicta sunt, tum
 maxime propter hoc. Propter quod, inquam? Cum
 nouerimus temporis opportunitatem, quod tempus ui
 tæ nostræ concisum sit & abbreviatum, nosque oport
 teat, tamen si dormierimus nihil operantes, è somno
 attamen expergisci. Manifestum est enim, quod nunc
 maxime ad finem uitæ nostræ adsumus, quam cum
 ad fidem uenimus. Salutem uerò dicit, ipsius uitæ fi
 nem, quia tunc dignis salus, ac fructio reuelatur ma
 gis. Idcirco & diem idipsum uocat, & uoluptatem
 adferentem, & illuminantem, & manifestantem ea
 quæ antea in ignorantia, quæ experimento inheret
 ac fructioni, habebantur, sola autem spe cernebatur.
 Porrò non immeritò uitam hanc, noctem uocitat, ad
 futuram diem. Multa namque eorum quæ in præsent
 tempore uelut in nocte latent, ibi manifesta, tanquam
 in die pellucida, futura sunt: itemque complura ex ijs
 quæ hinc quasi in tenebris ignorantur, ibi tanquam in
 luce scientur, umbra quaque soluta, omni que ablata per
 sona, & obtenebrante cogitationes expurgata caligi
 ne. Amputata est itaque nox & abscissa: hoc est, uita
 hæc nostra, et finis propius accessit: dies inquam iam
 iam imminet obitus & mercedis. Oportet igitur &
 propter hæc alacri animo omne complere mandatū,
 diligere inuicem, debita omnibus soluere, subijci ma
 gistratibus. Etenim exiguus etiam iam labor est, non

in longum pugnae (licet quippiam pugnare sine
 cessarium) protenduntur. Breue sanè admodum
 dium est uita nostrae: nemo pigrescat, omnes stude-
 mus. c ¶ Iam nos.) Iam in uestibulo finis adet
 hinc sanè operæ precium est, urgere nos ad bonorū o-
 perum peractionem. d ¶ A somno expergisci.)
 Ex socordia ignauiaq; expergisci, & exurgere.
 e ¶ Nunc enim.) Præsentē nanq; uitā, uel paululū
 præterlabente, uicinius redditur resurrectionis & sa-
 lutis nostræ tempus, quàm cum initio ad fidem ueni-
 mus. f ¶ Salus.) Si enim, quemadmodum opus fue-
 rit, præparati fuerimus & instructi, salutaris nobis
 illa iudicij dies illucescet: sin minus, perniciosa nobis
 erit. Attamen ex commodioribus illam diem denun-
 ciat. g ¶ Quàm quando.) Par quidem est eos ini-
 tiō, uti nouitios, feruētes fuisse, at postea de serbuisse.
 hoc igitur nunc subobscurè indicat. Quanto, inquit,
 uicinius est nobis salus, hoc est, iudicij tempus atq; ser-
 uator, tantò nos feruentiores esse studiosioresq; ope-
 teret, potius q̄ seigniores. h ¶ Nox progressa est.)
 Noctem, præsentē uitā appellat. Nihil enim à somniis
 res, quæ in ea sunt, distant. Diem uerò futurū tempus
 nominat, quòd quæ nunc abdita latent, in eo reuelan-
 da sunt. i ¶ Opera tenebrarū.) Opera tene-
 brarū prauas operationes nuncupat: arma uerò lu-
 cis, uirtutem ipsam. Ut enim arma, muniunt: ut auri-
 lux, splendidum reddunt. k ¶ Tanquā in die
 PHOTII: Perinde atq; iam præsentē atq; instāte die

Et non ueluti nondum futura, ita conuersemur, ui-
 tamq; nostram omni cum honestate & decore insti-
 tuamus. Quid uerò sit, cum decore, ipse interpreta-
 tur cum subdit, non comestationibus, & quæ se-
 quuntur. Cum decore autem & honestate, inquit: ma-
 gnam incutiens uerecundiam & reuerentiam, quòd
 etsi nulla esset reposita ultio peccatoribus, & mer-
 ces ac fruitio studiosis, oporteret sanè cum turpe, tum
 indecens & dedecus fugientes, adherere uirtuti: at
 cum ea quæ memorauimus utraq; uitam comiten-
 tur, quid factò opus est? l ¶ Ambulemus.) Cùm
 suprà dixisset futurũ iudicij diem, nunc ipsum exhi-
 bet, in formidinem cõijciens auditorem. Dicens uerò,
 ambulemus, exiit inuidia & odio sermonem: nam et
 se ipse immiscuit. m ¶ Non comestationibus.)
 Non ipsum sanè bibere, uerùm enim ebrietatem pro-
 hibet. Comestatio autem est cantilena tum temulen-
 tia, ebrietate, & contumelia: quam etiam debaccha-
 tionem dicimus. n ¶ Et lasciujs.) Non copulam
 tollit maritalem, sed fornicationem. o ¶ Non con-
 tentione.) Per contentionem, indignationem intelli-
 git & exandescentiam: per æmulationem uerò, in-
 uidiam. p ¶ Sed induimini.) Qui enim ipsum in-
 duerit, is habet uniuersam uirtutè. Qua uerò ratio-
 ne CHRISTVM induamur? Si nobis interna & ex-
 terna omnia ipse solus fuerit. Porrò nunquam ab eo
 destitui, indumentum uocat. q ¶ Et carnis.) Cùm
 carnis non esse curam gerendam dixisset, addit, Ad

concupiscentias: ut ne existimes, in rebus necessariis non oportere nos carnis nostræ cura tangi, ut in cibo & potu. Est enim ei prospiciendū, ad hoc ut permanere possit, non ad libidinem & lasciuiam.

CAPVT XIII.

PORRÒ^a languentem in fide suscipite,^b non ad dijudicationes cogitationum. ^c Alius quidem credit licere sibi uesci quibuslibet: qui uerò in fide languescit, oleribus uescitur. ^d Qui uescitur, non uescientem, ^e non aspernetur: & qui nō uescitur, uescientem non iudicet. ^f Deus enim illū assumpsit. ^g Tu quis es, ^h qui iudicas ⁱ alienū seruum? Proprio domino stat, aut cadit: ^k stabiliatur autē. Potens est enim Deus qui eū stabiliat.

^a ¶ (Languentem.) Fuerunt nōnulli ex Iudeis credentes, qui legis dum ceremonijs detenti, multos execrabantur cibos, ut carnes suillas: ac ne proderentur, solis oleribus uesciebantur: ut continentia ita, non execrationis, ista obseruatio uideretur. Extiterunt et alij ex Iudeis credentes, qui solida fide firmati, haud quaquam obseruabāt cibos. Ad hos igitur in fide sinceros sermonem suum uertēs, cibos abominantes nō nihil carpit, infirmos eos in fide appellans. PHOTII: Mibi obsecro contemplato ingenium, dexteritatem, & prouidentiam Pauli. Suscipiens, iterum atq; iterum eum percutit, qui inter cibos discrimina facit, cum ne immodicitate atq; intemperantia reprehensionis protelat, & resliret, tum ne bonum honestumq; sibi

sibi facere uideretur, si nulla impeteretur redargutione. Eapropter suscipite, inquit, illū, quia languet. Ne, inquit, ipsum iudica. Quare? Non quòd non malum faciat, uerum quòd Dominum alium habeat qui ipsum iudicet: ob id & ipsum consolans, uti diximus, dum à proximo nō dijudicatur: rursus intelligendum censens, quòd licet eum ipse non iudices, attamen sub iudicio est, dum cibos obseruat. Quanquā enim ipse te non iudicet, tantum non inquiens, at non uacas Domino, qui iudicet te. Quamobrem parsimoniā istam abijcere te oportet. Interdicit proinde ne alter alterum iudicet pro cibis, ut ne initio fidei circa hæc litigantes & contendentes, ex hoc etiam in ipsas temporum opportunitates dissentire ac dissidere periclitarentur, & in ipsum caput, fidem inquam in CHRISTVM, damnum omne ac nocumentū inflecterent. Quid igitur? Si uiderimus nunc circa cibos more Iudaico quempiam discernentem, seseq; obseruantem, an nō condemnamus? Maxime id profectò. Qua igitur ratione inquit, Nolite iudicare, & non iudicabimini? Haud sanè de fide isthuc, aut ad fidem pertinentibus & cōducentibus accipiamus oportet: absit: neq; de ijs qui nullo pudore absurda patrant: uerum de ijs quæ per hanc uitam fiunt, operibus, de ijs quæ suspicamur, seu, quemadmodū ipse Dominus ait, de ijs qui festucarum curam gerunt. De ijs enim & huiusmodi, ne os quidem aperire decet, & maxime quibus componit capiti iam dicto etiam alterum, & ait: Non so-

lūm de eo quod dictū est nō oportet uel condemnari,
 uel cōtemnere proximū, uerū ne de eo quidem quod
 dicendum est. Est autē hoc tale: Alij quidem interpo-
 sitis diebus, ac inter diem & diem nonnihil discernen-
 tes, edebant, alij uerò quotidie. Ait itaq; : Neq; ob id
 alterū alterū mutuò iudicare & obseruare oportet,
 neq; omnino edentem. Ieiunat enim proximus tuus,
 & benefacit, si quidem propter Deū hoc faciat: neq;
 rursus ieiunantem, eum qui non alternis diebus ieiunat.
 Haud enim præceptū est lege sanctum, ut transgressio
 asciscat iudicium, sed tantum uoluntatis libertas. **b** ¶ Non in dijudicatione.) Primum
 quidem contra eos uulnus est, dicere, Languentes in
 fide. Alterum est, Suscipite: ostendit enim eos ingenti
 cura indigere. Tertium, Non ad dijudicationes cogi-
 tationum, seu disceptationum. Indicat autem, usque-
 adeo impingere illos, ut & eos, qui eodem secum cha-
 ritatis & amicitie uinculo colligari debeant, & iu-
 dicent, & carpant. **c** ¶ Alius quidem credit.)
 Alius, inquit, sincerè credens, neq; ullam retinens lu-
 daicam obseruationē, quibuslibet citra abominationē
 uescitur. Prædicat uerò ipsum à fide. Qui uerò, ait,
 circa fidem languet, oleribus uescitur. Hinc simul ip-
 sum increpat, quòd nō secundum laudatam cōtinen-
 tiam edit olera, etsi istud confingat: at secundum fidei
 ægritudinē. **d** ¶ Qui uescitur.) Non dixit, corri-
 gat: sed, Ne aspernetur: ostendēs quòd ridicula agat.
 Opus est enim fraterna ipsum charitate corrigere,
 nec

nec ueluti execratū cōtemnere. e ¶ Non aspernetur.) Nam quemadmodū qui per fidem quibuscunq; edebant indiscriminatim, eos cōtemnebant qui obseruabant: ita illi hos uelut edaces ac gastrimargos iudicabant. Obserua autē, quòd cū de edentibus loqueretur, ait, Deus enim illum suscepit: de obseruantibus nihil tale dixit. f ¶ Deus enim illum.) Deus enim, inquit, illum ad seipsum traxit, & liberauit ab omni Iudaica obseruatione. g ¶ Tu quis es.) SEVERIANI: Seruus CHRISTI, quē ipse suscepit, alienus est à lege. Quis igitur es tu, qui ex lege iudicas à lege alienū? h ¶ Qui iudicas.) Ad sincere credentes ipsi sermo est. Hinc porrò manifestum est, quòd nedum uilipendebāt, uerū etiā iudicabāt olerū comestores. i ¶ Alienū seruū.) Dei est, & ad Deū spectat cū lapsus eius, tum exurrectio. Ne igitur ipsum iudices, cū non digna condemnatione agat, inquit: alioqui alienus est seruus. k ¶ Stabilietur autem.) Rursus ferit infirmos, ac eos qui ciborum discrimina obseruabant. Dicens enim, Statuetur, indicat quòd cōcutiuntur, idq; in tantū, ut Dei etiam consolidatione opus habeant.

^a Alius quidem diiudicat diē à die, alius autē diiudicat omnē diē, unusquisq; ^b sua sibi mente satisfaciat. ^c Qui curat diem, Domino curat: & ^d qui nō curat diem, Domino nō curat: & qui edit, domino edit (^e gratias enim agit deo) & qui nō edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.

a ¶ Alius quidem diiudicat.) Verisimile est eos qui continuè ieiunabant, eos condemnare qui itidem continuè ieiunarent: erant enim in fide recentes. Et uerebatur ne multa eos accusatio planè à fide abscinderet, talibus accusationibus irritatos. b ¶ Vnusquisq;.) Ne de omnibus accipe quod ait Apostolus, Vnusquisq; sua sibi mente satisfaciât: uel, in sua sententia certus esto: uerùm de ieiunio tantùm, idq; uenia quadam, quia fidei recens infixi fuerant Romani. Nam si de fide cōmemoratum locum acceperis, à toto excidisti. Iuxta uerò propriam sententiam & mentem unusquisq; certus sit, sibiq; satisfaciât: uel quòd bene facit ieiunans semper, uel quòd bene nō semper ieiunans. OECVM. Non est quod dixerat accipiendum, tanquam dictum de doctrina fuerit & dogmatibus: tamen & ipse prædixerat. c ¶ Qui curat diem.) Ambo enim, hic & ille, uno utuntur fine, nimirum honore Dei. Nam qui obseruat diem, legem sese Dei adimplere censet: qui uerò circa hoc indifferenter se gerens omnem, utpote à Deo factam, diem curat, simili honore Deum afficit. PHOTII: Quòd diuus ait Apostolus: Qui curat diem, Domino curat: & qui non curat diem, Domino nō curat: manifestum est per id, quod paulò antè dixeramus: nempe quòd hoc dicit, quia qui iudicat, & æstimat bonum esse quotidie edere, Domino curat: hoc est, in Domino id ipsum arbitratur: id est, propter dominum hoc facit. Et qui hoc nō iudicat, nec putat bonum esse quotidie uesci, propter

propter Dominū hoc bonum esse iudicat & arbitrat-
 tur. Hæc enim quæ memorata sunt habentur in cau-
 sa quòd dixit, unusquisq; sua sibi mente satisfa-
 ciat. Quomodo istud, ô Paule, dicis? Rectè dixi, ait,
 quòd & qui ieiunat ultra diem, quiq; quotidie edit,
 ad hoc faciunt ut Deo placeant: & nullo modo fas est,
 ut mutuo alter alterum iudicemus propter hoc. Item
 causam quoq; intendit, & ait: Enimvero & qui edit,
 gratias agit Deo dum edit, quòd dederit hominibus
 cōmeatum ad uitæ continuationem. Et qui ieiunat,
 gratias agit quòd largitus sit mortalibus tolerantia,
 patientiam, & methodos, per quæ possit aliquis car-
 nis euadere passiones. Qui autem alia quauis causa,
 præter eam quam diximus, uel edit uel ieiunat, is da-
 mnatus nimirum est, ut complures hæreticorū. Hæc
 igitur de ieiunantibus ac uescentibus peculiariter ac-
 cipiendæ sunt, & non de quibusuis alijs. Haud enim
 ad omnia hæc regula pertinet, sed, ut diximus, pecu-
 liaris est, & de hoc tantum, & huic similibus sumit-
 tur. Quare minimè ad id, de quo paulò superius dis-
 seruimus, caput aptatur: uti de eo qui inter cibos dis-
 crimina facit. Etenim ille dum non edit, haudquaquã
 ad gloriam CHRISTI non edit, uerum ut languens,
 & nutans in fide. At ne illum quidem condemnare
 oportet ob temporis rationem: quando quidem ini-
 tium erat prædicationis. Porro edentem quotidie, &
 in alteram diem ieiuniū protelantem, nullo sanè mo-
 do oportet uel alterū alterum accusare: quòd ambo

ad gloriam Domini faciant, quicquid faciunt. Et quae deinceps sequuntur, omnia iuxta eandem sententiam adimplentur: de ieiunantibus certis diebus, & uescantibus quotidie, tantummodo accipiendum est: ueluti, Tu autem quid iudicas fratrem tuum? & Itaque unusquisque reddet de se rationem Deo. Deinde hinc occasione accepta, & facta mentione, quod Dominum habemus ac iudicem, à tribunali ad uniuersalem admonitionem orationem reducit. Cur, inquit, hoc illud aio? Ita nos mutuo alterum in alterum affectum esse oportet, ut nulla in re, quantum ad nos attinet, erga nos inuicem alter alteri offendiculum praebamus uel scandalum. Fratri prouide dixit, ex nomine ipso flectere magis uolens. Quid, inquit, offendiculum es? Frater tuus est, membrum tuum est, unum patrem habetis, creatorem eundem. Si igitur scandala & offendicula abdicata & exterminata fuerint à uobis, multo magis ipsum iudicare & condemnare tolletur. Non modò de hoc iudicare & condemnare, uel de isto, uerum simpliciter uniuersum cum minabitur mutuum iudicium, & mutua condemnatio. Ac tum reuera ter beatissimus erit, qui non iudicatur: & qui non iudicat, huic proximus: quando in uirtute & sanctimonia uitam ipsi duxerimus, & tam iudicare, quam iudicari omnem à uulgo tulerimus ansam. O Pauli uocem, o aedificatoris fundamentum. Hoc, inquit, iudicate, nempe ut nullum fratri ponatis offendiculum, siue scandalum: hanc primam ponite basim, hoc iacite fundamentum. Quod si haec in uobis basis fuerit

stabi

stabilita, si id fundamentum firmatum, facile super-
 edificabuntur cætera. e ¶ (Et qui nō curat.) Qui
 sic affectus est, inquit, ut in singulos dies ieiunet, pro-
 pter Dominū sic affectus est: & qui sic affectus est ut
 in singulos dies non ieiunet, propter Dominū sic affe-
 ctus est. Quicquid autem propter Dominum fit, bo-
 num est, inquit. e ¶ (Gratias enim agit.) Si igitur
 opportunum est ut per omnia gratiæ Deo agan-
 tur, quid adeo uehementer ieiunij causa disidetis?
 parum enim distatis. Haud sanè absque indulgentia
 ita loquitur. Veruntamen quomodo potest is gratias
 CHRISTO agere, qui non edit? Perinde enim ac
 dum lege detineatur, non edit. Ille porrò gratias agit
 Deo, qui edit.

^a Nullus enim nostrūm sibi ipsi uiuit, & nul-
 lus sibi ipsi moritur. ^b Nam siue uiuamus, Do-
 mino uiuimus: siue moriamur, Domino mori-
 mur. Siue igitur uiuamus, siue moriamur, Do-
 mini sumus. ^c Ob id eū Christus & ^d mortuus
 est, & resurrexit, & reuixit, ut ^e & in mortuos &
 in uiuētes dominei. ^f Tu autē quid iudicas fra-
 trem tuum? aut & tu ^g quid cōtemnis fratrem
 tuum? Omnes enim statuemur ante tribunal
 Christi. ^h Scriptū est enim: Viuo ego, dicit Do-
 minus: ⁱ Mihi flectet omne genu, & ^k omnis lin-
 gua cōfitebit Deo. Igit̄ unusquisq; nostrūm de
 seipso rationē reddet Deo. ^l Ne igitur posthac
 nos mutuò iudicemus: uerūm id iudicate po-
 tius, ^m ne offendiculū ponat̄ fratri, aut scādalū.

Esa. 45.

a ¶ Nullus enim nostrum.) Habemus, inquit,
 Dominum, cui & uiuimus, si uiuamus: cui et morimur,
 si moriamur. Si igitur Domino & uita & mors no-
 stra preciosa est, ipse reget, ac dispensabit ea quæ ad
 nos attinent: nec opus sanè est, ut proximum nostrum
 uel iudicemus, uel contemnamus. b ¶ Nam siue
 uiuamus.) Vitæ enim ipse mortisq; solus potesta-
 tem habet. c ¶ Ob id enim.) Rationem adduxit
 eius: nempe, quòd & uiuentes & morientes sumus
 CHRISTI. Præterea & illud demonstrat: Si tanta,
 inquit, usus est erga nos prouidentia, ut & cruci affi-
 geretur, haud iam nos despiciet. Si enim morientibus
 prospicit, longè magis prospiciet uiuis. Id autè ad cõ-
 demnantes dicit, quòd imbecillium in fide curæ sit Deo,
 ob tantam nimirum ipsius erga omnes prouidentiam.
 In fide autem exiguum, rubore suffundit, dum bene-
 ficia Dei ad memoriam illi reuocat. d ¶ Et mor-
 tuus est & resurrexit.) Iustificaciones, inquit, antea
 reposuit nostri dominatus. e ¶ Ut & mortuos.)
 Hoc est, tum in animas, tum in corpora. Hæ nanque
 sunt immortales, illa uerò morti obnoxia. Ita diuus
 quoq; Methodius inquit in concione de Resurrectione.
 f ¶ Tu autem quid iudicas.) Ad eum qui
 in fide pusillus est, hic rursus est sermo. g ¶ Et tu
 quid contemnis.) Ad solidum in fide hæc uerba
 facit. Nomine porrò fratris, dissoluit eis omnem con-
 trouersiam & contentionem. h ¶ Scriptum est
 enim.) Videtur quidem per prophetiæ prolatio-
 nem,

nem admonere fidelem, ne floccifaciat iudaizantem. Atqui totum locum ideo protulit, ut animū eius, qui Iudaismo adhuc laborat, concutiat, hīc quidem iudicij mentione, supra uerò CHRISTI beneficijs pudefaciens. Si enim CHRISTO omnes sistemur, ipse à nobis, non lex ipsa, delictorum exiget rationē. Quid igitur adhuc legem retines, & nō potius CHRISTVM amplecteris? i ¶ (Mihī flectetur.) Dominatum ipsius in omnes testatur. k ¶ (Et omnis lingua.) Propria peccata ex propria conscientia, tanquā iudici. OECUMENII: De Deo & patre dictum est, quòd ipse iudicet neminem, iudicium autem tradiderit filio. Perspicuū est itaq;, quòd de iudice id à diuo Paulo sit depromptū, nempe &, confitebitur Deo, &, rationē reddet Deo. CHRISTVS igitur Deus est, etiam si impij nolint. l ¶ (Ne igitur posthac.) Iterum primæ adheret rationi, ne timoris causa iudicij meminisse uideretur: sed enim propter sermonis consequentiā quandam. m ¶ (Ne offendiculum.) Hoc & ad syncerum fidelem, & ad iudaismū adhuc spirantem quadrat. Etenim & perfectus ille ex ciborum obseruatione proximi offēdebatur: cibos item obseruans, uehementi increpatione syncerè credentis ledebatur. Vnico igitur cōsilio utrunq; corrigit, & ad rectius iter reuocat: ut ab ijs uidelicet ambo abstineant & caueant, quæ proximo offendiculi ac scandali ansam præbere possint.

^a Noui, & persuasum habeo in Domino Iesu,

b nihil esse cōmune c per ipsum, nisi ei qui repu-
 tat quicquam esse commune, illi cōmune est.
 d Quòd si propter cibū frater tuus cōtristatur,
 e nō iam secundū charitatem ambulat. f Ne
 bo tuo illū perdas, pro quo Christus mortuus
 est. g Ne igitur malè audiat uestrum h bonum.
 i Non enim est regnum Dei cibus ac potus, sed
 k iustitia, pax, & gaudiū in spiritu sancto. l Nam
 qui in hisce seruit Christo, Deo gratus est, &
 m acceptus hominibus.

a ¶ (Noui.) Adhuc de ciborū obseruatione eiser-
 mo est. Cū igitur dixisset, Noui e per suasum ha-
 beo, nihil esse cōmune: ne obijceret qui iudaismo ad-
 huc detentus esset, Ecquid ad nos, si tu per suasum ha-
 bes, lege diuersum docēte? adijcit, In Domino IESU:
 ostendens, quòd ab ipso hęc didicerit, certusq; factus
 sit, nec à sese ipse protulerit. b ¶ (Nihil esse cōmu-
 ne.) PHOTII: Hinc rursus ad ea, quę de cibis dice-
 rat, redit: hortaturq; ualidos iuxta fidem, egrotos su-
 scipere: e indicat per ea quę dicit, bonū quidem esse
 etiam si illū, qui inter cibos discrimina facit, tentes cor-
 rigere: at melius sanè, si eius qui imbecillis est e im-
 potens, in hoc minimè cures, imò floccipendas dimi-
 nutionem atq; defectum, e quocunq; modo manudu-
 cas eum, ad hoc ut eum lucreris, serueturq; e ipse.
 c ¶ (Per ipsum.) THEODORETI: Nihil, ait, cōmu-
 ne seu immundum per ipsum. Ne enim dicerent, Tu
 quis es, qui resistis Mosi? ipsum Mosi dominum in
 medium

mediū adfert, docens, quòd ipsemet legales obser-
 uationes antiquauerit, nullumq; siuerit immundum
 duci cibum. Quòd enim ait Apostolus, per te ipsum,
 accipiendum est pro eo ut dicat, per euangelicam
 ipsius sanctionem. SEVERIANI: Nihil com-
 mune est per ipsum: hoc est, nihil immundum per
 sese natura. ALITER: Per ipsum, nempe Deum.
 Per gratiam, inquit, quæ nunc data est nobis ab ip-
 so, nihil natura commune est, uerùm ex uoluntate
 utentis fit commune. Vnde & illi soli est commune,
 & non etiam omnibus. Illi enim, inquit, cõmune est.
 d ¶ Quòd si propter cibum.) Conuiciabantur
 eis fideles, obijciebantq; perinde ac Iudaicas adhuc
 amplexantibus ceremonias atque mores, & ob id
 cibos obseruantibus. Non uult igitur eos in nõ adeò
 magnis rebus maxima acrimonia percuti & morde-
 ri: ueritus sanè ne forsàn animum despondentes, in
 totum ac penitus à fide deficerent. Licet itaque,
 ait, nihil sit in cibis commune seu impurum, attamen
 à nimia compescito fratris tui accusatione, & incre-
 patione: dispensatiuè dispensans, ob eam quam dixi-
 mus causam. e ¶ Non iam.) Expende obsecro
 sapientiam huius sancti. Perfectum certum faciens,
 quòd nihil commune, seu impurum sit, eandemq; ad-
 rationem notans egrotantem ex ipsa ciborum ob-
 seruatione, Non iam, inquit, secundum charitatem
 ambulat. Vult enim inter nos uigere charitatem, cer-
 tus omnia per ipsam quadantenus rectè perfici.

f ¶(Nec cibo.) Ne, quia omnibus uesceris, cum sit
 fidelis, acriter ipsum accusans, prorsus eum tandem
 à fide eijcias: etenim & pro ipso CHRISTVS mor-
 tuus est: unde debes etiam pari ratione illi acquiesce-
 re. PHOTII: Hic consulit etiam fideles à cibis absti-
 nere, ut ijs qui in fide dum sunt exigui, cōdescendant:
 id quod & in progressu deinceps ait. g ¶(Ne igi-
 tur malè audiat.) Nam accusans eum, & semper
 cum ipso contendens ob ciborum obseruationē, nō so-
 lum ipsum contentiosorem reddis, uerum etiam oc-
 casionem das externis & infidelibus maledicendi no-
 stræ fidei ob eiusmodi contentiones. Bonum quippe,
 quasi fidē dixit. Rectè quidē ac bene doces: sed pugna
 hæc uestra, causam maledicentiæ præbet. h ¶(Bo-
 num.) OECVM. Nam bonum quidem est hoc, sanè
 propterea, quòd cum firmus in fide sis, nullā facis in-
 ter cibos differentiam: uerum litigantes, & contem-
 dentes acrius cōtra eos qui inter cibos discrimina fi-
 ciunt, efficitis ut bonum uestrum malè audiat. Redar-
 guti nanq; cōpelluntur respondere uobis, quòd neu-
 tiquam fidei causa istud agatis, sed uentri inservien-
 tes. Licet igitur nullam aliam ob causam, saltem pro-
 pter hanc oportebat uos lite abstinere. At igitur etiā
 hoc ipsum, quòd malè audiat uestrum bonum, idoneū
 est ad persuadendum uobis, ut ipsam cōtentionem ac-
 litem in concordiam & charitatē uertatis. Non enim
 est hoc, ea quæ ad fidem pertinet paruipendere, imò
 honore afficere, dum quæ in eam ingerantur maledi-
 dicta

dicta, prohibes. Par uerò est, ut etiam ex Gentibus nonnulli, cum ad eorum aures contentiones huiusmodi perueniret, cachinnarent, ac Christianorū res subsannarent, maledictisq; lacerarent. Quorū causa satius utiq; esset, pro contentione circa ea, quæ nullius sunt necessitatis seu momenti, idem sentientes: circa omnino necessaria, conuenientes concordantesq; charitate, omnem prorsus cum calumnie, tum maledicentia ansam amputare. Hæc, inquam, sunt quæ ad regna coelorum perducūt, nempe, pax in fide, in sancto spiritu gaudium, atq; iustitia. i ¶ Non enim est.) Compescere eos uult ab accusationibus. Non enim per cibum, inquit, ac potum ingredi possumus regnum Dei. Aliter, PHOTII: Cum dicat, Non enim est regnum Dei cibus ac potus, contentionē ipsorum, qua circa cibos permouebantur, insinuat fuisse perualidam, & quæ omnem mensuram excederet: clam inuens, quòd si regnum Dei cibus esset ac potus, nihil plus concertassetis: simulq; nō absq; increpatione: quoniam si pro huiusmodi sic facitis, quid non pro iustitia, pace, & gaudio spiritali agere oportet? k ¶ Iustitia.) Quæ igitur sunt quæ in regnum introducunt? Iustitia, hoc est, uita uirtutibus conspicua, pax erga fratrem, ex unanimitate gaudiū. Cum uerò pax, & gaudiū, & lætitia turpibus quoq; habeantur in rebus, apponit, in spiritu sancto: perinde quasi dicat, Hanc dico pacem & lætitiā, quæ in spiritu sancto facta sit, hoc est, quæ per spiritū san-

ctum docetur. l ¶ (Nam qui.) Hæc ita peragere
 ueluti debitor, ueluti obnoxius debito, cum timore et
 tremore, tanquam fidelis seruus Dei probatur. Qui
 uerò inflatur in ijs, ne seruit quidem Deo, neq; ac-
 ceptus est illi. Est autem quando ex uana gloria quis-
 piam inseruiat Deo, non uel ex metu, uel dilectione
 Dei. propterea appendit: Qui enim in huiusmodi
 CHRISTO inseruit, hoc est, in iustitia, gaudio, et
 pace spiritali. m ¶ (Et acceptus hominibus.)
 Non solum, inquit, hoc, uerum etiam homines demira-
 buntur, uidentes paci studere te, gaudium item et ius-
 titiam complecti, longè magis, quàm si te uiderint
 indifferenter edere suillam.

^a Igitur quæ pacis sunt sectemur, & quæ ad
 mutuam inter nos ædificationem pertinent.
^b Ne cibi causa destrue^c opus Dei. ^d Omnia
 quidem munda sunt: sed malum est homini,
^e si per offendiculum uescatur. ^f Bonum est nõ
 uesci carnibus, neque bibere uinum, & neque
 in quo frater tuus impingit, aut offenditur,
 aut imbecillis redditur. ^h Tu fidem habes: a-
 pud te ipsum habe. ⁱ Beatus qui non iudi-
 cat seipsum in eo quod probat. ^k Qui enim di-
 iudicat, si ederit, condemnatus est, quoniam
 non ex fide. Quicquid autem non est ex fide,
 peccatum est.

^a ¶ (Igitur quæ pacis sunt.) Quia hæc iam sunt
 in confesso, inquit, et pax iam demonstrata est esse bo-
 na, hanc itaq; complectamur, per quam erit bonorũ
 omnium

omnium ædificatio. *b* ¶ Ne cibi causa.) Non solum, inquit, non ædificas, accusans semper escæ nomine imbecilles, uerumetiam quam fidem habent, dissipas, contentiosiores ita eos efficiens, ut tandem planè à fide deficiant exacerbati. *c* ¶ Opus Dei.)

OE CVM ENI I: Deus, inquit, per crucem extruxit, tu uerò ædificationem extructionemq; eius diruis propter cibos. Opus autem Dei, salutem hominum uocat. *d* ¶ Omnia quidem.) Ut ne multa in fide ualentium increpatione, confirmet infirmos in obseruatione ciborum, ad ipsum deinceps pergit: Omnia, inquit, profectò munda sunt: at malum est, si cum mala conscientia comedas. *e* ¶ Si per offendiculum.) Nam etiamsi coactus edas, nihil proficis: cum dijudicatione enim & condemnatione edisti. Neque enim manducare te purum efficit, sed mens, & sententia, qua cum manducas.

f ¶ Bonum est non uesci.) Hic nedum fidelem adhortatur non grauitè impetere imbecillum in fide, uerumetiam illi condescendere, neque carnes edere, neque uinum bibere, & si quid aliud opus sit deuitare ob fratris sui salutem. Maximam enim habet condescensionis occasionem infirmitas ipsa.

g ¶ Neq; in quo frater.) Obserua quo pacto in sermone ad fidelem pertinente, eos qui in fide sunt imbecilles notat. Impingere enim dixit, quod est cecorum proprium. Deinde, offenditur, inquit, quod est eorum, qui facîle offenduntur. Postremò,

infirmus est, quod est in fide exiguorū. h. ¶ Tu
dem habes.) Fidem hoc in loco de propositis dicit
hoc est, de cibis: tanquam fides doctrinæ debeat esse
 Marc. 8. omnibus manifesta. Omnis enim, ait, qui me confessus
 Luc. 12 fuerit coram hominibus, & quæ sequuntur. Hic autē
 & uana gloria permoueri in fide firmū innuit. Per-
 fectus es, inquit, & consummatus? quid ob uirtutem
 superbia turges? Deus te, animumq; tuum nouerit.
 i. ¶ Beatus qui non iudicat.) Hoc est, in care,
 quam probaueris, hac uel illa ratione: ceu uesca hoc,
 uel non uesci. Quā autem fiat hoc? Ex pura conscien-
 tia. Quia dixerat, Apud temetipsum fidem habe, in-
 tulit: Tametsi de te cōquerantur omnes quippiā per
 dispensationem agente, uel ob salutem fratris, tua ue-
 rò te minimè accuset cōscientia, beatus es. Ex hoc iam
 in fide languentem ferit. Nam si ex conscientia coro-
 na & beatitudo fidelibus prouenit, manifestum est
 quòd inde etiam condemnatio. Ne igitur per dijudi-
 cationem ede, propter necessitatē, inquit. PHOTII:
 Obiectionē diluit. Quid igitur, inquit, num propter
 infirmum non uescar? an non illi componor? an nō ei
 fio similis? Ad hoc serè respondet, Absit: fides enim
 tua coram Deo pura est, & incorrupta manet. Item,
 quid dico, quòd nihil ex hoc incommodi perferas,
 quodq; fides tua coram Deo perseuerat: imò & bea-
 titudinem tibi concilias, si ob fratris utilitatem & sa-
 lutem non comedas. Beatus, inquit, ille est, qui nō cō-
 demnat semetipsum in eo quod probat: hoc est, qui
 habet

habet conscientiam testimonium sibi ipsi perhibentē, non in eo solum quod ob salutem fratris à cibis abstinet, uerum simpliciter in quacunque re, quam per bonam & probatam exacte inquisitionis diligentiam cognoueris esse bonam, deinde peregeris, conscientiam habens testimonium perhibentem. Beatus, inquam, eiusmodi est, tantum abest à damnum aliquod huius rei causa perferendo. k ¶ Qui enim dii dicat.) Hoc rursus ad sanum in fide pertinet. Cur enim ipsum adigis ad edendum, si nondum sit in fide firmatus? quando quidem non ex fide, sed necessitate & uerecundia edit. Haud enim credidit id esse mundum, & tamen uescitur. Cur itaque ansam illi præbes condemnationis, cogens ipsum ut edat qui offenditur? Deinde quod sequitur, per assertionē ait, quod quicquid feceris non ex fide, peccatum sit.

^a Ei autem qui potest uos ^b confirmare iuxta ^c Euangelium meum, & ^d prædicationem Iesu Christi, ^e secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati autem nunc ^f per scripturas propheticas, secundum mandatum æterni Dei, ^g ad obedientiam fidei, ^h ad omnes Gentes patefacti, ⁱ soli sapienti Deo, ^k per Iesum Christum, ^l cui gloria in secula, Amen.

^a ¶ (Ei autem.) Hyperbaton est: Ei qui potest uos confirmare, gloria sit in secula, Amen. ^b ¶ Vos confirmare.) Deinde orat, bonaque illis optat, qui

infirmi essent. Precibus enim indigebāt potius quam
 consilio. Cū porrò dicit, Confirmare, indicat quòd
 nutabant. Modum deinde confirmationis subdit, Iux-
 ta, inquit, Euangelium meum. c. ¶ (Iuxta Evan-
 gelium.) OECUMENII: Ut ita, inquit, ui-
 uant, perinde atq; Euangelium iubet. ET ALI-
 TER: Post adhortationem & admonitionem sem-
 per precari consuevit Apostolus: quod & in hoc lo-
 co facit, pro imperfectis obsecrans, nec modò do-
 cens uerbo, uerum etiam auxilium à Deo in medium
 adferens. Consequentia porrò contextus hæc est:
 Ei, qui potest uos fulcire & confirmare per IESUM
 CHRISTUM, gloria in secula, Amen. Pronomen enim
 Ipsi, redundat. Et quia sermo ipse repetitione
 indigebat, omissum fuit, Ei qui potest
 uos imperfectos, qui dimouemini & nutatis, fulci-
 re & confirmare. Ecquomodo iuxta Euangelium
 meum? Hoc est, ut doceamini quæ doceo. Meum
 proinde Euangelium, & CHRISTI prædica-
 tio, unum sunt: haud enim mea sunt dogmata, uerum
 leges ipsius. Iuxta reuelationem mysterij.) Ma-
 ximi honoris ac precij est, quòd mysteriorum facti
 sumus ipsi participes, rei iam olim quidem præuisæ
 ac prædestinatæ, palàm uerò factæ nunc per scri-
 pturas propheticas. Quid itaque times, ô infirme,
 ne alienus à lege fias, si edas suillam? Ecce enim Scri-
 pturæ omnes hoc ipsum mysterium prædicant, quòd
 ciborum indiscretionem inducit: quin etiam iuxta
 im-

imperium & præceptum æterni Dei est. Neutiquam sanè Deo reluctari oportet, sed credere, & obtemperare. Obedientia enim fides opus habet, non curiosa indagatio. Verùm omnes quoq; Gentes ita credunt: omnibus enim manifestũ factum est. Qua igitur ratione ipse adhuc legi seruis? Soli autè sapienti Deo dixit, ad differentiam angelorum, ac nostri, uel certè falsorum deorum: non autem uel filij, uel spiritus sancti: absit: filius enim est sapientia patris. Ei igitur gloria, qui mysterium patefecit: non legi, cui adglutinaris adhuc, qui cibos obseruatione custodis. Quòd uerò ait, per IESVM CHRISTVM, potest quidem (ut in superioribus dictum est) copulari illi, qui potest uos confirmare per IESVM CHRISTVM. Nam ipse mysterium Gentibus reuelauit, qui discipulos misit ad docendũ omnes Gentes. Sed pronomẽ, ut diximus Ipsi, redundat. d. ¶ (Et prædicationem.) PHOTII: Que porrò est prædicatio IESV? Ut cognoscãt te, inquit, & quem misisti IESVM. Qui uidit me, uidit & patrem. Ego & pater unum sumus. & quem admodũ Petrus ait, Quòd ipse est filius Dei uiui. & Quòd iudicium omne filius habet. & Profecti docete omnes gentes, baptizãtes ipsos in nomen Patris & filij & spiritus sancti. & similia. Et prædicationẽ Iesu Christi.) Quis uerò est iste IESVS CHRISTVS? Ille sanè, qui ab initio existens cum patre, nunc manifestatus est. Qua uerò ratione manifestatus

Ioan. 14.

Ioan. 10.

2. Pet. 1.

Ioan. 5.

Matth. 28.

est? *Mysterio, inquit, patefacto. In temporibus quippe æternis tacitum hoc fuit, soli patri, filio, & spiritui sancto manifestum. At nunc, mysterio patefacto, ad omnes Gentes manifestatus est CHRISTVS, quod filius Dei sit, & consubstantialis Deus. Cæterum quam ratione palam factus est: Per Prophetas, per eorum scripturas. Et unde hi locuti sunt, uel scripserint lubente & inspirante ipsis sanctissimo illo spiritu. Hunc enim æternum Deum uocat, id est, nulli obnoxium tempori. Quid igitur opus fuit scripturis prophetiis, quas per spiritum sanctum locuti sunt? Ut gentibus uniuersis CHRISTVS fieret manifestus. Qui? Obedientes fidei, per illos, qui hanc eis euangelizauerunt: quorum plurimam partem Pauli cursus & Euangelium egit. Habes itaque in hoc loco Trinitatem coniunctam. Per id enim quod ait, Sapienti Deo, Patrem: per illud autem, IESVM Christum, filium: per hoc uerò, iuxta præceptum æterni Dei prophetasse prophetas, Spiritum sanctum. Et animaduerte, sublimis, & reuera cælos penetrantis ingenij acumen perspicax diui Pauli. Ex quo enim quòd prorsus sapiens sit spiritus ipse, nullis obsistit: quòd uerò nulli sit obnoxius tempori, offendit plurimos. Hæc permutauit: & illud quidem, quòd nonnullos fortè offendisset, nisi Paulus conclamasset, apponit spiritui, æternum illum Deum uocans. Illud uerò quòd, etiam nemine attestante, facile de spiritu acciperetur, nihil ueritus, tribuit Patri, sapientem ipsum dicens.*

dicens. Haud enim uerbatur ne quis è uulgo, uel sapientiam amputaret à spiritu, uel à patre æternitatem. Id ipsum & de filio. Quòd enim ait, temporibus æternis: &, manifestati, tempore uacantem filium prædicat: circa quod cum nonnulli offensuri erant, huic medetur. Quemadmodum itaque æterno filio ac spiritu sancto dicto, patris quoq; consequentia ipsa æternitatem dat intelligere: sic sapiente dicto patre, filius etiam & spiritus sanctus merito in arcana illa & diuina sapientia intelligetur, & neque à patre auferetur æternitas, neq; spiritus sanctus sapientia, uel filius destituetur. Et quòd diuus Paulus hoc in loco de patre loquens, sapienti, copulauerit soli, sapientia (quemadmodum reuera erat) ad sanctum spiritum pertinente, nec non sensu illo, qui ipsi Paulo inde suppeditabatur (in hoc enim posuit soli, quò nulla esset quibuscunque ambiguitas, uel etiam ualde contentiosis, quòd neq; filius, neq; spiritus hac destituatur) cur hoc fecit? Ut & in quibusuis alijs diuinis intellectibus & denominationibus, si solum, coniunctum audires, non ad differentiam & distinctionem filij ac spiritus sancti uocem acciperes, uerò ad distinctionem quidem cæterorum omnium, ad unionem uerò ac consonantiam monarchicæ Trinitatis. Dum enim hic manifestè hoc intelligere supponit, eorum etiam quæ huic similia sunt atq; proxima, eandem opinionem habere iubet. Audisti sapientem patrem? etiam filium, sanctumq; spiritum unà sapien-

tem audisse te puta. Acternū dixeram filium, uel spiritum? Et patrem similiter mihi intelligito. Regem dixi patrem, potentē, ac summæ potestatis & autoritatis? Filiū etiam & spiritū sanctū pari ratione te existimare cōuenit. Solum dixi rectē, ut Trinitati unice præstantiam conseruarem, nō ut eam discindens, dignitatem auferrem. Solum quando copulauero, alia quæq; separo: illam uerò potius per dictionē, Solum, unio, à naturali suo habitu, quod sit inseparabile haud diuidens, uerū in audientiū mentes unitatem collocans. ALITER: Christus eadē prædicauit. Nequaquā igitur humanæ sunt leges, quæ per Euangeliū traduntur, sed ipsius CHRISTI. Fidem autē illis firmat cū à prædicatione tum à nomine. Dicitur enim Euangeliū, hoc est, bonū ac lætum nuncium. Qualis porrò est prædicatio CHRISTI? Nimirum ipsemet CHRISTVS. e ¶ (Secundū reuelationē.) Dediti, inquit, iuxta reuelationē mysterij. Cuiusnam mysterij? Taciti quidem & absconditi præcedentibus temporibus æternis, hoc est, multis: nostris autem hodie temporibus reuelati. Nota porrò, ipsum donū magni esse precij, nedum ex prædicante CHRISTO, & ex eo quòd dicatur Euangeliū, uerum etiam quòd nunc nobis gratis illuxerit, et si longius antè fuerit. A principio enim erat filius, at nunc cognitus est qui antehac ignorabatur. f ¶ (Per scripturas.) Quomodo autē manifestatū est? Per scripturas propheticas, ita patre fieri imperante. Hac porrò uia incredulum ad fidem

ad fidem hortatur: Quid enim metuis candidè ac syn-
 cere illi credere? Prophetæ dixerūt, Deus mandauit.
 g ¶ Ad obedientiam.) Nam fides opus habet obe-
 dientia, ne curiosius inquiratur quam obrem nūc ma-
 nifestauit sit, & cur olim omnibus seculis fuerit occul-
 tatum. h ¶ Ad omnes gentes.) Ne, inquit, me-
 tuas: non tu solus credis, uerū uniuersus terrarum
 orbis. i ¶ Soli sapienti Deo.) Ad falsorū deorū
 discrimen, non CHRISTI, aut spiritus paracleti:
 absit. k ¶ Per Iesum.) Patefacti in Gentibus per
 IESVM Christum, ut qui & ipse etiā prædicauerit.
 Reliquū est per mediū hyperbaton, Soli sapienti Deo
 gloria. OECVM. Vel hunc ad modum: Ei autē qui
 potest uos cōfirmare & fulcire, soli sapienti Deo. Ful-
 cire autē quo modo? Per IESVM Christum, gloria,
 inquit, sit in secula, Amen. l ¶ Cui gloria.) PHO-
 TII: Ipsi, redundat sanè. illud, ipsi gloria, ad tria est
 audiendū: ceu, Ei qui potest uos cōfirmare soli sapien-
 ti Deo: & ueluti, iuxta præceptum æterni Dei: &
 quasi, per IESVM Christū. Trinitate nanq; per hæc
 significata, ipsi etiam Trinitati gloriam retulit.

CAPVT XV.

DEbemus^a aut nos q fortes sumus, imbecil-
 litates portare debiliū,^b nec nobis ipsi placere.
^c Quilibet em nostrū proximo placeat in bonū
 ad ædificationē.^d Erem Christus sibi ipse nō pla-
 cuit, sed^e quē admodū scriptū est: Opprobria *Psal. 68.*
 opprobantiū tibi ceciderūt sup me.^f Quęcūq;

enim olim scripta fuerunt, ad nostram doctrinam præscripta fuerunt, ut & per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. ^hDeus autem patientiæ & consolationis, ⁱdet uobis idem sapere inter uos mutuò, per Iesum Christum, ^kut unanimiter, uno ore glorificetis Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi. ^lQuapropter assumite uos mutuò, quemadmodum & Christus assumpsit nos, ^mad gloriam Dei.

a ¶ Debemus.) Ad eos qui firmi ac sani sunt in fide, sermonem transfert, docens oportere eos condescendere imbecilibus: id enim, inquit, debemus. At si deas quàm humiliter de imbecilibus loquatur. Cum enim de alijs loqueretur, ait fortes: de his autem, imbecillitates: & debiliū: & portare. b ¶ Nec nobis ipsis.) Sed proximo, per assensum & condescensionem. c ¶ Quilibet enim.) Fortis & potens es, & fidelis: experiatur ergo robur tuum infirmus, idq; per cōdescensum. Oportet enim quemlibet nostrū proximo placere. Verū cū fieri possit ut quispiam etiam in malo placeat, appendit, in bonum ad ædificationem. Hoc enim faciens, edificabis ipsum, & corriges. d ¶ Etenim Christus.) Si uoluisset, inquit, CHRISTVS quod suū erat querere, non fuisset passus: licuisset enim ei & citra iniuriam permanere: at enim sibi ipse non placuit, neque sui ipsius curam gessit, sed nostram spectauit cōmoditatem.

tatem. IOANNIS: Potuisset alienus esse à cōiicijs, & opprobrio Iudæorū, neq; pati quæ pertulit, si priuatum suum cōmodum spectasset: sed nostram quærens utilitatē, despexit suam, & iniuria est affectus, maleq; apud complures audiuit. e ¶ Sed quemadmodum.) Nihil, ait, noui contigit: sed qui ueteris Testamenti temporibus te & contumelia affecerunt & iniuria, Deus pater, illi & aduersum me filium tuum sese concitauerunt. f ¶ Quæcunque enim.) Hæc, inquit, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut imitemur. g ¶ Ut per patientiam.) Ut accepta per scripturas cōsolatione, & per scriptam isthuc patientiam confortati, maneamus in spe Dei. Patientia enim spem efficit, & spes rursus patientiā. h ¶ Deus autem patientiæ.) Ostendit, quòd cum scripturis, & doctrina, & cōsolatione, quam inde carpinus, opus etiam sit precibus, ut Dei nobis auxilium conciliemus. i ¶ Det uobis.) Dilectionem ipsis precatur. Et quia in malo etiam dilectio esse potest, hanc ab ea secernens, addit, secundum IESVM CHRISTVM. k ¶ Ut unanimiter.) Ecquæ cōmoditas est, si charitatē habeamus, idemq; inter nos mutuò sentiamus? Hoc sanè ea causa fit, ut omnes concordēs unanimesq; Deum glorificentis. l ¶ Quapropter.) Cùm hæc ita sese habeant, inquit, assume uos mutuò alter alterum, hoc est, reconciliemini inter uos. Ac rursum in exemplum CHRISTVM in medium profert. Hoc autem facientes, Deum per

dilectionē glorificabitis. *m* ¶ Ad gloriam Dei, Hyperbaton est, Assumite uos mutuò ad gloriā Dei.

² Dico autē Iesum Christum ^b ministrū fuisse circuncisionis pro ueritate Dei, ^c ad confirmandas promissiones patrum. ^d Gentes autē pro misericordia glorificent Deum, sicut scriptum est: Propter hoc ^e confitebor tibi in Gentibus, & nomini tuo psallam. Et iterum dicit:

2. Reg. 22.

Psal. 117. Latamini Gentes cum populo suo. Et rursus:

Psal. 116. Laudate Dominum omnes Gentes, collaudate eum omnes populi. Ac rursus Esaias dicit:

Esa. 11. Erit radix Iesse, & qui exurget ut dominetur Gentibus, in eum Gentes sperabunt.

^a ¶ Dico autem.) In Iudaismo per seueratibus hæc uelut accusationes loquitur. CHRISTVS in hūc mundū ueniens, patri cooperatus est, quò promissiones Abraham factæ ad finē perducerētur. Cooperatus est inquā, lege uniuersa cōpleta, ac circūcisus. Id enim significat, ministrū fuisse circuncisionis, ut hac ratione legem & firmaret, & ad finem perduceret. PHOTII: Dico autē IESVM Christum, & quæ sequuntur. hoc est, Quomodo assumpsit uos CHRISTVS? Hoc modo, inquā, dico. Iudæos quidem, circūcisus, & uocatus secundū carnē ex semine eorum: quoniā & ueracem patrem ostendere nixus est, & promissiones compleri adiuuit. Vt enim ne quis dicat, Equi opus fuit Iudæos suscipere, qui iamolim amici ac familiares erant, promissiones acceperant, quæ quin complerentur & euenirent fieri non poterat,

quan-

quandoquidem ueracissimus ille sit qui eas fuerat pollicitus? Hæc, inquit, quoniam etsi assumpti fuerint Iudæi, etsi perceperint re promissiones, nisi eos accepisset filius incarnatus ac circumciscus, nusquam sanè promissionibus digni fuissent à Deo putati, dum sese mandatorum præuaricatores constituerint: nec utique immutabilitatem circa ueritatem, & effectum illum patris, quo fit ut poeniteat nunquam, ad utilitatem illis cedere decreuisset, per præuaricationem hanc effectui mancipari impredientibus. Ideo assumptis illis & circumciscus, & patris ueritati cooperatus est, & promissiones ad finem perueniri, & confirmari adiuuit. Cæterum Iudæos & hac ratione, & propter hæc assumpsit. Gentes autem quare assumpsit? Propter ineffabilem misericordiam, & ut magis glorificent Deum patrem. Nam si, quòd promissiones compleuit, & quòd nullis uisus fuerit pater mentiri, ad gloriam ipsius conducit, quòd neque pollicitus sit, neque promiserit, sed sic spontè elargitus ea sit, quæ omnem superent naturam, spemq; uniuersam, qui fiet ut non ad ineffabilem gloriam patris conducat? ALITER, eiusdem PHOTII: CHRISTVS solus legem compleuit, præceptis omnibus egregiè opere peractis. Sed Iudæus quoq; erat secundum carnem: id enim etiam per circumcisionem præ se tulit. Verum & hi qui adoptione donati sunt, ueluti cæli astra adimpleti, multiplicatique sunt, & quasi arena quæ est

iuxta maris littus. Hic itaq; & patri suo cooperatus
 est, ad hoc ut uerax deprehendatur, & ut promissio-
 nes Abrahamæ factæ compleantur, finemq; congruum
 sortiantur, cōpleto, ac operibus per acto omni manda-
 to: in Abrahamæ uerò semen cōputatus, & omni por-
 rò terrarum orbe per fideles completò. **b** ¶ Mini-
 strum.) Potest & hoc modo locus hic accipi. Mini-
 ster fuit CHRISTVS Iudæorum: hoc est, ut Iudæi in-
 tra promissiones detinerētur, utq; pater, qui eas pro-
 miserat, & ueras etiam efficeret, easq; præstaret.
c ¶ Ad confirmandas.) Quò ueracem, inquit, pa-
 trem ostenderet, qui promiserat. Lex itaq; non po-
 tuit ipsas stabilire. Quomodo igitur absurdum non
 est, CHRISTVM, qui promissiones nostras patribus
 factas firmavit, negligere: ac legem tueri, atq; tene-
 re, quæ non potuit promissiones nobis seruare?
d ¶ Gentes autem.) Iudæi etsi promissiones acci-
 perant, nihil tamen per eas adiuti fuissent, nisi eas
 CHRISTVS firmasset. Vos autē Gentes, inquit, pro
 sola clementia & humanitate debetis Deum glorifi-
 care, postquàm neq; promissiones habetis, sed miseri-
 cordia uobis est cōmunicata, quæ totum id, quicquid
 est, efficit. Quantò igitur maiori persusi misericor-
 dia estis per gratiam CHRISTI, tantò magis debito-
 res estis Deo, ad imbecilles ac paruos in fide ex Iu-
 dæis ferendos. Id enim ad gloriā Dei cedit, concordia
 uestra, paxq; uestra. Differit autem cum fidelibus qui
 ex Gentibus CHRISTO accesserant: ij enim maxime
 ciborum

ciborum discriminū obseruatores illos impetebant.

IOANNIS Chrysoſtomi: Promiſſio Abrahæ facta
 eiſmodi erat: Tibi dabo terram. & In ſemine tuo be
 nedicentur omnes Gentes. Verū poenæ facti ſunt ob
 noxiꝝ deinceps, quotquot à ſemine Abrahæ descende
 rant. Lex enim quam prætergrediebantur, iram ipsis
 operabatur, ac promiſſionē illos ita orbabat, patri
 bus facta. Proinde filius Dei in carnem ueniens, coo
 peratus eſt patri, ut promiſſiones illas præſtaret. Vni
 uerſam enim legem ab ipſo complens (in qua & cir
 cunciſio erat) atq; per crucem legis tranſgreſſores li
 berans, non permisit intercidere promiſſionē. Cū
 igitur CHRISTVM miniſtrum circunciſionis aſſe
 rit, hoc ait: Quòd ſimulatq; adueniſſet, impleſſetq; le
 gem, & circunciſus eſſet, & ſemen Abrahæ factus
 fuiſſet, diſſoluit maledictionem legis, placauitq; iram
 Dei: pronos etiam & auidos hac ratione faciens eos,
 qui promiſſionem in poſterum percepturi erant. Vt
 ne igitur dicant illi in iudicium uocati: Quomodo igi
 tur CHRISTVS circunciſus eſt, legemq; omnem ſer
 uauit, ſi in diuerſum ipſam illam conuertit, ac penè
 euertit? Reſpondet: Non ut permaneret lex, id egit:
 uerū ut eam ſolueret, atq; ab illius nos maledictio
 ne liberaret. Ne porrò ob id Gentes intumeſcerent,
 adiicit, Gentes propter miſericordiam Deum gloriſi
 care debere. Quod uerò dicit, eſt huiusmodi: Iudæi
 promiſſionē ſanè habebant, tu uerò nihil huiusmodi,
 uerū ex ſola humanitate atq; clemētia ſeruatſ es.

Gen. 15. & 23

Quantū & illis nihil profectō, quo præstarent ceteris, obtigisset ex promissione illa, nisi CHRISTUS aduenisset. Gloria autem Dei hoc totum est, nempe, coagmentatas esse Gentes Iudeis, unanimiter ab utrisq; Deum prædicari, fortiores quoq; infirmos portare. e ¶ Confitebor tibi.) Testimoniū Scripturæ producit, ostendens, necessariō coagmentandos Iudeos Gentibus. ALITER: Quōd uerō ait, Confitebor tibi in Gentibus Domine: ex persona CHRISTI dictū est, pro, Prædicabo te o pater in Gentib. f ¶ Et qui exurget.) Copula, Et, redundat, ut ita sit: Erit radix Iesse. Qualis uerō hæc? Ille sanè qui exurrecturus est ut dominetur in Gentes: hoc est, CHRISTVS.

^a Deus autē ^b spei impleat uos omni gaudio & pace, ^c in credendo, ad hoc, ut exuberetis in spe, in potentia spiritus sancti. ^d Persuasum em̄ habeo fratres mei & ipse ego de uobis, ^e quōd & ipsi pleni sitis bonitate, ^f repleti omni cognitione, ^g ualentes etiam alios admonere. ^h Audacius autē scripsi uobis ⁱ fratres, ex parte, ueluti ^k cōmonefaciens uos per ^l gratiam quæ data est mihi à Deo, ad hoc ut sim minister Iesu Christi ^m ad Gentes, sanctè administrans Euangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium ⁿ acceptabilis, sanctificata ^o in spiritu sancto.

^a ¶ Deus autem.) Rursus ad preces conuertitur, dicens: Deus, inquit, liberet uos à mutua pugna, ac mœrore inde proueniente. ^b ¶ Spei.) Spei, inquit, est Deus, Deus noster, Rectè igitur uobis præ-

catit

catus fui: spero enim efficaciam habere precationem
 meam, modò ipsi uelitis. Porrò in credendo, gaudio
 et pace, quæ est iuxta cogitationes, repleti sitis, quòd
 pro uobis intercedo: atq; in spe exuberantes, hoc est,
 diuites, & affluentes, opipareq; dispositi & affecti.
 Hæc autem per gratiã & potentiã sanctissimi proue
 niant spiritus. ALITER: Precatur illis, uotaq; fun
 dit, ut omni gaudio repleantur Iudæi (ipsi enim æ
 gre ferebant reprehendi) & pace Gentes: hi nanque
 concertare uidebantur aduersus eos, qui legi adhuc
 inherebant: imò potius ambobus ambo. c ¶ In cre
 dendo.) Id enim à nobis afferendum est, nempe fide
 des. Hinc iam nobis erit causa bonorum omnium, ipsa
 in Deum spes, quam cum quadam illis exuberantia
 exoptat. In hoc enim, inquit, ut exundetis: quod haud
 aliàs fiet, nisi per potentiam spiritus sancti. Qui igitur
 spiritum habet, omnia habet. d ¶ Persuasum
 enim.) Non opus, inquit, habeo ut ab alijs discã, sed
 certus sum. e ¶ Quòd & ipsi.) Bonitatẽ appel
 lat, perfectã uirtutẽ. Quòd uerò adijcit, pleni, inten
 tionis est uerbum. f ¶ Repleti.) Quia enim quòd
 aliquis fraterno flagrat amore, si non possit cõmodè,
 & ad id quod deceat, eo uti? Idcirco appendit, om
 ni cognitione. g ¶ Valentes etiam.) Non so
 lum, inquit, non opus habetis admonitione, uerum a
 lios etiam ipsi instruitis. h ¶ Audacius autẽ scri
 pti.) Audacius ex parte, pro modo quodam. Licet
 quispiam totam animi mei sententiam nõ uideat, sed

ipsas literas saltem curiose rimetur, quæ mentem
 dicant. Si quis igitur ex parte cõsideret, uidebor pro-
 fectò illi durius uobis locutus, mordaciusq; inuecti-
 per literas: at ego uti cõmonefaciẽs scripsi, rursumq;
 necessitate actus fui ad scribendum, quoniam gratia
 mihi à Deo collata est, ad hoc, ut Gentibus prædicem,
 easq; doceam. Minister enim sum CHRISTI, hoc
 est, seruus ac famulus. Ecquid operaris? Sacre, inquit,
 sancteq; ministro Euangelium eius: id est, hanc ei ho-
 stiam sacrifico, nempe Euangelium eius. Et quid est
 sacrificare, sancteq; offerre Euangelium? Est hoc sa-
 nè, si ei offeram Gentes credentes per id, et fiant ipse
 acceptæ & sanctificatæ per spiritum sanctum. Itaq;
 quisquis ad fidem adducit, is ueluti sacerdos in sacris
 Euangelium administrat. Vel certè, sanctè admini-
 strans, simplicius est intelligendum: hoc est, sacratè o-
 perans & studiose, non autem gregariè ac negligem-
 ter. Vel igitur ad illum, quem diximus, modum, uel
 certè ad hunc accipiendum est. Audacius scripsi ex
 parte uobis, & ueluti qui, ut cõmonefaciam, scripse-
 rim. Incumbens quippe mihi necessitas, & acrius &
 uehementius, & diligentius scribere postulat. Ego ue-
 rò ausus sum etiam diligentiam præterire, & nõ tan-
 quam magister scribere, sed multa cum remissione, et
 quasi cõmonefaciens, etiam cum id deberem & accu-
 ratius & uehemētius facere: ad hoc enim à gratia ele-
 ctus antea fui, & in hoc ministrare & seruire iussus.
 Perinde ac quispiã diceret: Forsan in ijs, quæ scripsi,
 mordacius

mordacius uos pupugi, uisusq; sum nonnullis ex uo-
 bis acerbius uos aggredi: at ego eatenus absum ab id
 faciendo, quòd etiam uerear ne fortè, si ita multa cum
 parcitate & submissione scripsero, etiam ipse quoq;
 poenas luam, ueluti qui ausus fuerim opus & offi-
 cium magistri deterius agere. Enim uero maiora scri-
 bere atq; plura, ueluti cui doctrina concredita sit, de-
 beo: uerum in presenti tanquã parcus, & audaciam
 quandam admittens, sic remissius scripsi. ALITER:
 In dignitate erant Romani, & multũ habebant tumo-
 rem: eapropter me detur eis ex uerbo illo, audax fui.
 Mirũ enim illos per hoc uerbũ distorquet, & fran-
 git. Sed neq; illo cõtentus est, uerũ addidit, ex par-
 te, hoc est, paululum, ac breui, & non quasi docens,
 sed quasi ad memoriam reuocans. i ¶ Fratres.)
 Oportebat enim eos qui duriter tractati essent &
 obiurgati, mitigare, lenitateq; quadam excipere.
 k ¶ Commonefaciens.) Aliquantulum, inquit.
 Quomodo? Quasi ad memoriam reuocans, hoc est,
 paululum cõminiscens. Talis enim dictionũ signifi-
 catio castigat, quòd omnino non recordabantur. Vnde
 non ait, docens, sed, cõmonefaciens, seu, ad memoriã
 reuocans. l ¶ Per gratiam.) Non meus est labor,
 inquit, sed gratia Dei. Ostendit autem, quòd neq; re-
 cordari eos ausus fuisset, nisi Gentes ei fuissent cõcre-
 dite. Pleraq; autem mitigat. m ¶ Ad Gentes.)
 Proinde & a uobis nõ iniuria sanè audiar. n ¶ Ac-
 ceptabilis.) Cũ itaq; mihi ministerium hoc, & sã

crum officiū adeoq; opus cōcreditum sit, do operam ut sedulo persequar uoluntatem Dei: quæ est, ut oblatio uestra grata beneq; accepta reddatur. Atque ALITER: Non ut ego glorificer, eapropter etiā uobis scripsi: uerū ut uos quoq; cum cæteris Gentibus seruemini, sicq; fiat oblatio Gentium integrè ac maxime acceptabilis. ¶ In spiritu sancto.) Quo modo autem eritis acceptabiles & sanctificati? Si habetis, inquit, spiritū. Quī uerò hoc fit? Per uitam inculpata. Quare qui non rectè uiuunt, spiritum sanctum ab sese abigunt.

¶ Habeo igitur gloriationem in Christo Iesu, in ijs quæ ad Deum pertinent. ^b Non enim ausim loqui quicquid eorū quæ non effecit Christus per me, ad obedientiam Gentium, uerbo & opere, in potentia signorum & prodigiorū, ^d in uirtute spiritus Dei, ita ^e ut ab Hierusalem finitimisq; circumiacentibus locis, ad Illyricū usq; impleuerim Euangelium Christi: ita porro auidè id prædicarim, s̄ nō tamen ubi nominatus erat Christus, ut ^h ne super alienum fundamentum ædificarem, sed ⁱ quemadmodum scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, uidebunt: & qui nō audierunt, intelligent.

¶ Habeo igitur.) Glorior igitur non in me ipso, neq; in studio & diligentia mea: sed in CHRISTO, & in rebus ad cœlestem patrem redeuntibus, ac pertinentibus. Fides proinde in CHRISTVM, patri etiam preciosa est, & ad patrē spectat. Cum enim
prius

prius modestia usus esset, dicendo, audacius autem
 scripsi, nunc sese tollit, tamen in CHRISTO. Aliter,
 PHOTII: Quid igitur? tibi concredita est oblatio
 Gentium? Sanè, inquit: & gloriari possum, in ijs que
 inter eas egi. Mea porro gloriatio in me non est: hoc
 est, non in meo robore uiribusue constat, sed in Chri-
 sto IESU. Etenim si quid uel dixero, uel fuero glo-
 riatus, nihil aliud dicere ausim, præterquam ea que
 CHRISTVS ipse in me operatus est, ad hoc, ut Gen-
 tes & obedientiam & fidem admittant. Quid ergo
 peregit? Verbum ad prædicandū dedit: signa & pro-
 digia ad efficaciam exercendam, & ad persuadendū
 suppeditauit. Deniq; adeò auxit, dilatauit, firma-
 uitq; fidem, que per me prædicabatur, quòd ab Hie-
 rusalem, ex qua primū germen protulit, & circum-
 circa, ad Illyricum usq; radicarit, pullularit, comple-
 taq; fuerit prædicatio per tantum illum orbem. Re-
 cte igitur & uobis scripsi, & cōmonefeci de ijs, que
 in illis bene acta sunt: que supponunt, ut etiam erga
 uos audax sim, & ut uos admoneam cum spiritu, po-
 testatem mihi ac facultatem pollicentur. **b** ¶ Non
 enim ausim.) Quia dixit, habeo gloriationem,
 addit: Non sunt hæc, inquit, inanis uerborum fastus
 que dixi. Nihil enim audeo dicere, præter ea que mi-
 hi sunt à CHRISTO tradita, & ad Gentium sacrum
 ministerium, & ut mihi Gentes obtemperent. Quin-
 etiam signorū operationem, prodigiorumq; demon-
 strationes mihi sunt traditæ. Seipsum hic rursum at-

tollit, cum nimium sese supra demississet, dicens, audi-
 cius scripsi uobis, ut ne ueluti à uili quopiam pro-
 fecta oratio contemneretur. c ¶ Quæ non effe-
 cit.) Nihil suum fuisse, sed totum CHRISTI, osten-
 dit. d ¶ In uirtute spiritus.) Spiritus sancti di-
 gnitatē asserit, quòd hæc, inquit, egerim, nempe, pro-
 digia & signa in uirtute ipsius. e ¶ Ita ut ab Hie-
 rusalem.) Cæterū eorū quæ dicta sunt demonstra-
 tio, discipulorum est numerositas. Idcirco ait, finiti-
 misq; circumiacentibus locis, ut ne rectum iter
 intelligas, sed omnia quæ Hierosolymis circumiacēt.
 Non dixit, Prædicauerim, sed quod maius est, imple-
 uerim. Illyricus porrò est extrema pars regionis ac
 prouinciæ illius, quam nunc dicimus Bulgariam.
 f ¶ Ita porrò auidè.) Erat mihi auiditas, hoc est,
 honorificum profectò ac gloriosum, inquit, annun-
 ciare Euangelium, ubi nòdum nominatus esset Chri-
 stus. Ecquid ita? Ne super alienum, inquit, fundamen-
 tum ædificarem. g ¶ Non tamen ubi.) SEVE-
 RIANI: Non ueluti aliorū Apostolorū societatem,
 cõmunionemq; execraret, sed ueluti avarum & ini-
 quum iudicans, alienorū operum gloriam mihi arri-
 pere ac uendicare. h ¶ Vt ne super alienum.)
 Alienum fundamentū, id est, aliorum prædicatorum
 præconumq; doctrinam. Alienū inquam, nò quòd di-
 uersa doceant, uerū mercedis, laborisue nomine.
 i ¶ Sed quemadmodum.) Ostendit quòd dum
 hæc fecerit, prophetiam pariter adimplerit.

Qua-

^a Quapropter & præpeditus fui ^b sæpe, ne uenirem ad uos. Nunc autem ^c cum non amplius locum habeam in regionibus his, ^d desiderium autem habeam ueniendi ad uos multis iam abhinc annis, ^e quando cūq; proficiscar in Hispaniã, ueniam ad uos. ^f Spero enim, me, si pertransiero, uisurum uos, & à uobis deducendum illuc, si uobis primū ^g ex parte repletus fuero. ^h Nunc autem proficiscor Hierosolyma ⁱ administrās sanctis. ^k Placuit enim Macedoniae & Achaiae ^l cōmunicationem quandam facere in ^m pauperes sanctos qui sunt in Hierusalem: placuit enim eis, ⁿ & debitores illorum sunt. ^o Si enim spiritualibus ipsorū comunicauerūt Gentes, debent & in carnalibus ministrare ipsis. Hoc igitur ubi perfecero, & ^p obsignaui illis ^q fructum hunc, reuertar per uos ^r in Hispaniam. ^s Noui autem, quòd ueniens ad uos, in plenitudine Euāgelij Christi uenturus sim.

^a ¶ Quapropter.) Eius quod principio dixerat, sæpe decreui mecum uenire ad uos, nunc rationem reddit. Ad Gentes, inquit, doctrina ac prædicatione, me hætenus impediuit. ^b ¶ Sæpe.) Hoc est, Nō semel tantū aut bis, sed sæpe numero. ^c ¶ Cū non amplius.) Vides, quòd neuitquam huius glorie cupidus, hæc scripserit: neq; perinde ac qui sp̄iã obijcere posset, quòd aduletur ipsis, cum magnatibus & potētibus? Etenim tantū hoc nō scribit: Cum opus

compleuerim, & nihil sit mihi reliquum quod factu
 rus sim, ad uos uenire in animum induxi. d ¶ De
 siderium autem.) Ne uideretur eos floccipendere,
 si scribat: Nihil habens quod agam, ad uos ueniã, in-
 fert: Desiderium autem habens multis iam abhinc an-
 nis, hoc ipsum desiderium explere satago. e ¶ Quan-
 docunq; proficiscar.) Ne rursus uideatur per adu-
 lationem dixisse, Desiderium habens iam inde à
 multis annis, corrigit quod dixerat, inquiens: Hac
 potissimum de causa uenire ad uos cupio, ut in Hispani-
 am proficiscar. f ¶ Spero enim.) Ne dicat, Pro-
 fectionis tue nos facis ociosum quiddã & superuaca-
 neum, adijcit, ut à uobis deducar, quò rursus chari-
 tatem insinuet. Verum quia neq; hoc erat operis precium,
 addit, simulac uestri satur fuero: quod parentis est
 potius, q̄ præceptoris. g ¶ Ex parte.) Hoc est, in
 parte. Nullum enim tempus, inquit, perfecte me ue-
 stra explere dilectione ualet, neq; in me facere uestri
 colloquij satietatem: uerum per amabile mihi est, si
 uel ex parte aliqua explear. h ¶ Nunc autem.)
 Cum dixisset, non porrò locum habens in his
 regionibus, ueniam ad uos: & quia moram ne-
 xurus erat, dilaturusq; aduentum, ne se illusos arbi-
 trarentur, cunctationis sue causam explicat.
 i ¶ Administrans sanctis.) Si Paulus minister
 est, rei inde magnitudinem tecum reputa. k ¶ Pla-
 cuit enim.) Nedum causam uult dicere sue moræ,
 sed eos iuxta cõmonefacere, ut perinde quicquam, ut
 alij

alij, sanctis in Hierusalem degentibus impertiantur. Eò enim respicit, cum Macedonia & Achaie suam eleemosynam mittentium mentionem facit. Placuit, hoc est, decreuerunt, ac uoluerunt. Macedones similiter & Achaici uoluerunt, decreueruntq; facere eleemosynã. l ¶ (Cõmunicationem.) Cõmunicationem ipsam eleemosynam appellat: quandoquidem ipsi pecunias, sancti autem intercessionẽ apud Deum contribuunt. m ¶ (In pauperes sanctos.) Duplex est impertitionis necessitas: propter paupertatẽ, & uirtutẽ. n ¶ (Et debitores sunt.) Eccur isthuc facere uoluerūt? Nouerūt, inquit, se hoc illis debere. Non igitur ut eleemosynã, uerũ ut debitũ mittūt. o ¶ (Si enim spiritualib.) Deinceps quomodo ipsorũ debitores sint recenset: Propter ipsos, inquit, potissimũ uenit CHRISTVS. Loquitur enim diuus Paulus de ijs, qui ex circuncisione crediderant: illorũ etiã bona tantũ erant, & promissiones. Quem admodum igitur spiritualibus ipsorũ cõmunicarunt Gentes, sic opere precii est eos in carnalibus ministrare illis. Non dicit autem adhuc cõmunicare, sed ministrare: in ordine ministrorum eos collocans, qui uectigal sanctis uti regibus pendant. p ¶ (Et obsigna uero.) Ceu in suffugij loco, ac tuto repositurus. In coelis enim repositurus erat, inquit, & sigillo muniturus. q ¶ (Fructum hunc.) Fructũ appellat ipsam eleemosynam: innuens cum, qui quicquam impertiat pauperibus, lucrum facere. r ¶ (In Hispaniam.)

Rursum Hispaniarum meminit, amorem suum erga
 Hispanos ingentem detegens. s ¶(Noui autem.)
 Hoc est: Noui quòd ueniens ad uos, ornatos uos bo-
 nis inueniam. Nam quòd ait, in plenitudine bene-
 dictionis Euangelij uenturus sim, eos intra om-
 nia bona esse constitutos significat. OECUMENII:
 Vel sic intellige hunc locum. Noui quòd ueniens, eò
 uenturus sum, ut uos Euangelij benedictione implea-
 hoc est, ut uos ad fidem & uirtutem inungam.

Obsecro autem uos fratres, ^a per Dominū
 nostrum Iesum Christum, & per dilectionē spi-
 ritus, ut ^b simul certetis mecum in orationibus
 pro me ad Deum, ^c ut liberer ab ^d infidelibus
 in Iudæa, utq; ministerium meum erga Hieru-
 salem, ^e gratū fiat sanctis, ut ^f in lætitia ^g ueniā
 ad uos per uoluntatem Dei, ac ^h simul quiescā
 apud uos. ⁱ Deus autē pacis sit cum omnibus
 uobis, Amen.

^a ¶(Per Dominum.) Perinde ac ipse non satis
 idoneus esset ad persuadendum, Per CHRISTVM,
 inquit, uos & spiritum sanctum obsecro & exhor-
 tor. Obserua autem, quòd hic filij & spiritus memi-
 nit, nōdum etiam patris: ut quando patris ac filij tan-
 tummodo mentionem facit, non perturberis, quam-
 obrem non etiam spiritus meminerit: haud enim co-
 dem semper modo sanctam Trinitatem ponit.

^b ¶(Ut simul certetis.) Maxima est humilitas,
 quòd dicat se diuus Paulus illorum etiam precationi-
 bus

bus ad Deum egere. c ¶ (Vt liberer.) Non dixit,
 Vt confligam cum illis, uel, ut uincam eos: sed, ut li-
 berer: diuinam legem complens, quæ ait: Orate ne in- Matth. 26.
 tretis in tentationem. d ¶ (Infidelibus.) Indicat,
 sceleratos quosdam lupos, potius quàm homines, in-
 surrecturos aduersum sese. e ¶ (Gratum fiat.) Et
 ut hostia & sacrificium meum acceptabile fiat apud
 Deum, utq; ipsi cum alacritate & gratiarũ actione
 recipiant, quæ illis offeram. f ¶ (Vt in lætitia.) Si-
 mulatq; enim liberatus, inquit, fuero ab incredulis,
 & ministerium meum gratum fuerit, in lætitia, neq;
 cum mœrore ueniã. g ¶ (Veniã ad uos.) Quod
 principio dixerat, id nunc quoq; cõmemorat. Dixe-
 rat enim iam olim, Si qua ratione prosperum iter na-
 ctus fuero ueniẽdi ad uos. h ¶ (Ac simul quiescã.)
 Viden' ipsum omni fastu carere? Non enim dixit, Vt
 doceam uos, aut instruam: sed, simul cõquiescam, seu
 refociller: hoc est, Vos apud me per doctrinam, & e-
 go apud uos per fidei cõmunicationem & augmen-
 tum: quippe quod & initiò dixerat. Hoc autem est,
 ut simul cõsolationem accipiã in uobis, per mutuam
 fidem. i ¶ (Deus autẽ pacis.) Is ubiq; Apostolo
 mos est, quòd post adhortationem preces adijciat.

CAPVT XVI.

Commendo^a autem uobis Phœben sororem
 nostram, ministram ecclesiæ quæ est apud Cen-
 chras, ut ipsam suscipiatis^b in Domino, ita ut
 decet sanctos, & adfitis ei in quacunque re uo-

bis egerit. ^d Nam & ipsa cum multis adfuit
^e tum mihi ipsi. Salutate Priscam & Aquilam
^f adiutores meos in Christo Iesu, qui pro ani-
 ma mea suam ipsorum cervicem supposuerunt,
 quibus non ego solus gratias ago, & uerum-
 etiam omnes ecclesiae Gentium. Et ^h quae in do-
 mo eorum est ecclesia. Salutate Epānetum
ⁱ dilectum meum, qui est primitiae Achaiae in
 Christum. Salutate Mariam, quae ^k multum la-
 borauit ^l erga nos. Salutate Andronicū & Iu-
 niam, cognatos ^m & concaptiuos meos, qui
 sunt ⁿ insignes inter Apostolos, qui ^o & ante
 me fuerunt in Christo. Salutate Ampliam ^p di-
 lectum meum in Domino. Salutate Vrbanum
^q adiutorem nostrum in Christo, & Stachyn
 dilectum meum. Salutate Apellem ^r proba-
 tum in Christo.

a ¶ (Cōmendo autem uobis.) Vide per quot
 eam honestet. Quia haec erat quae epistolam perferre-
 bat, commendat eam ipsis: honorat inquam, & quod
 eius primum meminert, & quod sororem eam ap-
 pellet. Ecquid huic comparari potest, esse inquam
 Pauli sororem? b ¶ (In Domino.) Vel propter
 Dominum, aut secundum Dominum: & digne san-
 ctis, quemadmodum, inquit, decet sanctos accipere.
 Duplicem autem dedit eis curandi occasionem, tum
 quod propter Dominum suscipienda sit, tum quia
 sancti. c ¶ (Et adfuit ei.) Animaduertis hic Apo-
 stoli modestiam, qua nemini grauis sit. Non dixit. Li-
 berate

berate ipsam ab ijs, quæ ei imminent, eamue circumstant: sed, adfuis, assistatis: hoc est, quantum in uobis est conferte, & manum ei porrigite. d ¶ Nam & ipsa.) Ingens laus, & quæ per se sola satis sit, ut eam comendaret. e ¶ Tum mihi ipsi.) Maximū postremo loco encomiū posuit. Felix reuera est, ut quæ potuerit & prestò esse, & illam refocillare animā Pauli sanctā. Mihi ipsi, hoc est, Apostolo, præconi uerbi, doctori terrarū orbis. f ¶ Adiutores meos.) Adiutores, inquit, fuerunt in doctrina, in tentationibus, in periculis. Ingēs porrò hæc laus est. Nōnulli uerò adiutores hos, seu cooperatores, tanquā & ipsos eiusdem cum diuo Paulo artis existentes, confectores inquam tabernaculorum, tentoriorumq; intellexerūt. g ¶ Veruntamen omnes.) Vel propter doctrinam, uel propter pecuniarū collationē. h ¶ Et quæ in domo eorū.) Adeò uerò probatæ uitæ fuerunt Prisca & Aquila, quòd et domū suā Ecclesiā fecerint, uel quòd cum tota domo sua fideles fuerint: sic domū reliquam, Ecclesiā uocat. i ¶ Dilectum meum.) Magnū est, Pauli esse dilectum, qui iudicio, & non ad gratiā, amare nouit. Primitias autē ipsum uocat, siue quòd primus credidit, siue quòd maiore quàm omnes pietatem ostenderit. Atq; ne existimes ipsum in rebus carnalibus duntaxat fuisse primitias, addit, In Christum. k ¶ Quæ multum laborauit.) Ostendit, quòd cū doctrina, alia etiā erga ipsos fecerit. l ¶ Erga nos.) Nedum, inquit, erga seipsam laborauit, ut

seruaretur: uerum erga nos etiam, Apostoli ordinem implens & Euangelistæ. Quomodo igitur dixit, Mulieri autem docere non permitto? Prohibuit mulierne in publico, & in cõmuni conuentu primatum sibi uendicaret, nèue concionandi cathedram occuparet: sed à doctrina uerbi non remouit. *m* ¶ Et concaptiuos.) Maior sanè laus est, Concaptiuos meos: siquidem duriora patiebantur in carcere intrusis, dum persecutionibus, iniurijs, & cõtumelijs obnoxij erant. *n* ¶ Qui sunt insignes.) Magnum quidem est & esse Apostolos: sed quòd inter ipsos sint celebres & insignes, est omniũ maximum. *o* ¶ Qui & antea me.) Expende sanctam animam. Non ueretur dicere, nec erubescit, Quòd ante me crediderunt illi in Christum. *p* ¶ Dilectum meum.) Ingens laus. *q* ¶ Adiutorem nostrum.) Sed maius est hoc, quòd in doctrina fuerit coadiutor. *r* ¶ Probatũ.) Hoc est, irreprehensibilem.

Salutate eos ^a qui sunt ex Aristobuli domo. Salute Herodianum, dilectum cognatũ meũ. Salute eos qui sunt è Narcissi familia, ^b qui sunt in Domino. Salute Tryphãnam & Tryphosam, ^c quæ multũ in Domino laborauerunt. Salute ^d Perfidem dilectã, quæ multũ laborauit in Domino. Salute ^e Rufum, electum in Domino, & matrem ipsius & meã. Salute Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, ^f & qui cum ipsis sunt fratres.

tres. Salutate^g Philologum & Iuliam, Nereum
& sororem eius, & Olympam, &^h qui cum ip-
sis sunt sanctos omnes. Salutateⁱ uos mutuò in
osculo sancto. Salutant^l uos Ecclesiæ Christi.

a ¶ Qui sunt ex Aristobuli.) Fortasse nõ fue-
runt eiusmodi, quales priores: ideo nec nominatim
eorũ meminit. b ¶ Qui sunt in Domino.) Ae-
qualis omnibus laus, quòd in domino fuerint, id est, fi-
deles. c ¶ Quæ multũ.) Suprà de Maria di-
xit, quæ multũ laborauerat: hæc autem adhuc
laborare dicit: quæ res maiorem illis laudem parit.

d ¶ Perfidem dilectã.) Hæc maior est quàm Try-
phena & Tryphosa: quoniã cum dilectã est, tum &
ipsa multũ in Domino laborauit. e ¶ Rufum.)
Duplex hoc bonum est: & quòd filius sit inculpatus,
& quòd mater uirtutibus sit adornata: id enim signi-
ficat quod ait, & meam. f ¶ Et qui cum ipsis.)
Magnum & isti habent, quòd Pauli fratres sint.

g ¶ Philologum.) Philologum, quem dicunt pri-
mum ab Andrea episcopũ Sinopes factum. h ¶ Et
qui cum ipsis.) Quòd si sancti, nõ paruũ profectò
illis encomiũ est. i ¶ Salutate uos mutuò.) Nunc
omnes promiscuè ponit, ne quispiam tristitia afficia-
tur, cuius nomẽ expressum nõ fuerit. k ¶ In oscu-
lo sancto.) Est enim & nõ sanctũ osculũ. l ¶ Salu-
tant uos.) Non iam hunc uel illum, sed iunctim om-
nes est complexus, uos, inquit.

^a Adhortor autem uos fratres, ut ^b confide-

retis eos, qui dissensiones & offendicula contra doctrinā, quam uos didicistis, faciūt, ac declinetis ab ipsis. Nam qui eiusmodi sunt, Domino Iesu Christo nō seruiūt, sed^d suo uentri, & per^e blandiloquentiam & assentationē decipiunt^f corda simplicium. & Nam uestra obediētia ad omnes peruasit. Gaudeo igitur^h propter uos. Volo autē uosⁱ sapientes quidē esse ad bonū, simplices autē ad malum. ^kDeus autem pacis^l conteret^m satanam celeriter subter pedibus uestris. ⁿGratia Domini nostri Iesu Christi sit uobiscum. Salutāt uos Timotheus, ^ocooperarius meus: & Lucius, & Iason, & Sosipater, ^pcognati mei. Saluto uos ego Tertius, ^qqui scripsi epistolam hanc in Domino. Salutat uos Caius ^rhospes meus totiusq; Ecclesie. Salutat uos Erastus ^sdispensator ciuitatis, & Quartus frater. ^tGratia Domini nostri Iesu Christi ^ucum omnibus uobis, Amen.

a ¶ Adhortor autem.) Noua sanè ac peregrina cōsiliij species. Nam supplicis personam gerit, fratres eos, multo nimirū honore, uocans. b ¶ Ut consideretis.) Scrutari & perdiscere hortatur. Eorum porro fallaciam detegit: nō enim palam se conspicuos præbent scelerati. At uerò maxima hæc subuersio est Ecclesie, si mutuò inter sese dissentiat. c ¶ Et offendiculū.) Post dissidia nanq; aditum inueniunt offendicula. Quid uerò sint offendicula, seu scandala, ipse interpretatur: Hæreses, inquit, præter seu cō

tra doctrinā Euangelij nostram conflare. d ¶ Sed suo uētri.) Hæreses enim omnes et offendicula hinc oriuntur, si affectibus inseruiatur & uentri. Eam ob rem dicit, quòd CHRISTO nō seruiūt, sed uentri. Vi detur autem hīc Iudæos notare. Iudæos namq; ueluti gastrimargos uniuersi accusant. e ¶ Per blandiloquentiam.) Verbo, inquit, uobis mederi uidentur: at mens eorū erga uos dolosa est. Nouū porrò hunc deceptionis modum asserit, quòd primū eos adulationibus aggrediantur. f ¶ Corda simplicium.) Non dixit, uestra: sed, simplicium. g ¶ Nam uestra obedientia.) Et quòd non uobis, sed simplicibus imponant, hinc patet, quòd obedientia uestra & fides ad omnes peruenit. Multos autem eorū fidei et obedientie testes adducit, ut ne & ipsi ad tetrā hanc doctrinam turpiter deuoluantur. h ¶ Propter uos.) Qui non estis decepti. i ¶ Sapientes quidē esse.) Clām innuit, nōnullos quoq; ex eis imposturis captos. Velim nāq; ait, sapientes quidē uos esse ac prouidos ad bonū cōplectendum: ad praua uerò, inscios mali et inexpertos. SEVERIANI: Hoc est, prudentia quidē uti, ne uobis noceatur: simplicitate uerò, ne alijs ipsi nocumentū inferatis, infidiāsue machinemi. k ¶ Deus autē pa.) Quia dissidia nō defuerāt, pacis datorē inuocat, ut offendicula tollat, & compe scat. l ¶ Cōteret.) Longē sanè maius fuit dicere, cōteret, q̄ si imperasset, dicēdo, Cōterat. m ¶ Satanā.) Necdū, inqt, offendicula scādalaq; disseminātes cōteret

uerū ipsum iuxtā imperatorē ac ducē ipsorū satanā.
 Celeriter, inquit: ex temporis breuitate consolationē
 cōstituens. n ¶ Gratia Domini.) Gratia illis Dei
 semper seruante, ad memoriā reuocat. Quod si, cum
 adhuc hostes essetis, uos seruauit, multo nūc magis. Vi
 den' quod cum operibus, etiā gratia indigemus, ad sa
 lutem assequendā? Cum enim obedientie ipsorū testi
 moniū reddidisset, tunc gratiā exoptauit, & cōpreca
 tus est. o ¶ Cooperarius meus.) Vidisti enī enco
 mium Timothei? Adiuuabat enim eum in Euangelio.
 p ¶ Cognati mei.) Cognatos dicit, qui pietatis no
 mine tales uidebantur. q ¶ Qui scripsi.) Magnae
 sibi laudi duxit, se esse scribam Pauli. r ¶ Hospes
 meus.) Hoc est, qui me hospitio recipit. Non parum
 autem laudis ei accedit, quod uniuersam ipse Eccle
 siam hospitabatur, ipsumq; Paulum: qui haud simpli
 citer apud ipsum temereq; hospitatus fuisset, nisi fu
 isset Caius tanto hospite dignus. s ¶ Dispensator
 ciuitatis.) Dignitatem eius posuit, ut noueris neq;
 diuitias, neq; dignitatem obstare cuiquam ad recte ui
 uendum, fidemq; amplectendam. t ¶ Gratia Do
 mini.) Gratiae meminit, quod CHRISTI beneficia
 ad memoriā reuocet. u ¶ Cum omnibus uo
 bis.) Sic auspiciatus fuit, sumpsitq; initium ab ora
 tione: Gratia uobis & pax à Deo patre, & Domino
 IESV CHRISTO: sicq; sermonem claudere decuit,
 in prece ac uoto, Gratia, inquit, Domini nostri I
 E
 S-V CHRISTI. Hoc enim fundamentum, hunc
 item

item terminum semper facere diuo Paulo amicum
fuit & consuetum.

Scripta fuit ad Romanos epistola è Co-
rintho, per Phœben ministrâ Ecclesiæ, quæ
erat apud Cenchreas.

F I N I S.

ARGUMENTVM IN PRIO-
rem diui Pauli Apostoli epistolam
ad Corinthios.

Hanc ab Asiæ Epheso mittit, Corinthios cõ-
monefaciens, licet eos iam & uidisset & do-
cuisset. Epistolæ autè occasio fuit, quòd in-
ter Corinthios non admodum conueniebat: senten-
tijs enim dirimebantur, erantq; inter illos schisma-
ta: quibus uigentibus, quendam qui nouerçæ con-
gressus fuerat, sustinebant. Alij autem uxores pro-
prias cœlibatus prætextu dimittere tentabãt. Non
nulli uerò in idolorum fanis comessabantur, tanq;
nullius discriminis essent suffitæ idolis carnes. Qui-
busdam ñ soli, qui linguis loquerentur, uenerationi
erant, cæteri uerò omnes contemptui. Ac demũ cir-
ca mysterium quoq; resurrectionis errabant, hanc
ipsam carnem nullo pacto dicentes resurrecturam.
Quæ omnia cum illa in Ecclesia actitarentur, deq;
ñs Apostolo per plebem scriptum fuisset: ipse singul-
latim omnibus respondet. Ac primũ quidem perhi-
bito de illis scientiæ & sapientiæq; testimonio, dissidio-
rum autores improbat: simulq; consulit, ne uerbo-
tenus tantum uirtuti inhæreant, sed opere ac pote-
state. Contra illũ deinde inuectus qui nouerça ute-

batur, hortatur ut sese litibus abstinēat: tum ad ea, de quibus per literas interrogauerāt, respondet. De cōnubio quidem docens, quod indissolubilis sit copula, ad tempusq; duntaxat precationis gratia intermittēda. Et quoniā cōtinentiā peramabāt, scribit de uirginitate, ad eam nō quidē alligās, sed alliciēs. Item de idolorū immolatit̄s, ne sciētia abutant̄, sed magis iuxta charitatē ambulēt. Cōuiuia in idolorū fanis prorsus interdicit, ne infirmiores impingant. Sed hęc de spiritualib. munerib. addit, ne inter dona discrimen faciāt, neue hoc habentē, alterū habentī præferant: nam omnia eiusdem spiritus esse asserit. Ac deinde de resurrectione docet, quod omnino caro resurgat, & quod quis corruptioni obnoxia moriatur, tamen incorruptibilis per Christi gratia suscitetur: ex hoc uel maximē resurrectionē astruens, quod ipse Christus surrexit. Postremò illos ad morum probitatem hortatus, datoq; de collecta in sanctos mandato, finem epistolæ imponit.

THEODORETI.

Indignans dæmon adeò populosam idolisq; olim deditā Corinthū, Deo per fidem adhæsisse, nōnullos ex ijs, qui illic uel diuites uel philosophi erāt, induxit ut autoritate propria dominiū circa spiritualia in populū sibi uendicarent: nimirū ut uulgus, hi quidem diuitibus, tanq̄ potentibus, adhererent: alij autē philosophis, ut qui plus quiddā supra doctrinā Apostoli docere possent. Factū itaq; est, ut inter eos sectæ exorirentur. Scripserūt autem Corinthj Paulo per Fortunatū & Stephanā & Achaicū, interrogātes nōnulla de matrimonio, deq; uirginitate: quibus ipse tam de quæsitis, quam de quibusdam alijs rescribit per eosdem, addito etiam Timotheo. Quoniam igitur diuites & philosophi arrogantia sua populum discindebant, ob id uehementius intendit arrogantia reprimendæ.

IN PRIOREM D. 323

PAULI AD CORINTHIOS

epist. Oecumenij cōmentaria, Massimo Florentino interp.

CAPVT PRIMVM.



AVLV^s ^a uocatus Apostolus Iesu ^b Christi, per ^c uoluntatē dei, & ^d Sosthenes frater, ^e Ecclesiae Dei quae est Corinthi, ^f sanctificatis in Christo Iesu, uocatis sanctis, cum ^g omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in omni loco, ipsorum & nostro. Gratia uobis & ^h pax à Deo patre nostro, & Dño Iesu Christo.

^a ¶ Vocatus.) Eo ipso quòd uocatũ se dicit, illos corrigit. Ego ipse, inquit, nequaquã mea sum autoritate Apostolus, & uos qua temeritate magistrorũ uobis munus uēdicatis? ^b ¶ Iesu Christi. Vester, inquit, magister Christus est, quam ob causam homines uobis adscitis in magistros? ^c ¶ Per uoluntatem Dei.) Haec nimirũ uolũtas dei est, ut per nos Apostolos praedicatio diuulgetur. ^d ¶ Et Sosthenes.) Modestiae gratia Sostheni se ipsum admiscet. PHOTII: Non enim putetis, quòd mihi ipsi doctrinae axioma uēdicās, uos ab inflatione circa rem hãc deturbaturus sim. Ecce enim et Sosthenẽ mihi parẽ adscisco, fratremquẽ uoco, et unã cũ ipso literas mitto, & ea quae mea sunt, cõmunia facio. Cur igitur uos offendo, atque percutio? Quoniam nã nocumentũ sanẽ uestrũ tumor est de doctrina: nã et uobis quidẽ nihil prodest, et eos quib. persuadetur,

à sana doctrina abstrahit, cōmuneq; dirimit Ecclesie corpus. e ¶ (Ecclesie Dei.) Porrò si Ecclesia Dei estis, cur uosmetipsos hominibus subiicitis? f ¶ (Sanctificatis.) Sanctificatis, ait, lauacro, & CHRIS-
 TI fide, non per uestros huiusce magistros. Et hoc ipsum sanè quòd credidistis, neuiquam uestrum est, sed à Deo uocati ad fidem fuistis. g ¶ (Cum omnibus.) Nō uobis, inquit, duntaxat qui Corinthi estis, gratia, & pax: sed unā cum omnibus qui CHRIS-
 TVM inuocant, in proprio scilicet loco quo degimus, tam nos quā illi. PHOTII: Quantū illi ab inuicem dirimebantur, tantū ipse coadglutinare illos, ijs etiam qui longè positi erant, curat. Quapropter cū gratiam illis, quæ ex Deo est, pacemq; dicturus esset, dixissetq;, uocatis sanctis, mox intulit, cū omnibus qui inuocant, & quæ sequuntur. Et uobis, inquit, & uniuersis sit à Deo & patre gratia, atque pax, ipsorum & nostro. Quoniam cū dixisset, Cum omnibus qui inuocant nomen Domini, solumq; addiderat, nostri: corrigēs quod dixerat, cōmunemq; illum uniuersorū Dominū indicans, adponit, ipsorū & nostro. Quòd si cōmunis est omnium Dominus, nec solum in loco nostro, sed ubiq;, cur ab inuicē dissidentes, cōmunemq; dissensione hac uestra dominatio-
 nem contumelijs afficientes, alijs atque alijs uosipsos cōmittitis? h ¶ (Et pax à Deo.) Cur uerò, inquit, uel erga hūc pacem, uel ab illo habetis gratiam? Ego, inquit, à Deo id uobis fieri peropto: clam uerò eorū percellit magistros.

a ¶ Gra

^a Gratias ago ^b Deo meo semper pro uobis de ^c gratia Dei, quæ data est uobis in ^d Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis ^e in illo, in omni sermone, & ^f omni scientia, ^g sicut testimoniū Christi confirmatū est in uobis: ita ^h ut nihil uobis desit in ulla gratia, expectantibus ⁱ reuelationem Domini nostri Iesu Christi: ^k qui etiam cōfirmabit uos usq; in finē sine crimine, ^l in die Domini nostri Iesu Christi.

^a ¶ Gratias ago.) Vt gratos esse nos instruat, id ipsum in qualibet epistola ponit. ^b ¶ Deo meo.) Ex nimia charitate, quod cōmune est, peculiare facit. ^c ¶ De gratia Dei.) Munerum causa turgebant. Ait itaq;: Si non ex uestris rectis operibus, sed ex CHRISTI dono munus accepistis, quid turgetis? ^d ¶ In Christo.) Per CHRISTVM. Nam per CHRISTVM donauit pater. ^e ¶ In illo.) Rursum, in illo, hoc est, per illum. Porro si per illum in qualibet re ditati estis, diuitiæq; ab illo sunt, quomodo, inquit, hominib. submittitis uosmetipsos? ^f ¶ Et omni scientia.) Est enim & sine scientia sermo, ut sunt nugæ. Est rursus scientia absque sermone, qualis sane imperitorū est, qui cū & sciant, & intelligāt, at id quod norunt profari non ualent. Cæterum uos, inquit, modo utroq; ditati estis, sermone uidelicet ac scientia. ^g ¶ Sicut testimoniū.) Sicut, hoc est, per quæ. Nam per sermonē, inquit, atq; scientiam uobis à Deo donatam, testimoniū CHRISTI, id est, predicatio in uos credita, confirmatū est: quod haud-

quaꝫ profectò uestra euenit uel industria, uel exte-
 na sapientia, sed ipsius Dei gratia. PHOTII: Vnde
 manifestū uos diuites factos & sermone & scientia:
 Ex hoc ipso uidelicet, quòd prædicatio fidei, quæ est
 in Christum, in uobis cõfirmata sit. Huius, inquam, in
 uobis cõfirmatio, sermonis atq; scientiæ uobis testimo-
 nium sit. Testimoniū CHRISTI, uoluntaria ac salu-
 taris passio est, apertaq; pro nobis exinanitio, & in-
 carnatio uerbi. Vel testimoniū CHRISTI signorum
 gratiã dicit, ac munus. Sūt nanq; ista, & fidei in Chri-
 stum, & diuinitatis ipsius, maiestatisq; testimonium.
 Erant profectò, erant, inquã, Corinthij diuites in his.
 Ex quo igitur, inquit, hæc in uobis ubere firmiterq;
 cernuntur, rectè sanè iam diximus, in omni sermone,
 in omni scientia uos diuites effectos: enim uero pars
 quædam charismatū est, tum sermo, tum scientia. Ser-
 mo quippe ad docendum prodest, scientia uerò ad co-
 gnoscendū. Illud quoq; ita ut nihil uobis desit, ad
 posteriorem expositionē magis consonū est. h. ¶ (Ita
 ut nihil uobis desit.) Queritur hic, quamobrem,
 cū illis suprã dixerit, Diuites facti estis in omni ser-
 mone, & in omni scientia: nunc rursus, Ut nihil uobis
 desit in ulla gratia: in sequentibus carnales illos dicat:
 Adhuc enim carnales estis, inquit. Quia uidelicet mul-
 tis ea, itemq; multis aptauit hæc. Fieri enim nullo mo-
 do poterat, ut in tanta Ecclesia & multitudine, uel
 omnes perfecti, uel imperfecti omnes essent, ac par-
 uuli. i. ¶ (Expectantibus reuelationem.) Ut ni-
 bil

bil uobis desit in ulla gratia, dum CHRISTI reuelationē expectatis. Patientia quidem ad CHRISTI reuelationē expectandam necessaria est. Porrò reuelationem dicit secundū aduentū: ostendens, quòd etsi in presenti oculis nō cernatur, adsit tamen. **k ¶** Qui etiā confir.) Nutabundos insinuat. Dicens autē, si ne crimine, crimini ostendit obnoxios. **l ¶** In die Domini.) A rebus illos humanis abductos, per iudicij diei mentionem factam exterret.

^aFidelis Deus, per ^bquem uocati estis in ^cso cietatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. Obsecro autem uos fratres per ^dnomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, ^e& nō sint inter uos dissidia: ^fsitis autem perfecti ^gin eodem sensu, & in eadem sententia. ^hSignificatum est enim mihi de uobis ⁱfratres mei, à familiarib. ^kCloēs, ^lcōtentiones inter uos esse. ^mDico aut illud, quod unusquisq; uestrūm dicit: Ego quidē sum Pauli, ego autē Apollos, ego uerò ⁿCephe, porrò ^oego Christi.

^a¶ Fidelis Deus.) Fidelis, hoc est, uerax. Si autē uerax, nimirum implebit quæ ipse promisit. **PHOTII:** Nemo enim ad filiū uenit, nisi pater traxerit eū: quemadmodū nec ad patrē quisquā uenit, nisi cui filius reuelauerit. Per quē uocati estis: pro, à quo uocati estis: quasi, qui uocauit uos. Et animaduertito quonam pacto diuus Paulus illud, Per quem, ad patrē ponat, & pro quo ponat: & cū ad filiū etiam id ipsum audieris applicatū, nequaquā substantiæ differentiā

intelligas, sed unitatē. **b** ¶ Per quē uocati estis.) Ne utiquā sanē per uos ipsos accessistis, inquit, sed per Dei gratiam uocati fuistis. Illud autē notato, Per quē, de patre dictum. **c** ¶ In societatem.) Papæ quid dixit. In societatem, inquit, uocati estis, ut socij simus eius & in regno, & in gloria. Quippe quod alibi dicit: Si patiemur simul, simul quoq; cum eo regnabimus. In societatem CHRISTI uocati estis, cur aliosq; uobis & præsides adsciscitis, & magistros? Ab illa admiranda etiam Seruatoris nostri societate uos ipsos separare diuellereq; contenditis? **d** ¶ Per nomen Domini.) Ego, inquit, obsecrans, idoneus qui persuadeam non sum: per CHRISTVM itaque obsecro, hoc est, ipse CHRISTVS probris affectus obsecrationem facit. **e** ¶ Et non sint inter uos dissidia.) Quod multas in partes diuisi sitis, nō idcirco multas partes fecistis perfectas: imō uerò partē illam, quæ reuera perfecta erat, nempe Ecclesiā, scidistis. **f** ¶ Sitis autem perfecti. Perfecti, cōpleti, consummati. **g** ¶ In eodem sensu.) Quoniā suprā dixerat, Ut id ipsum dicatis omnes: ne uerbote nus duntaxat uirtutem consistere oportere arbitrentur, intulit, In eodem sensu: id est, & uerbo, & opere, & sententia, & cogitatione perfecti este. **h** ¶ Significatum est.) Ne fortē negarent, testes quoq; ex familiaribus Cloës adhibet. **i** ¶ Fratres mei.) Tametsi uestrū crimen sit manifestum, attamen, inquit, fratres estis. Quod enim facio, beneuolentis

lentis est animi. *k* ¶ (Cloës.) Domus quæ dæerat, uel familia fortè sic dicta, uidelicet Cloës. At eorum nomina qui significarunt, ne contra illos cõcertarent, subicit. *l* ¶ (Contentiones.) Dum ea, quæ ab his qui significarant sibi innotuerant, explicat, contentiones dixit, ne illos in Cloës familiares cõcitaret. At cum à sua ipsius persona id quod factum fuerat edicit, disidia nuncupat, quippe quod longè dissensione peius. *m* ¶ (Dico autè.) Declarationis gratia id appositum est, illud autem dico: perinde atq; dixisset, Exẽpli gratia id sanè & facio & dico. Haud enim illi aiebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo: sed gratia exempli ita locutus est. Clam illos notat, quos ipsi laudabant, diuites inquam atq; philosophos: per idem ipsum declarans, quòd si neq; per hunc loquendi modũ, Pauli uidelicet et Apollo, emendationem admiserint, longè minus si uel sapientiũ dixisset, uel diuitũ, quos sibi assumpserat in magistros. *n* ¶ (Cephæ.) Vt Petrum primario honore afficeret, extremum illum posuit, eò quòd accusationis illorum causa hæc dicit. *o* ¶ (Ego Christi.) Non eos redarguit quòd, Ego sum CHRISTI, dicat: sed quòd non omnes idem.

^a Diuisus est Christus? Num ^b Paulus pro uobis crucifixus fuit? aut ^c in nomine Pauli baptizati fuistis? ^d Gratias ago Deo, quòd neminem uestrũ baptizauit, nisi Crispum, & Caium, ne quis diceret, quòd in meo nomine baptizauit.

rim. Baptizauī autem & Stephanæ domū. ^cPræ-
 terea nescio si quem alium baptizauerim. Non
 enim me misit Christus ad ^fbaptizandum, sed
 ad ^geuangelizandum, ^hnon in sapientia sermo-
 nis, ne ⁱinanis redderetur crux Christi. ^kVerbū
 eī crucis ijs quidē qui pereunt, stultitia est: ijs
 autē qui ^lsalui fiunt, id est, nobis, uirtus Dei est.
 a ¶ (Diuisus est Christus.) Christū, inquit, discin-
 ditis, eiusq; secatis corpus. Timoris plenū est uerbum
 hoc. VEL sic: An cum hominibus uel regnū, uel eccle-
 siam diuisit Christus? SEVERIANI: Num socios ha-
 bet in hereditate CHRISTVS, ut eos quisquā corū,
 qui salutem assequūtur, diuidat? Num socios ullos ha-
 bet, qui unā secum creauerint orbem? CHRISTVS
 reuera est qui pro mundo subijt mortē, ex uobis au-
 tem nemo. THEODORETI: Diuisus est Christus?
 hoc est, per partes, ut hi quidem CHRISTVM sorte
 nacti sint, ceteri uerò alios, illi quidē Cepham, isti au-
 tem Apollo, qui primus dicitur fuisse Corinthiorū e-
 piscopus. b ¶ (Num Paulus pro uobis.) E medio
 deinde absurditatem tollit, sibiq; totū uendicat. Et ne
 inuidia aliorū nominū meminisse uideretur, non ait,
 Num Paulus fecit, ac plasmauit uos? sed quod magis
 ac magis ipsius præ se ferret humanitatē, crucem ad-
 duxit in medium, & peccatorū expiationē baptisma,
 per que coelorum regnū adepti sumus. Porro ab ipsis
 ferē primordijs Epistolæ, singulo quoque ferē uersu
 CHRISTI nominis meminit, ut salutiferæ huius ap-
 pellationis

pellationis inculcatione, superciliū arrogantieq; putredinem disputando purgaret. c ¶ In nomine Pauli.) Baptizauimus sanè, uerū in CHRISTI nomen. d ¶ Gratias ago Deo.) Quid gratias agis ô Paule, quòd neminè præter eos, quos dixeras, baptizaste num parui pendis baptismū? Absit, inquit: sed duabus his de causis maxime gratias ago. Prima quidem, inquit, quoniam dum non baptizo, nullis ansam dicendi præbeo, idcirco me baptizasse, ut discipulorum mihi chorū constituens, magistri mihi ducisq; nomen conquiram. Altera uerò, quòd nequaquā ob id à CHRISTO munus Apostolatus accepi: simulq; ostendens, quòd si ego qui à CHRISTO missus fueram ad prædicandum, atq; ad annunciandum Euangeliū suum, parè ac rarò baptizauī (quanquā cognatum sit, & cohereat prædicationi baptismus) uos qui nemisi quidem omnino estis, qua fronte uos ipsos magistros efficere præsumitis? quæ uerè ratione uel baptizatis, uel quicquam omnino ex ijs attentatis, quorum nec munus, nec Apostolatum habetis? Propter eos, quos baptizauerant, sibi nonnulli placebant. Ait itaque: Quid intumescitis? equidem gratias ago, quòd non baptizauerim. Id uerò ait, ut illorum adimat arrogantiam, non ut baptismum extenuet. Absit.

Quam ob causam te non baptizasse gratias agis? Ne quis, inquit, dicat quòd in meo nomine baptizauerim. Nam si propterea quòd ij qui omnino exiles sunt, baptizarint, tanta exorta controuersia

est, ut illorum quoq; appellarentur nomine: quid fieret obsecro, si Paulus ipse baptizasset omnes? e ¶ Præterea nescio.) Ex hoc uel maxime indicat, haudquaquam multum sibi studium fuisse baptizandi, quod ne memoria quidem retinebat. Id uero dicit, ut illorum superbiam, qui sibi pro hoc ipso plurimum applaudebant, comprimant. f ¶ Ad baptizandum.) Cuius igitur rei gratia baptizabat, si missus ad hoc non fuerat? Et sanè dicimus, quod ad euangelizandum quidem missus fuit, at non quin baptizaret interdictus: ex animo itaque beneuolenti, & hoc & illud peregit. g ¶ Ad euangelizandum.) Laboriosum quippe erat, & ferrea quoque anima indignum. Alius siquidem est is, qui eos qui iam crediderint baptizat, itemque alius qui Euangelium infidelibus predicat, apud quos etiam pericula patiatur. h ¶ Non in sapientia sermonis.) Nequaquam dixit, Non in sapientia scientiæ: sed, Non in sapientia sermonis: idque rectè. In sapientia namque scientiæ euangelizabat: ob id alio quoque in loco ait, Ignarus sum sermone, at non scientia. Quid enim sapientius, uel quid ad scientiam melius est atque illustrius, quam discere et docere, quod cruce ac morte, mors ipsa euacuata sit, genusque nostrum humanum à longa miserrimaque diaboli tyranni de emancipatum? i ¶ Ne inanis redderetur.) Ne damnum extenuationemue crux CHRISTI subiret. Si enim per sermonis sapientiam Apostoli predicassent, utique suspicari possent aliqui, ne per ipsam ser-

2. Corinth. 11

monium

monum persuasionem, & nō per ipsius CHRISTI, qui predicabatur, uirtutē, homines credidissent: quod reuera tam CHRISTO, quā prädicationi nocumento fuisse. At cū rebus ipsis, illiteratisq; hominibus fidem adhibuerit mundus, CHRISTI uirtus atollitur. PHOTII: Inanis enim redditur, extenuaturq; crux CHRISTI, uidelicet uoluntaria pro nobis passio, ijs qui sapientiæ sermone ac persuasione maiestatem ipsius diuinitatemq; comprobare, ac demonstrare conātur. Quī enim fieri potest, ut id quod omnem excedit rationem atq; sermonem, naturamq; ipsam, sermonibus comprobetur, rationibus, artē ue ulla? Quid uerò sermonibus uel persuasione opus est, cū ipsa signa & mirabilia, quauis etiā uoce clariius intonent, necnon per omnia uolentem manu ducant, tum ad pietatem, tum ad prädicationem?

¶ (Verbum enim crucis.) Par quidem erat ut infideles aliqui reperirentur, qui cruci detraherent. Ait itaq; Nihil agitis peregrinum: ijs enim qui eunt in perditionem, ea quæ fidelibus donata à Deo sunt, uidentur stultitia. PHOTII: Declarat deinde, fieri nullo modo posse, ut per sapientiæ sermonē ulli ad prädicationē adducantur. Sermo enim de cruce non modo non adducit, imò uerò ijs qui pereunt, stultitia ducitur. Num uerò tale quiddam dicere quisquā possit de prädicatione, non omnia illi suppeditante gratia? I ¶ (Qui salui fiunt.) Quippe qui minimè desperarunt: imò quibus est spes salutis. Ex hoc enim

uel maximè Dei coniectamus uirtutē ac sapientiam.
Virtutē quidem, quòd morte mortem exterminauit.
sapientiam uerò, quòd adeò perditos reparauit.

Esa. 29. Scriptum est enim, Perdam sapientiā sapien-
tium, & intelligentiam intelligentiū reprobabo.^a Vbi sapiēs? ubi scriba? ubi disputator? secu-
li huius? nōne^b stultā fecit Deus sapiētiā huius
mūdi? Nam^c postq̄ in sapientia Dei nō cogno-
uit mūdus per sapientiā Deū, placuit Deo per
stultitiā prædicationis saluos facere credētes,

a ¶ (Vbi sapiens.) Sumpta de scripturis audacia eos deinde mordet. Vbi sapiens? de Græcis loquēs. Vbi scriba? de Iudeis. Vbi disputator? hoc est, ij qui syllogismis omnia, peruestigationibusq; inueniūt. Hi nanq; omnes, neminem ab errore ualuerunt eruere.
b ¶ (Nōne stultā fecit Deus.) Quotquot enim sapientes esse uidebātur, stulti facti sunt, cū ea ipsi, quæ à piscatoribus, ijsq; illiteratis, & credita fuerunt & prædicata, inuenire nequiuerint. At quomodo stultam fecit? Hoc est, stultam esse, quòd ueritatem inuenire nequiuerūt, deprehendit. THEODORETI: Mundi huius sapientiam, eloquentiam dicit: nam & huius, Deus suppeditator est. Is enim est, qui & linguas distinxit, & linguæ cuiq; suos distribuit caractères. Ipse siquidem græcæ splendorem largitus est uoci. Porro qui hac non ad ea quæ decet, usi sunt, in erroris ac deceptionis escam hanc ipsam promulgauerunt, fabulosumq; erroris sermonem facilem qui per suaderet,

suaderet, effecerunt. Accusat igitur non eloquentiam, sed, qui in ea falsus latet, sermonem. CYRILLI: Sapientiam uerò tum humanam scientiam, tum eloquentiam dicit, uel certè ipsum dicendi leporem: ut doceat, quòd ipse Deus, & mentis fictor, & intelligentiæ, eloquentiæq; princeps est: etsi nonnulli rebus ijs, ad ea quæ non decet, sint usi. Porrò stultitiã prædicationis, ipsam dicendi simplicitatem uocat: rudes enim diui Apostoli fuerant, at scientia diuites.

c ¶ (Nam postquàm in sapientia.) In ea, inquit, sapientia quæ per creaturas innotescit, ut per cœlũ & terram. Postquàm per hanc, inquit, eius sapientiã, quæ oculis cernitur, mundus Deum per creaturas nõ cognouit, placuit ei per crucem saluos facere credentes: quæ infidelibus quidem, ijsq; qui in perditionem eunt, uidetur stultitia.

^a Quoniam Iudæi signa petunt, & Græci sapientiã quærunt. Nos autẽ prædicamus Christũ crucifixum, ^b Iudæis quidem scandalũ, ^c Græcis autem stultitiã: ^d ipsis uerò uocatis Iudæis atq; Græcis, Christum Dei uirtutẽ, & Dei sapientiã.

^a ¶ (Quoniam Iudæi signa petunt.) Si Iudæo dixerimus, Crede, mox signa fieri atque portenta, ad confirmationem prædicationis, requireret. Nos autẽ CHRISTVM prædicamus crucifixum: quippe quod non modò signorum ostensio non est, uerumetiã (prout apparet) infirmitatis extremæ. Et tamen per hoc idẽ, quod infirmũ uidebatur, ac perinde atq;

ad ea, quæ ipsi querebant, contrarium, impellunt
ad fidem: quod magnam profectò Dei uirtutē præse-
fert. Item Græci sapientiam à nobis expetunt, uerum
& illis crucem prædicamus: quod reuera, iuxta ap-
parentiam, Deum inquam prædicari crucifixū, pro
maxima habetur stultitia. Cæterū & ipsi in nostram
inducuntur sententiam. An nō hæc maxime dixerim
admirationis, quòd per contraria ferè, ad ea quæ ipsi
requirebant, ueniant in sententiam? VEL etiam hoc
modo intelligendum est. Quoniam & Iudæi, inquit,
signa querunt, & sapientiam Græci, ambo in CHRIS-
TO quæ sita inueniunt. Quomodo? Iudæis sane infide-
libus est offendiculū, & Græcis itidem infidelibus
uidetur stultitia. Porrò qui uocati sunt, & ex eis ele-
cti, inueniunt ipsum & uirtutē patris, & sapientiā
esse. Quid ergo dicis ô Iudæe? Signa quæru? En Chri-
stus Dei uirtus est. Et tu quid dicis ô Græce? Sapien-
tiam quæris? Habes CHRISTVM, qui patris est sa-
pientia. Ex quo igitur tam signa ex nobis, quàm sa-
pientia requiruntur, CHRISTVM, uocatis duntaxat,
qui postquàm ea, quæ requirebant, inuenerint, cre-
dunt, utraq; in se complectentem prædicamus. Infide-
les autem scandalum, & stultis digna, ea quæ omni-
prorsus admiratione digna forent, arbitratur. Ec-
quid mirum? Nam & sensibilis hic sol, ijs tenebrosus
uidetur, qui deprauatos oculos habet. b ¶ Iudæis
quidem.) Nimirum ad primū intuitum scandalum
existimatur, Quis enim infidelium non offendat?

quis

quis fidem non abnuat? c ¶ (Græcis autem.) Ut sit, Quibus uidetur Deus prædicari crucifixus.

d ¶ (Ipsis uerò.) Sanè scandalum, stultitiâq; putatur: at iisdem ipsis, tam CHRISTVS quàm afflictiones ipsius, uirtus, inquit, ac Dei sapientia, perpenditur. An non mirum? Ipsis uerò uocatis.) Vocatos uocat, quos Deus ipse uocauit, quòd digni essent.

Quoniam ^astultitia Dei sapientior est quàm homines, & ^bimbecillitas Dei fortior est quàm homines. ^cVidetur enim uocationē uestram fratres, quòd ^dnon multi sapientes ^esecundū carnem, non ^fmulti potentes, non multi nobiles, sed ^gstulta mundi elegit Deus, ut ^hpudesciat sapientia: & imbecillia mundi elegit Deus, ut ⁱfortia pudesceret: & ignobilia mundi & cōtempta, & ^kea quæ nō erant, ^lut ea quæ sunt deleret, ut ^mnō gloriaretur coram eo ulla caro.

a ¶ (Stultitia Dei.) Crux quidem uidetur stultitia, attamen longè sapiētior, quàm ipsi sint homines, reperitur. Quonam modo? Sapientes siquidem atq; philosophi circa friuola inutiliaq; occupauerunt mundum: crux uerò salutem illi contulit. VEL etiam sic: Vis nosse, stultitiam Dei sapientiorē esse, quàm ipsi homines? necnon imbecillitatem, fortiorē? Ab ipsa etiam uocatione id nosse est facile. Mihi nanq; intendito. Nunquid multi sapientia mundi huius sapientes erant? Num potestate hac multi potentes? An temporali nobilitate multi nobiles? Quid igitur? Hōs ne CHRISTVS discipulos suos fecit, uosq; per illos uo-

cauit? Minimè: imò uerò contrà, stulta secundū mundum, imbecillia, ignobilia atq; contempta, elegit, homines inquam piscatores, pauperes, & illiteratos, & per hos, tam sapientes quàm insipientes, tam pauperes quàm diuites, tam imbecilles quàm fortes uos omnes uocauit, cōfuditq; nobiles, fortes, sapientes. Quod enim nullo pacto ipsi quidem aggredi fuissent ausi, totum inquam mundum permutare, id per imbecillia & stulta manifestè peregit. An non igitur qui sapientes uidebantur & fortes, rubore suffusi sunt? Nōne igitur expresse monstratur, stultitiā imbecillitatemq; Dei, sapientiozem ac fortiozem esse, quàm homines? **b** ¶ Et imbecillitas Dei.) Etenim cum innumeri fuerint qui CHRISTI nomen extinguere sint conati, non modò extinctum non est, uerum etiam maiore pullulauit in modū: & per hanc ipsam crucem, quæ imbecillis admodum uidebatur, fortes potentesq; uicti atq; prostrati fuerunt. **S. DIONYSII:** Non modò quòd quælibet humana ratio (si ad diuinorum ac perfectorum illorum sensuū firmitatē stabilitatēq; cōparetur) error quidā sit, sed quòd sit etiā Theologis cōsuetū, certatim de Deo, ea quæ priuationis sunt, fari. Sic & inuisibile inquam (prout putatur) omnilucens lumen, ac multiuocum seu multinomū arcanum, & innominatum: & qui omnibus præsens, quiq; ex omnibus reperitur, incomprehensibilem & imperuestigabilem. **c** ¶ Videtis enim.) Animaduertitis, inquit, & consideratis, quàm magna potuerit ipsa uocatio,

catio, quòd rudes dogmata à Deo docta fecit ut disce-
 rent. d ¶ Quòd nò multi sapientes.) Ad hanc
 fidem, inquit, non multi uenere sapientes. Additū est
 autem multi, quia etiam nònulli ex sapientibus cre-
 diderunt, ut Ariopagites, Anthypatus, & alij. Atq;
 ubiq; multi, hac de causa apponitur, quòd nonnulli
 & potentes, & nobiles fuerint qui crediderunt.
 e ¶ Secundū car.) iuxta apparentiā, iuxta uitā
 presentem, externamq; disciplinā. Hos enim stultis-
 simos dixerim, qui se credunt sapientes, propterea
 à suis difficile auelluntur placitis. f ¶ Non mul-
 ti potentes.) Nam & fortes, & nobiles, cecitate
 oppleti fuerunt: hi quidem propter diuitias, illi autē
 ob generis claritatem, à Dei se notione extrudūt, &
 nunquam, ut presentia bona despiciant, acquiescūt.
 g ¶ Sed stulta mundi.) Et abiecta ubiq; assump-
 sit, & uilia, ut potentes pudefaceret infideles. Cum
 uerò audias, elegit, ne utiq; id suspiceris, quòd Deus
 eligendo quidem pauperes, potentes ob id abiecerit:
 sed quòd uiles atq; ignobiles maiori studio ad fidem
 cucurrerint: qui autem in potestatibus, ac sapientia
 uersabantur, indignum ducentes discere ab illitera-
 tis, sese dedecore affecerunt. Quantū enim ad Deum,
 ipse quidem omnes saluos fieri exoptabat. h ¶ Ut
 pudefaciat sapientia.) Audiens ubiq; ut pudefa-
 ciat, de illis intelligito, qui de sua sapientia, diuitijsq;
 confisi, crediderunt nunquā. Nimirū maxima est hæc
 CHRISTI uictoria, quòd per stultos, hoc est, per idio

tas & uincantur sapientes, & pudefiant. Maxima enim pudor sapientium, dum ab idiotis uincuntur, superanturq;. Itemq; maxima CHRISTI uictoria, per stultos uicisse sapientes. i ¶ Ut fortia pudefaceret.) Eos qui cum diuitijs, tum potentia mirum superbi- rant. k ¶ (Ea quæ non erant.) Illos, ea quæ non erant, uocat, qui ob nimiam tenuitatem & abiectionem, ne an essent quidē apparebat. l ¶ (Ut ea quæ sunt deleret.) Omnia, inquit, fecit Deus, quò ab arrogancia illos, suiq; ipsius existimatione compesceret: & uos adhuc insolentes, ac superbi estis. Ea quæ non sunt.) Non esse quicq; Apostoli uidebantur, utpote uiles ac tenues. Ea uerò quæ sunt, Græci puta- bantur, ut qui aliquid esse putarentur, cum reuera nihil essent. m ¶ (Ut non gloriatur.) Num igitur & nos etiam à gloriatione abstinēbimus? Nimirū uos, inquit, qui estis fideles, gloriari debetis: non enim caro uos, ceterū ex ipso per regenerationem nati estis, & sapientes estis. Verū eundem ipsum habetis sapientiam, qui à tyrannide uos exemit: neq; id modò, sed etiam sanctificauit per baptismum: neq; hoc tantum, uerū etiā per munera iustificauit. Pro his itaq; gloriari debemus: gloriari inquam, non quòd ijs digni simus ob nostrum quodpiam rectum facinus, sed in Domino: quoniam & muneris eius, & humanita- tis, quam erga nos habet, sunt tam uaria, multipli- ciaq; dona suprema.

^a Ex ipso autem uos estis in Christo IESV,
qui

Qui factus est nobis ^c sapientia ^d à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & ^e redemptio. Ut ^f quem admodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Hier. 9.

CAPVT II.

ET ego cum uenirem ad uos fratres, non ueniebam cum ^h sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuncians uobis ⁱ testimoniū Dei. ^k Non enim me iudicauī scire quicquam inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixū.

^a ¶ Ex ipso autem.) Ex ipso nempe Deo uos estis: hoc est, retrahens uos ab arrogantiā Deus, filios suos per IESVM Christum effecit. Et nos itaq; Deo infensam arrogantiam fugere decet. ^b ¶ Qui factus est.) Qui CHRISTVS, inquit, factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, atq; redemptio: id est, qui nos sapiētes, iustos, sanctos, ab ijs quae iisdem ipsis contraria sunt, redemptos, fecit. Cum enim stulta elegisset, & sapientia ea fecit & sancta.

^c ¶ Sapientia.) Nequaquā, inquit, sapientes nos fecit, sed doni (ut ita dicam) ineffabilitate declarata, factus est, inquit, nobis sapientia: hoc est, tradidit nobis semetipsum. ^d ¶ A Deo.) Magna de filio locutus, nempe sapientiam, iustificationem, sanctificationem, redemptionemq; appendit, à Deo, ne ingenitum suspicareris. ^e ¶ Et redemptio.) ¶ Quomodo uiam prooccupet animaduertito. Primū quidem sapientes factos absoluit errore, & tunc per infusio-

nem sancti spiritus iustos & sanctos, sicq; ab omnibus malis redemit. Id nanq; redemptionem dixerim.

f ¶ *Ut quemadmodum.*) Facta sunt hæc omnia, inquit, ut nemo se ipsum aliquid esse putet, neue in se gloriatur, sed in Deo. Clam uerò illos tangit: quidam enim superbi erant. g ¶ *Et ego cum uenissem.*) Cum stultam dixisset sapientiam effectam, ac eos qui stulti uidebantur electos, intulit: Porro ego ipse, inquit, præco, non ueni rationibus uel humana sapientia imbutus. h ¶ *Cum sublimitate.*) Atqui est uoluisse cum sapientia uenire, non utiq; potuisset, dixerit quispiam. Ipse quidem nequiuisse: at Christus, si uoluisse, potuisset sanè cum efficere sapientem.

i ¶ *Testimoniū Dei.*) Mortem quippe CHRISTI prædicans, peragrabat orbem, idcirco testimoniū ipsam uocat. k ¶ *Non enim me iudicaui.*) Ego enim (ex quo etiam CHRISTVS) id approbaui, uidelicet ut absq; eloquētia prædicarē. l ¶ *Nisi Iesum Christum.*) Externa, inquit, eloquentia nō indigui: sed CHRISTVM duntaxat, & hunc crucifixum, prædicabam, & ora tamen quorūlibet sapientium obturavi.

Et ego^a in infirmitate, & ^b in timore, & in tremore multo fui apud uos: & sermo meus & prædicatio mea non ^c in persuasorijs humanae sapientiae uerbis, sed ^d in ostensione spiritus ac uirtutis: ^e ut fides uestra non fit in sapientia hominum, sed in potentia Dei, ^f Sapientiam uerò loqui-

loquimur^s inter perfectos: sapientiam autem nonⁿ huius seculi, neq; principum huius seculi, qui^d destruuntur: sed loquimur sapientiã Dei in^m mysterio, quæ^l abscondita est, ^mquã præfignierat Deus ante secula, in gloriam nostrã, quãⁿ nemo principum seculi huius cognouit. Si enim cognouissent, nunquã^o Dominum gloriæ crucifixissent. Sed quemadmodũ scriptum est: Quæ^o oculus non uidit, ^pnec auris audiuit, *Esā. 64.* & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.

a ¶ In infirmitate.) Quonam pacto non esset infirmus, cum tam potentes fuerint qui insectabantur? PHOTII: Ferè inquit: Cur dicastis uosmet ipsos, illi quidem sapientibus, hi autem potentibus? Num hæc, ea inquam quæ sapientia putantur, diuitie atq; potestas, prædicationi cõparari possunt? Recogitate quonam modo, cum prædicarem, uos adierim. An in sapientia? At nullo id modo dicere possitis. Num in potestate? At qui tremens ac timens, minisq; plenus hac inter uos ratione prædicaui. Cur igitur horum obliti, sapientes, diuites, potentes inquiritis, & hos uobis magistros definitis ac præceptores?
b ¶ Et in timore.) Non modò, inquit, sapientia ad prædicandum non indigui, uerum etiam in timore ac tremore permulto degens ob persecutiones, sic prædicationi insishebam. quod nimiam utiq; crucis uirtutẽ præ se fert, dum & in rusticitate & tremore quisspiã

prædicans, uictoriam sit adeptus. Suggillat uerò philo-
 sophos illos ac mordet, qui apud ipsos reperiebantur:
 nimirum ostendens, quanta ad credendam prædicationem
 fuerint impedimenta, & quomodo nequaquam per humane
 sapientiæ persuasiones fides adhibita fuerit. c ¶ (Per-
 suasorijs.) Haud enim per externam eloquentiam ac
 disciplinam disserta prædicatione fuerat, uerum in
 ipsius spiritus demonstratione. d ¶ (Sed in ostensione.)
 Per ipsum namq; ait, spiritum sanctum, per q; signa ac
 uirtutes, quæ ex ipso patrantur, argumenta, quòd
 uera loquimur, præbemus: & per uirtutem, quæ
 erga nos efficax est. e ¶ (Ut fides uestra.) Si enim
 per humanam sapientiam id factum fuisset, suspicio
 forsitan esset, ne per eloquentiam uicisset. Nunc
 autem cum per signa sit ac uirtutes, fidei certitudinem
 cõprobat. Ostensio enim quæ per opera & signa fit,
 firmiter quàm ea quæ per uerba, astruit & confirmat. f ¶
 (Sapientiam uerò.) Cum semel eam, quæ hominũ
 sapientia uidebatur, stultitiam esse: Dei autẽ, quæ
 ijs qui pereunt stultitia quidem putatur, hanc
 ueram sapientiam esse ostendisset, tunc demũ
 hanc ueram sapientiam uocare audet. Porro
 sapientiam, prædicationẽ quæ de Christo est,
 dicit: & quòd per crucẽ quicquid sub cœlo est,
 salutem adeptum sit. g ¶ (Inter perfectos.) Hoc
 est, inter fideles. Illi enim & sapientes & perfecti
 sunt, qui humana uti gregaria asperrantes, sese
 Deo dederunt. h ¶ (Non huius seculi.) Seculi huius,

ob illorum fragilitatem uocat, & quòd intra seculū
hoc cohibeantur, nec ad futurum usq; pertingant.
i ¶ Qui destruuntur.) Destruuntur enim, & unā
cum hac uita desinunt. At non ita iusti, sed tunc ma-
gis magisq; quàm nunc, florent. Principes uerò di-
cit, clām eos qui apud illos, philosophos inquā & rhe-
tores, qui in populum ducis quoq; locum habebant,
pungens. k ¶ In mysterio.) Mysterium prædi-
cationem de CHRISTO dicit, quòd nulla eam, ante-
quàm fieret, cœlestis uirtus nouit: & quòd cum alia
cernamus, alia credimus. Dum CHRISTVM uideo,
ut misericordiam colo: dum audio seruum factum, ob
prouidentiam illum adoro. l ¶ Quæ abscondi-
ta.) Ad hoc enim usq; tempus abscondita est, infide-
libus multū sanè, fidelibus uerò nō multū. m ¶ Quā
præfinierat.) Quam, inquit, pater sapientiā præ-
finierat, quam erga nos prouidentiam habeat indicās,
quò nos per illam glorificaret. Porro illud, ante se-
cula, coeternum patri filium præ se fert. n ¶ Quā
nemo principum.) Licet sanè hoc & de Pilato in-
telligi, & Herode: ignorauerunt enim. Potest & de
pontificibus & de scribis accipi, quippe qui dispen-
sationē, quæ per crucem ac mortem CHRISTI est,
non cognouerunt. Quando suprā dicebat, Principes
seculi huius, Græcorū sapientes insinuabat: at nūc de
Iudæis loquitur. o ¶ Dominum gloriæ.) Quo-
niā stolidis quidem crux ignominia uidetur, expen-
de qua ratione CHRISTI mentione facta, Dominū

gloriæ illum dicit, ostendens non modò cum nihil in cruce ac morte pertulisse detrimenti, imò uerò magis ac magis ob clementiam glorificatum fuisse. OECUMENII: Si quidem, principum seculi huius, tanquam de Herode atq; Pilato sit dictū accipias, simplicius intelliges quod sequitur. Si enim, inquit, cognouissent, nunquā Dominū gloriæ crucifixissent. Non enim in tantū insanissent, nisi fuisset inuidia. Porro si de pontificibus scribisq; accipias, qui nouerant illum esse CHRISTVM (¶ patet ex his quæ dixerunt ui-

Matth. 21.

Mar. 12.

ne.e coloni: Hic est h.eres, uenite occidamus illum, ¶ uinea nostra erit, sed liuore obcæcati erant) ita id quod infra dicitur intelliges: Si cognouissent, inquit, tantam ex cruce Gentibus fore salutem, nunquam ad hoc uenissent, ut crucifixissent: maluissent enim inuidia cõtabescere, quàm ut Gentes seruarentur, ¶ ipsos propellerent, ¶ in eorum locum cõstituerent. IOANNIS: Opportunè Dominū gloriæ nūcupauit. Nam quoniam crux ignominie esse uidebatur, magnam gloriam crucem esse demonstrat. p ¶ Nec auris audiuit.) Quid uerò illud est, quod præparauit diligentibus se? Nempe ipsum CHRISTVM, ac salutem, quæ per incarnationem. Diligentes autè Scriptura fideles uocat. Et quoniam pacto, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, cum sancti, Prophetæ inquam, id longè antè mysterium audierint? Et dicimus, quòd aliud est audisse ut hominem,

Esa. 50. itemq; aliud ut prophetam. Esaias namq; ait: Appo-

suit

sait mihi aurem ad audiendū. non idcirco quòd homi-
nis aure deficiebat, sed quòd acceperit et propheta.

^aNobis autem reuelauit Deus per spiritum
suum. ^bSpiritus enim omnia scrutatur, etiam
profunditates Dei. Quis enim hominum no-
uit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis
qui est in ipso? Sic ^c& ea quæ sunt Dei, nemo
nouit, nisi spiritus Dei. Nos uerò non ^dspiritū
mūdi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo,
ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ
& loquimur, nō in doctis ^ehumanæ sapientiæ
uerbis, sed in doctis ^fspiritus sancti, ^gspiritua-
libus spiritualia comparantes.

^a ¶ Nobis autem reuelauit.) Si nemo igitur
nouit, uos, inquit, quomodo didicistis? Quòd Deus,
inquit, per spiritum suum reuelauit, & non per hu-
manam sapientiam. Hæc enim haudquaquæ digna ha-
bita est, quæ mysteria cerneret. ^b ¶ Spiritus enim.)
Aperit deinde huiuscemodi discipline magnitudinē.
Nisi enim, inquit, spiritus, qui etiā profunditates Dei
rimatur, docuisset nos, nusquam discere quiuissimus.
Siquidem inter arcana erat mysteriū hoc, propterea
spiritu doctore indignimus. Quòd uerò dicit, scruta-
tur, nequaquæ ignorantie ostensum est, sed contrā ex-
actæ scientiæ. THEOLOGI: Non quasi laborans,
sed ueluti contemplatione tripudians. SEVERIA-
NI: Profunditates Dei dicit, profundissimas, quæ quæ-
nos latent, dispensationes illius. CYRILLI: Profun-
ditates Dei sunt, sacrarum literarū occulta recondi-

taq; scientia, quam conscius spiritus sanctorum reuelat animabus, diuinum quendam eis aperiens intellectum. c ¶ (Sic & ea quæ sunt Dei.) Nam quæ admodum, inquit, ea quæ sunt circa hominem, nullum hominū nouit, nisi proprius ipsius hominis spiritus: sic neq; ea, quæ Dei sunt, quisquam nouit, nisi spiritus ipsius Dei. d ¶ (Non spiritum mundi.) OZCVMENII: Spiritum mundi (ut reor) humanā sapientiam disciplinamq; uocat, quem, tanquam crucē euacuet, ut in superioribus inquit, non accepimus, ne crux euacuaretur: sed accepimus, inquit, spiritū Dei, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, hoc est, ea quæ sunt circa dispensationem CHRISTI. e ¶ (In doctis humanæ sapientiæ.) Tantò, ait, nos sapientibus, qui apud homines, sapiētiores sumus, quātò ij quidem Platonem magistrum habent atq; Pythagoram, nos autem ipsum spiritū sanctum. f ¶ (Sed in doctis spiritus.) Nulla itaq; humana sapientia opus est: tota enim spiritualis est. g ¶ (Spiritualibus spiritualia.) Hoc est quod dicit: Cumq; aliqua spiritualis emerferit quæstio, ex spiritualibus exemplis comparationes, solutionesq; adducimus. Vt, an die tertia surrexerit CHRISTVS, ex Iona testimonia & argumenta producam. An Dominū genuerit uirgo, ex sterilibus Anna et Elisabeth solutio oritur.

^a Animalis autem homo non accipit ea quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim sunt illi, nec potest cognoscere quòd ^b spiritualiter dijudicatur.

tur. ^c Spiritualis autem dijudicat quidem omnia, ipse uero à nemine dijudicatur. Quis enim cognouit ^d mentem Domini, qui ei consiliū daturus sit? Nos autē mentem Christi habemus.

CAPVT III.

ET ego fratres, nō ^e potui loqui uobis ut spiritualibus, sed ut ^f carnalibus, ut infantibus in Christo. ^h Lacte potaui uos, non cibo. ⁱ Nondum enim poteratis, sed neq; nunc usq; potestis: adhuc enim carnales estis. ^k Cū enim inter uos sit xmulatio & cōrentio, & factiones, nōne carnales estis, & ^l secundū hominem ambulatis?

a ¶ (Animalis autem.) Animalem hominem illum uocat, qui omnia animæ ratiocinijs dat, & nihil fide recipit, & nullo se auxilio superno indigere dicit: quippe qui cū ipsius animæ sensibus doctrinam spiritus comprehendere nequeat, tamen sine rationibus credere abnuit, & omnia quæ ad Domini spectant dispensationem, stultitiam putat. IOANNIS: Animalis ille est, qui secundū carnem uiuit, & nondum per spiritum mente illuminatus est: sed naturalem tantū, & humanū intellectum obtinet, quem omnium creator animalibus immittit. PHOTII: Animalis, inquisitione, indagatione, disciplina indiget spirituali, ut ea quæ sunt spiritus admittat. Verū qui ad hanc demonstrationem fuerit contumax, & dum satis esse humana ratiocinia putat, nō modò nihil eo

rum quæ ignorat, percipit, uerum etiam contra, mire obrutus ignorantia, passionē suam ac morbum iuribus legibus annectit, & has stultitiam ducit: cum prius sit ut seipsum accuset, dum humilibus & humanis mensuris ea, quæ ipsam naturam transcendunt, ac rationibus præstant, metiri & capeßere fuerit aggressus. Spiritualis uero nulla indiget inquisitione, sed spiritualiter, ac iuxta diuinam sapientiam omnia ipse probans atq; dijudicans, per scientiam spiritus perfectus euadit: idcirco dijudicatur à nemine. A fidelibus quidem, quòd ab eis nõ dissentit, uel dissidet: ab infidelibus uerò, quòd longè eorum inquisitioni præstet, nec modò ea non indigeat, uerum etiam exactè dijudicare nouerit, quòd ijs, qui ea utuntur, maximum ad spiritualiter dijudicandum, & ad ea accipienda quæ sunt spiritus, adferat impedimentum: unde etiam dominica mente, hoc est, præceptis, ac legislatione, quæ inde procedit, quæ illos ad mentem reducere possit, ad spiritualiumq; perceptionem quæstionū allicere, isti priuantur. Ipsa nanq; præcepta Domini- ca, quæ nos conciliant, & ad concordiam erga illam adducunt, præparant studiosos ad diuinam illam doctrinam & intelligentiã, quæ dignis duntaxat suppeditatur. Quamobrem nos, qui eis nos ipsos accommodauimus, iurè mentem CHRISTI habemus. Scientes enim & cognoscētes ea quæ Christū sunt, minime iam de cetero humano ratiocinio atq; carnali fluctuantes, æstuemus, contrarijs uentis utrinq; flantibus tempo-
statem

statent ferentes: sed solidi effecti, ac tales quibus nullo iam modo dissuaderi possit, cœlesti illo atq; diuino intellectu ueritatis apprehensione fruimur. **b** ¶ Quod spiritualiter.) Sese, inquit, stultum ignorat. Nescit enim, ait, sola fide in huiusmodi opus esse, quasi infirmis existentibus rationibus. Id enim spiritualiter examinare dixerim, hoc est, per fidem ac per spiritū demonstrationes habere. **c** ¶ Spiritualis autem.) Spiritualis, inquit, omnia tam sua ipsius, quàm infidelium, per fidē & uidet, & intelligit: at quæ illius sunt, nosse nequeunt infideles. Id namq; est, ipse autem à nemine diiudicatur. Quo autem modo fidelis omnia nouit? Nouit quidem omnia quæ hîc aguntur, corruptibilia: nouit & quæ illic, firma atq; æterna. Porro infidelis neq; ea nouit quæ hîc: magna enim putat ea, quæ prorsus nihil sunt: neque ea quæ illic, haud enim ea credit. **d** ¶ Mentem Domini.) Quare autem infidelis nihil nouit? Quoniam, inquit, mentē Domini ignorat: quapropter nec eum sibi conciliabit, hoc est, ad amicitiam adducet. Nusquam uerò hosti reuelabit Deus. Cur uerò spirituales, fidelesq; nouerunt? Quoniam, inquit, mentem Christi habemus, hoc est, spiritum CHRISTI: & ea quæ nouimus, ab ipso spiritu edocti sumus. Merito itaq; ignorāt ij, qui Deum habent auersum. Nos uerò, ait, nouimus, magistrum spiritum non desiderantes. PHOTII: Iuxta hyperbaton uerò est illud, Quis enim cognouit mentem Domini? Ad contextum namq; illius aptari

debet, quod dicit: Nec potest cognoscere quòd spiri-
tualiter dijudicatur. Potest autem & absq; hyperbo-
to, ut sese ad locutionē habet, locus ipse accipi. GREGORII: Qui mentem humanitatis illius, quam Chri-
stus Deus noster assumpsit, imitantur, ij nimirū men-
tem Christi habent. OECUMENII: Vel mentē Chri-

Leuit. 26 sti, patrem dixit, ut illud: Inhabitabo in illis, & inam-
bulabo. Mentem siquidem, mos sanctis est, patrē uo-
care. ut Gregorius: Et menti, & uerbo, & spiritui,
uni coëunti deitati. Ac rursus: Primū quidem in men-
te angelicæ cœlestesq; uirtutes, intelligibileq; opus e-
rat, quod uerbo efficiebatur, ac spiritu finiebatur.

IOANNIS: Hoc est, ea quæ sunt in mente Christi: at-
que ea nouimus, & quæ ipse uult, & quæ reuclau-
erit ipse. THEODORETI: Eleganter uerò eum, qui
spirituale munus assecutus est, à Dei digna fide ad-
struxit, ac fide dignum asseuerauit, nec alterius do-
ctrina indigentē, atq; ad alios docendos esse idoneū.
Nullus enim, inquit, est, qui ita consilia Dei nosse
queat, ut aliquam ei emendationē asferre possit. Nos
quidem per fidem Christi ab ipso notionē accepimus,
& ut pariter alios docere ualeamus, idonei effecti su-
mus. e ¶ (Non potui loqui.) Tumore illorum,
quem de humana sapientia habebant, deturbato, nūc
illum etiam rursus adimere conatur, quo de rebus in-
tumuerant spiritualibus: ostendens, quòd ne audire
quidem quicquā perfectum nouerant. Eleganter ue-
rò dixit, Non potui, pro, nolui: ne id per inuidiam di-
xisset

xiffe uideretur. f ¶ (Sed ut carnalibus.) Ecquo modo qui signa etiam patrabant, carnales erant? Respondemus, quòd tales quidem, & nō tales erant. Fieri enim potest, ut & carnalis quispiam sit, & signa faciat: ut illi qui dicebant, Domine, nōne in nomine tuo hoc & illud fecimus? Attamen audierunt: Non noui uos. g ¶ (Ut infantibus.) Infantibus, quòd ad legem Christi. h ¶ (Lacte potius.) Lact, imperfectam adhuc doctrinā dicit: cibum autem, perfectā. i ¶ (Nondum enim poteratis.) Quomā nō uultis, ait: hoc enim in sequentibus declarat, quòd impotentie huius ipsimet in causa sibi fuerint: quippe quod omnino uenia uacat. k ¶ (Cū enim inter uos.) Vidēs ne ipsorū nequitie esse? Et quomodo, inquit, carnales sumus? Causam, quæ id efficiat, edicit: & cū cætera quoq; reprehendere potuisset, contra id, quod urgebat, insistit: circa disidia, inquā, atq; eam, quæ inde prouenit, æmulationem, contentionemq;. l ¶ (Et secundum hominem.) Minimè, inquit, secundum Deum uiuitis, sed secundum hominem: carnaliter, inquam, conuersamini.

Cū enim aliquis dicat, ^a Ego quidem sum Pauli: alter uerò, Ego Apollo, nōne carnales estis? ^b Quis igitur est Paulus? quis uerò Apollo: nisi ^c ministri per quos credidistis, & ^d ut cuique Dominus dedit. ^e Ego plantauī, Apollo rigauit, porrò Deus incrementū dedit. Itaque ^f neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed



qui dat incrementū, Deus. Qui uerò plantat, & qui rigat, ^h unum sunt. ^h Vnusquisq; autem suam ipsius mercedem accipiet, ⁱ iuxta suū laborem. Dei enim sumus ^k cooperatores, Dei ædificatio, Dei ^l agricolatio estis.

a ¶ Ego quidem sum Pauli.) Iterum philosophos ac diuites, qui illis præerāt, quiq; dissensionis in causa erant, suggillat. b ¶ Quis igitur est.) Proh sapientiam: sibi & Apollo, dum hæc asserit, derogat. Si nos, inquit, nihil sumus, quidnam dicet quis de magistris qui apud uos sunt? c ¶ Nisi ministri.) Magna reuera res est, fidei etiam ministros esse. Ad archetypum uerò radicemq; bonorum CHRISTVM, quisnam rationis modus? Is enim qui suppeditat, non qui minister est, beneficium impendit. Cæterū qui ministrat, tantò euāgelizanti præstat, quatenus ille quidem uerba duntaxat promit, hic uerò ipsa quoq; opera patrat. d ¶ Et ut cuiq;.) Sed neq; hoc ipsum, inquit, ministeriū habemus ex nobis, sed ab ipso Deo nacti sumus. e ¶ Ego plantaui.) Primus equidem prædicationis, inquit, semina ieci: Apollos autē adhortatione sua, tentationum æstu, semen arefcere non permisit: uerū totum hoc Deo ipsi, qui suppeditat incrementa, adscribendum est. f ¶ Neq; qui plantat.) Perpende quæso quomodo citra inuidiā, eorum præpositos, sapientes inquam diuitesq; contemnat, dum se ipsum atq; Apollo, quantum ad apparentiā, floccipendit, ostenditq; soli Deo adherendū, atq;

atq; omnia quæ obtingunt bona, ad ipsum referēda.
 g ¶ Vñ sunt.) Qui plātat, & qui rigat (in quantū
 nihil amplius sine Deo, qui dat incrementum, pos-
 sunt) unū sunt. h ¶ Vnusquisq;.) PHOTII: Quo-
 niam multa de magistris perstrinxit, dicens: Quis est
 Paulus? quisue Apollos? Et rursum: Itaq; neq; qui
 rigat est aliquid, neq; qui plantat. hoc faciebat, deli-
 nire uolens durum illorum tumorem, qui pro doctri-
 na maxima insolentia gloriabantur, & ad contentio-
 nem seditionemq;, Christi populum concitabant. Ex
 quo igitur sibi uisum est satis illorū superbiam pro-
 strauisse, quia & se & Apollo uilem fecerat: ne aliqui
 dicerent, Frustra ergo doces, frustra labores prædica-
 tionis gratia cōplecteris, intulit, quò huiusmodi am-
 putaret ansas: Vnusquisq; propriam mercedem acci-
 piet iuxta suum laborem. ferē inquiens, Nihil mole-
 stè feras qui rectè doces: licet enim populum Christi
 scindere prohibearis, tibiq; ipsi uendicare, atq; in eis
 quasi magister gloriari, mercedem tamē reportabis:
 nec temerè quidem, uel utcunq;, sed iuxta tuum labo-
 rem. Deinde rem ipsam magis magisq; attollit, con-
 testaturq; mercedem omnino futuram (Dei enim, in-
 quit, sumus cooperatores) simul quidem, ut diximus,
 & doctrinam illustrem reddens, simul autem & rur-
 sum indicās Dei esse ipsum opus. Non igitur sibi uen-
 dicare oportet, & quod est integrum, in partes diri-
 mere, imò contrā coniungere & agglutinare: id enim
 dixerim cooperariorum. Porrò usurpare sibi, & is

partes scindere, hostium atq; bellantiū est. Item persistit, eodem ipso demonstrationis canone utens, quòd fas nō sit populum personis omnino distribuere. Dei agricolatio, inquit, estis, Dei ædificatio: cur uiles uos ipsos redditis, & cum ipsius Dei esse liceat, uos ipsos cōseruis deditis? i ¶ Iuxta suum laborem.) Quoniam uerisimile est, ut qui plus circa fidem ipsorum laborauerant, audito unum esse omnes, licet multum quispiam contulisse cōtingat, pigriores euaderent, id statim emendat: Vnum quidem sunt, inquit, quantiū ad hoc, quòd nisi Deus impartitus fuerit incrementa, ipsi nihil iam efficere poterūt. Alioqui quò ad mercedem, quilibet, ait, iuxta suum laborem accipiet.

k ¶ Cooperatores.) Nos autem, qui dogmata salutis plurimū conducentia prædicauimus, coadiutores, cooperatoresq; Dei sumus. Cooperauimus sanè, atq; auxilium impendimus scopo ipsius Dei, qui salutem conferre optat: sed nō ita uobis cupiunt, qui uos in diuersa secāt, quiq; uobis seditionis ansa facti sunt.

l ¶ Dei agricolatio.) Porrò uos Dei agricolatio, Deiq; estis ædificatio. Si autem Dei estis & agricolatio & ædificatio, nimirum à Deo cognomen, & non ab ijs qui nunc uobis præsunt, accipere debetis. Dicebant enim: Ego quidem sum huius, ego autem illius, iuxta sapientum illorum, diuitumq; nomina.

Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem super illud ædificat. Quilibet autem

tem

rem uideat quomodo superstruat. ^aFundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

^a ¶(Ut sapiens architectus.) Sapientem sese uocat architectum, nequaquam efferens semetipsum, sed ostendere cupiens, sapientis referre architecti, tale iecisse fundamentum, CHRISTVM uidelicet. Et quod seipsum extollentis uerbum non sit, inquit: iuxta gratiam quæ data est mihi: non quod meum sit facinus, quod sapiens factus sim, sed ipsius Dei qui largitus est.

^b ¶(Alius autem.) In adhortationem ciuilitate uiuendi descendit, ædificationem uocans cuiuslibet actiones. ^c ¶(Fundamentum enim.) Nusquam igitur dissecantibus uos adhareatis. Fundamentum aliud nullum esse potest, præterquam CHRISTVS, quem annunciaui: hunc teneamus, huic, perinde atque fundamento, adglutinemur. Super hunc bonas ex instituto uite ædificationes struamus.

Si quis autem ^a superædificat supra fundamentum hoc, ^baurum, ^cargentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. ^dDies enim declarabit, quod in igne reuelat: & cuiuslibet opus quale sit, ignis probabit. Si ^ecuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, damnus patietur, ^fipse uero saluus erit, sic tamen ^g quasi per ignem.

^a ¶(Superædificat.) Post fidem namque, operi-

bus atq; edificatione opus est. Sed iusti quidem auri similia, argento, præfulgidisq; lapidibus, sua, inquit, acta supra fidem struunt: peccatores uerò materiam incensu facilem, ac igne illo per dignam. THEODORETI: Magistri diuina docent, auditores uerò pro ingenij sui libera spontaneaq; susceptione, quid agendum sit accipiunt: cæterū per diem aduentus Domini experimentum erit, atq; exacta indagatio: & eos quidē qui rectam uitam duxerint, instar auri argentiue fulgidiores ignis monstrabit: porrò iniquitatis operarios, non secus ac ligna, fœnum, stipulamq; consumet. Magister igitur qui ea docuerit quæ decet, ne quaq; poenas dabit, imò salute dignus fiet. Id namq; dixerim quod ait, Ipse uerò saluus erit, magister, inquam. Quod autem dicit arsurum opus, pro ijs posuit, qui prauum sese opus reddiderūt. Si enim ita legerimus, exactam reperiemus literarum sententiā: Si cuius opus arserit, is damnum patietur, sic autem quasi per ignem: pro, opus quidem ab igne ardebit, at ipse, magister inquam, saluus erit. Non enim fuit ipse in causa, quamobrem ij cōuertentur in peius: congruam enim protulit ipse doctrinam. Si cui uerò non placuerit, ut id, Quasi per ignem, operi, sed aptetur magistro, ita intelligat: Quod nequaquā pro illis poenas daturus sit, sed saluus erit, per ignem etiā ipse probatus, si quidē uitā doctrinæ congruentē habeat.

b ¶ Aurum.) Hoc est, fidem in Christum. c ¶ Argentum.) Sunt enim etiam inferiores. Nam ait:

Apud

Apud patrē meū mansiones multe sunt. d ¶ Dies Ioan. 14.
 enim declarabit.) Diem inquit iudicij. Per ignem
 uerò opera reuelanda dicit: id est, qualia sunt natu-
 ra, manifestanda, utrum aurum, an argentum. Horū
 siquidem argumentū, inquit, ignis dabit. e ¶ Si cu-
 ius opus.) Si cuiuspiam opus ignis non feret exa-
 men, uerū deprehendetur prauum, is, inquit, dam-
 no afficietur. Nihil ergo absq; operibus recta fides
 confert. OECVMENII: An sic quoq; intelligere
 possumus? li quidem qui combustu facilem materiam
 struunt, penitus eieci sunt: eorum nanq; studia om-
 nia pereunt, ipse autem saluus erit. quis? qui aurum,
 argentum, ac lapides preciosos struxerit. Cū enim
 de eo dixisset, quòd mercedem accipiet, nunc qualem
 dicit, nempe salutem. Saluus quidem & ipse cum do-
 lore erit, ut par est qui per ignem transferit, atq; eas,
 quæ illi adhæserint sordes, expurgarit. Solius nanq;
 Dei est, sine peccato omnino esse. Homines uerò licet
 iustissimi, non tamen perfectè mundi sunt: dictum est
 enim, quòd multū offendimus omnes. Et: Nemo mur-
 dus à peccato, ne is quidem cuius una tantū dies uitæ
 est. Nam & per Malachiam dictum est: Sicut ignis Malach. 3.
 in fornace, & sicut herba fullonum, lauabit purga-
 biq; Deus nonnullos. PHOTII: Saluus erit, hoc est,
 non delebitur, neq; huc ueniet ut iam non sit, quem-
 admodum praua ipsius opera. Ea nanq; ad illud qui
 dem usq; tempus subsistere uidebantur, atq; siebant:
 at cū dies illa, ut ignis, aduenerit, ipsa quidem cassa

reddentur: quippe cum neq; subsistere, neq; fieri, se-
 per fieri praeualuerint. Homo porrò qui ea fuerit ope-
 ratus, non iam pariter cum illis tollitur atq; corrup-
 titur: uerum durat, seruaturq; poenas laturus per
 ignem. Quamobrem cum dixisset, Saluus erit, appen-
 dit modum, interpretas, quo sit seruandus: uidelicet,
 Ad hoc durat, atq; seruatur, ut igne cõdemnetur e-
 terno. f ¶ Ipse uerò.) In cõmentarijs Esaiæ, san-
 ctus Basilius bis uerbi huius mentione facta, pro ip-
 sa purgatione accepit. g ¶ Quasi per ignem.)
 Omnia dixit metaphoricè. Expende autem: Non tan-
 quam fascis combustus in nihilum redigetur & ipse.
 Sed quid? Ipse autem saluus erit, salutem uocans sem-
 piternam in igne uitam, et in ipso seruari. Nam quid
 addiderit, animaduerte: Ita, inquit, quasi per ignem:
 hoc est, ita erit saluus, quasi qui per ignem seruetur:
 id est, ardens non comburetur. Ne enim salutem fau-
 sto uocabulo audiens, intra operum duntaxat arsi-
 onem consistere supplicium arbitrareris, appendice hæc
 opus fuit: Ipse autem saluus erit, per ignem semper ar-
 dens. Id enim insinuat illud, Quasi.

^aAn nescitis quòd templū Dei estis, ^b& spi-
 ritus dei habitat in uobis? Si quis autē templū
 Dei corrumpit, ^ccorrumpet hunc Deus. Nam
 templū Dei ^dsanctū est, quod estis uos. ^eNemo
 se decipiat. Si quis uidet esse ^fsapiēs inter uos,
 in seculo hoc ^gstultus fiat, ut sapiens fiat. Nam
^hsapientia mūdi huius, stultitia est apud Deū.

4 ¶ An ne-

a ¶ An nescitis.) In eum deinde reprehensione
 conuertere conatur, qui fornicationem admiserat in
 nouercam. Sed quam conueniente procemio utatur
 considera, reuerentia quadam illis loquens. b ¶ Et
 spiritus Dei.) Ab ipso dono crimen attollit, ab in-
 habitatione inquam spiritus. OECUMENII: Por-
 rò si templum Dei sumus, quòd spiritus Dei habitat
 in nobis, spiritus itaq; Deus est. c ¶ Corruptet
 hunc.) Corruptet hunc Deus, quasi demolietur.
 Id autem maledicentis non est, sed prædicentis quid-
 nam futurum sit. d ¶ Sanctum est.) Ex quo igitur
 sanctum est templū, propterea quòd sanctum ha-
 beat inhabitatorem, non potest fornicator templum
 esse Dei. Quòdnam templum? Vos profectò, si mun-
 di puriq; permanseritis. e ¶ Nemo se decipiat.)
 Aliud esse putans ab ijs quæ dicta, inquit: f ¶ Si
 quis uidetur esse capiens.) Hic sapientes eos di-
 cit, qui humana sapientia præditi sunt. g ¶ Stul-
 tus fiat.) Stultus fiat in hoc seculo, humana spreta
 sapientia, compertoq; nihil ex ea utilitatis afferri.
 Hoc enim supernam illi conciliat sapientiam. Nam si
 cut paupertas quæ secundum Deum est, diuitiæ sunt:
 & ignominia, gloria: ita etiam stultitia secundum
 Deum, sapientia est. Expende autem: non ait, Abijciat
 sapientiam: uerum declarans q̄ maximè hanc despice-
 re sit necesse, ait, Stultus fiat & idiotes: nostratè hanc
 rusticitatem docens neutiquam erubescendam. Nam
 eam nobis fidem conciliat, quæ mysterium prædica-

tionis CHRISTI humanis ratiocinijs non cōmittit. & quæ quasi dicit, unde manifestum sit quòd Christus filius dei sit, uel quòd incarnatus sit proloquitur. h ¶ (Nam sapientia mundi.) Non modò enim nihil ad ueram, & quæ absolutè sapientia est, conducit, uerumetiam plurimū impedit, cū se quispiam scire quid putat, ac discere dedignatur. Id enim efficit tumor illius.

Iob 5.

Psal. 93.

Scriptum est enim: Qui^a comprehendit sapientes in astutia ipsorum. Et rursum: ^b Dominus nouit cogitationes sapientium quòd ^c uanae sint. Itaq; ^d nemo gloriatur in hominibus. Omnia enim uestra sunt, ^e siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, ^f siue mundus, siue uita, siue mors, siue ^g presentia, siue futura: ^h omnia uestra sunt, ⁱ uos autē Christi, ^k Christus uerò Dei.

^a ¶ (Qui cōprehendit sapientes.) Per sua ipsorum arma, hoc est, per astutiam cōprehendit illos Deus. Quonam modo? Cū enim per suam ipsorum astutiam, id est, calliditatem quæ circa res, & omnia nosse, & magistris non indigere se putant: per hanc ipsam eos cōclusit, & irretiuit, rebus ipsis ostendens, nihil eos necessariarū rerū nouisse. PHOTII: Quo uerò modo sapientes comprehendit per suam ipsorū astutiam? Putauerunt per sapientiam quæ illis accedebat, uim CHRISTI mysterij sese apprehensuros: ipsi uerò non modò ea non apprehenderunt, quæ se humanis apprehensuros sperauerant rationibus, ue

rum

rum contra conatum suum ea, quæ ipsorum astutiæ erant, ad maiorem illis & ignorantiam & ambiguitatem cesserunt, complectente illos cogitationū suarum imbecillitate. **b** ¶ (Dominus nouit.) Si ergo Dominus nouit, quisnam de cætero contradicet? Si uanæ sunt igitur hominum cogitationes, sapientesq; potius in sua ipsorum astutia capiuntur, quàm quicquam ex ea lucri reportent: constat nullam uel humanam sapientiã, uel cogitationū ratiociniorū uel calliditatem, ad spiritualium doctrinam seu disciplinam posse proficere. Porro si ad hæc nihil horum proficit, qua ratione docens quispiam gloriatur? præsertim cum hi, qui maximæ existimationis habentur, ostensi sint nihil ad utilitatem conferre. Patet nanque, quòd si quis etiam doceat, gratiæ ac superni muneris id esse, & non propriæ sapientiæ opus, uel acuminis ingenij. Munera uerò, non ut ex eis extollamur, sed ad cõmunem utilitatem accipimus. **c** ¶ (Quòd uanæ sint.) Quomodo non uanæ & stultæ? Nullo egere se putant, at se sibi ad ueritatis perceptionē sufficere. **d** ¶ (Nemo gloriatur.) Contra magistros illorum inuehitur: quippe qui de acceptis muneribus tam doctrinæ, quàm aliorum quorumlibet, in superbiam eleuabantur. Cur uerò magistri gloriari nõ debeant, dicens, Nemo gloriatur in hominibus? Quòd dona quæq; propter uos, qui populus estis, uobis inquam ut profint, accepere magistri. Qua igitur ratione pro ijs, quæ nequaquã per labores suos percepe-

runt, sed propter uos, ac propter uestram salutē sortiti sunt, glorientur? Nemo igitur uel in magistris gloriatur: nihil enim ex proprio habent. Vel in humanis rationibus: nam per eas ueritas comprehendi nequaquam potest. Superiori autem modo si acceperis, & huius loci lectioni, & ijs quæ sequuntur magis congruit. e ¶ Siue Paulus.) Rursum & se & Petrum posuit, & Apollo, clam illorum magistros pungens: illorum gratia eos tum dona accepisse, tum ad magisterium adscitos esse demonstrans. Hoc autē ualde eorū deturbat superciliū: idq; rursum insinuans, Si ego, inquit, Cephass & Apollo uestri sumus, magistri uestri nullo modo superbia efferri debent.

f ¶ Siue mundus.) Ipse quoq; mundus profectō, ac uita, uestri gratia & constat, & factus fuit: uerūm etiam ipsa mors ad uestri moderationem facta est.

g ¶ Siue præsentia.) Omnia propter illos facta demonstrat, tum præsentia, tum futura. h ¶ Omnia uestra sunt.) Tanquam beneficia & munera.

i ¶ Vos autem Christi.) Veluti creature, ac opificia. k ¶ Christus uerō Dei.) Vti germen ac filius. Elegāter uerō id adiecit. Cū enim dixisset, Omnia uestra sunt, uos autē Christi: ne hīc eo immorante, ingenitum & incausatum filium suspicarentur, intulit, Christus autem Dei. Non autē sicut nos Christi, ita & Christus est Dei: nequaquā: sed nos quidem ipsius Christi sumus, ut opus, ac creatura: at Christus Dei, tanquam ante secula germen, ac filius, & ut qui causam habeat patrem.

CAPVT IIII.

Sic^a nos existimet homo, ut^b ministros Christi, & dispensatores mysteriorū Dei. Hoc deinceps requiritur in dispensatoribus, ut^d fidelis quis inueniatur. Mihi^c autem pro minimo est, ut à uobis dijudicer, aut^f ab humano die, sed neq; meipsum dijudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed^h nō in hoc iustificatus sum. Qui uerò iudicat me Dominus est. Itaq; i nolite ante tempus iudicare, quousque uenerit Dominus, qui^k & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit^l consilia cordiū, & tunc laus erit cuiq; à Deo.

a ¶ Sic nos existimet.) Dicens, nos, magistros, qui apud eos erāt, taxat. b ¶ Ut ministros.) Quoniam multū deiecerat praeceptores, nunc eos paulatim erigit, ministros Christi, dispensatoresq; uocans. Veruntamen etsi ita sit, nemo tamen, Domino dimisso, cognomen accipiat à ministris. c ¶ Et dispensatores.) Dispensatores ait mysteriorum, insinuans, nequaquā indifferenter ac sine delectu cuilibet mysteria exhibenda, sed dignis duntaxat. d ¶ Ut fidelis quis inueniatur.) Fides, inquit, dispensator esse debet, & non talis, qui, quæ Domini sunt, sibi adscribat: sed, sicut ministri refert, impendat ministeria. Et hoc quoq; pacto illorum deturbat elationem. PHOTII: Hoc est enim quod requiritur, quodq; modis omnibus à dispensatoribus seruari debet, Esse fideles, & ministros se putare, nec ea sibi, quæ sunt Domini,

uendicare. VEL hūc ad modum: Existimet nos hominum cetera omnia, inquit, quæ diximus, tum etiam quod in dispensatoribus est reliquū, id etiam nos existimet: ut ab illo regatur uerbo, Existimet. Quid uerò illud est, quod in dispensatoribus queritur? Vt fidelis, inquit, quis inueniatur. Deinde ad eos se uertit, qui et impudentius locuturi, & dicere aggressuri essent. Quid ergo tu ne talis es? Occurrens huic, inquit: Mihi autem pro minimo est, ut à uobis dijudicer. Hoc uerò ait, non ut seipsum efferat, sed ut congruam prædicationi & doctrinæ dignitatem seruet. Nam si ipsum curiose scrutaretur, atq; de illo essent dubij, nullatenus profectò ea exceperunt quæ illis prædicarentur, quæq; ipsi docerentur. Non ab re igitur, sed sapienter, & ad utrorumq; salutem, huiusmodi suspicionem ac temeritatem ipsorum præoccupatione quadam exturbat, extinguit, constanterq; diruit. Postea ne non prædicationis gratia hæc dicere, & communis utilitatis putaretur, sed iactantia quadam, atque sui elatione, addit, sed nō in hoc iustificatus sum. Enim uero tametsi uobis me dijudicare non liceat, nec cæteris hominibus absolutè: sed erga me certos uos esse, nec ulla affectos ambiguitate, frui oportet prædicationis utilitate atq; doctrina: idq; tanta certitudine, ut qui noueritis, quòd neq; me ipse dijudicare debeo (quippe quod maximū est, & irrefragabile uirtutis testimoniū: quandoquidem nemo reuera nouerit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus qui in ipso est)

sed

Sed licet mihi hæc sint, ait, non sum in hoc iustificatus: adhuc enim indigemus arbitro illo, atq; iudice. Ille autem cum nondum causam omnem patefecerit, in certamine & timore, utpote nondum iustificatus, uersor. At non propter ea conuenit uobis prædicationē amplexis, ut dubij sitis erga me, uel iudicetis, & dijudicare audeatis: & quod solius iudicis illius est, in hoc stupidi uos ipsos præcipitetis, uobisq; ipsis iudicij tēpus præripiatis, intēpestiueq; usurpetis. Quòd si uerbum illud ^{scitū} quasi imperatiuum sumatur, & nō ^{scitū} indicatiuū, ut sit, querite, & nō queritur, & sensus, ut patet, nihil habebit obscuritatis, & intellectus perfacilis erit. e ¶ Mihi aut.) Ne hac occasione ipsum quoq; Paulum in disceptatione haberēt & ambiguitate, an fidelis & ipse dispensator sit nec ne, (quod in eorum sanè fidei subuersionē cederet) suam ipsius personam cōfirmat, dicens: Indignum quippe duco à quoquam iudicari. Hoc autem non ex superbia, sed, ut dictum est, ueritus ne illis ambiguā fidem faceret, dixit. f ¶ Aut ab humano die.) Cū addidisset hoc, id præ se tulit: Non modò ut à uobis dijudicer, dedignor, sed uel à quouis alio. Id enim significat, Sed neq; ab humano die. g ¶ Sed neque me ipsum.) Neq; se ipsum ad huiusmodi exactam iudicij discussionem sufficere asserit, etsi nihil mihi, ait, conscius sim. h ¶ Sed non in hoc.) Ne id quod dictum est, iactantiæ esse putares, addit: Sed nō in hoc iustificatus sum. Securitatem, inquit, nō habeo,

nisi etiam Deus iustificet. Quid enim si peccauerim, nec tamen peccasse mihi uisus sim? Vnde infert: Qui me iudicat, inquit, Dominus est, qui uerus est iudex. EVSEBII: Si ergo illum etiã, qui sibi ipsi conscius nihil est, Dominus iudicat, quatenus ipse uerus & absolutissimus iudex est: cur igitur fratres uestros ipsi iudicatis? Et hoc etiam crimen erat apud eos, quod & curare tentat. i ¶ (Nolite ante tempus iudicare.) Hortatur, ne honestum ducãt sese ulcisci: uel eos qui peccasse uidebantur, iudicare: seu in presenti ijs perturbari, quæ mortalium oculos fugiunt: quandoquidem Dominus ipse præsidiens, impiorum illuminabit abscondita tenebrarũ: piorum autem, æquorumq; modestiam, temperantiam, atq; multorũ cordium latentia manifestabit consilia: quibus etiam, inquit, laus à Deo erit. k ¶ (Et illuminabit.) Qui ea, inquit, palàm cunctis apparere faciet, quæ intra nos occulta sunt. Tenebras uerò dicit, latentes malas actiones. Nam sæpenumero iuxta apparentiam aliquod bonum quispian agit, uoluntas uerò atq; intentio nõ est sincera. l ¶ (Consilia cordium.) Omnia enim apud eum nuda & aperta sunt, nulliusq; pietatis pretextus ei, qui hunc habuerit, proderit. m ¶ (Et tunc laus erit.) Ad hoc uenit, quod esset faustus. Consequens enim fuit ut diceret: Et tunc uel supplicium erit, uel laus. Cæterum ad id sermonem inuertit, quòd boni tantum haberet rationem.

Hæc autem fratres per figuram transtuli in
me ipsum

meipsum, & in Apollo, ^apropter uos, ut ^bin nobis disceretis non supraquam scriptum est sapere, ne ^cunus propter unum ^dinflexum contra alium. ^eQuis enim te diiudicat? Quid ^fuerò habes quod non accepisti? Si ^gautem etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? ^hIam saturati estis: iam ditati estis: ⁱabsq; nobis regnum adepti estis? Et utinam regnū essetis adepti, ut & nos uobiscum regnaremus.

a ¶ Propter uos.) PHOTII: Quapropter uos in meipsum & in Apollo per figuram transtuli? Propter uos, inquit, ne tristitiam uobis inferrem si nominatim perstringerem. Emendare siquidem studebat, molestiam uerò inferre cauebat. Sed per figuram, inquit, translationem utrunq;, dummodo uelitis, habebitis, & correctionem uidelicet, & iucundio rem redargutionum ad correctionem auditum. Id uerò faciebat, ne personas per reprehensionem circumscriptas cōprehendens, humana quadam affectione, uel odio, hos quidem relaxare, illos autem uideretur opprimere. Sed multò etiam magis, ne in huiuscemodi disceptatione quos quidem pupugisset, in desperationem precipitaret, uel ad iram contentionemq; maiorem excitaret: quorum uerò per redargutiones non meminisset, hos magis superbia & arrogantia magisq; impletet. Quamobrem rectè ex nomine nō pupugit, sed in semetipsum & in Apollo reprehensione per figuram translata, sinceram, accessuq; faci-

lem admonitionem generaliter omnibus fecit. Propter uos, hoc est, ne si magistrorum uestrorum singula audissetis nomina, non admitteretis sermonem.

b ¶ (Ut in nobis disceretis.) Contra eorum magistros inuehitur. Vt ex persona nostra, inquit, modestiam disceretis, quemadmodum scriptum est. Scriptum

Matth. 10. erat autem: Quicumque uoluerit esse primus, omnium sit

Marc. 10. nouissimus. c ¶ (Ne unus propter unum.) Vt,

discipulus supra magistrum. d ¶ (Inflamini.) Magistris derelictis in populum fertur. Etenim populus propter magistros intumescibat: ut, ille qui hunc haberet magistrum, contra eum inflabatur discipulum,

qui haberet alium. At recte inflationem id dixit, quasi tumorem: accepta metaphora à corpore, cum malum hauserit humorem. e ¶ (Quis enim te iudicat.)

Quasi: Quis te iudicauit, approbavitque, o magister, laude dignum? an homo? Non est rectum iudicium hominum.

f ¶ (Quid uerò habes.) Dices sane: Rectum est circa te hominum iudicium, ac reuera pro doctrina laude dignus existis. Neque sic intumescas: haud enim tuum id facinus est, sed donum Dei. Qui uerò gloriatur, nimirum non ut qui munus acceperit gloria-

tur, sed perinde atque proprijs laboribus id affectus sit. g ¶ (Si autem etiam accepisti.)

Deinde quod ait, quasi non acceperis, per interrogationem dicit, ut ita sit sensus: Quid gloriaris? num quasi non acceperis, sed ex proprijs habeas? Atqui accepisti.

h ¶ (Iam saturati estis?) Ab ipso tempore incre-

patio-

pationem orditur, dicens: Tam citò, inquam, expleti estis, & nullo opus habetis? Iam ditati estis, nec quomquam egetis? Id enim præ se fert gloriatio, quòd nullo iam egetis, quodq; ad ipsius scientiæ culmen peruenieritis. i ¶ Absq; nobis.) Iuxta morem procedit sermo: & primũ quidem illorum ingritudinem declarat. Tot, inquit, tantisq; digni habiti donis, ne socios quidem eorum, quæ uobis donata sunt, nos admittere uultis. Mœrens, inquit, hoc aio. Porrò ironicus est hic sermo, regnum adepti estis. Utinã enim regnum adepti fuissetis: uerũ nō estis. Deinde ne id per ironiam dixisse uideretur, uidelicet, & utinã regnum adepti fuissetis, mirum in modum id quoq; se optare præ se fert. Quomodo? Quòd regnum uestrum, inquit, meum esset. Gloria enim magistri est, cum discipuli in fide ditati sunt. Si repleti, si ditati, si estis regnum adepti, gloria nostra est, si uobiscũ regnauerimus. Vos iam in CHRISTO sapientes, fortes, ac gloriosi effecti estis. quæ enim loquitur, ironiæ sunt uerba.

^a Arbitror enim, quòd Deus ^b nos Apostolos ^c nouissimos ostenderit, tanquã morti addictos: ^d quoniam spectaculum facti sumus mundo, & ^e angelis, & hominibus. ^f Nos stulti propter Christum, uos autem prudentes in Christo: nos imbecilles, uos autẽ robusti: uos gloriosi, nos autẽ inglorij, usq; § in hanc horã.

^a ¶ Arbitror enim.) Mœrentis, imò uerò con

fusione ac pudore suppleti uerba profert. Vt enim, inquit, perpendo ex ijs quæ agitis, nos Apostoli nouissimi extremiq; omnium à Deo ostensi sumus, uelut dedititij, ac morti addicti: hoc est, qui facile omnibus exponamur ad necem. Nos ergo ad mala perferenda exponimur, uos autem iam regnū adepti estis. Quæ enim, inquit, ob causam tam citò regnū adepti estis? Vt puto (id enim præ se fert, arbitror) scimus quòd tanquam nouissimi ad mala perferenda damnati sumus. Potest & enunciatiuè, simpliciterq; uerbū accipi. **b** ¶ (Nos Apostolos.) Multam habet emphasim illud quod ait, nos Apostolos: hoc est, nos qui tot tantaq; propter Christum tulimus. **c** ¶ (Nouissimos.) Arbitror enim hoc, inquit, quòd nos Apostolos extremos & prædicatores & magistros uobis præstiterit Deus, post quos nemo aliunde alios suscipere debeat. Haud enim dicere poterūt, & ipsos à Christo missos. Nos enim sumus, qui morti sumus addicti. Porrò illud, morti addicti, bifariam intelligi potest: uel quòd ipsi quidem sunt, qui per mortē rati comprobatiq; sunt esse discipuli (computans quoq; semetipsum cum cæteris discipulis, atque ex plurali sic omnes denominans.) Vel metaphoricè dictum est hoc, morti addicti, quasi immobiles, ac ueraces, post quos nulli sunt: à testamentis eorū qui morti addicti sunt, sumpta metaphora. Hæc enim firma & immutabilia. Priora enim permutari licet: posteriora uerò falsa, adulterina, ipsisq; legibus reiicienda.

Quòd

Quòd uero ait, arbitror, nequaquã ambiguitatem in-
 dicat, sed mentis habitum & affectum. Deinde etiam
 unde manifestum sit, dicit: quòd nouissimi et extremi,
 post quos nulli sunt, qui ostendi possint, qui diuersa
 prædicent. Spectaculum, inquit, facti sumus mundo.
 Mundus hic, ait, orbisq; testatur hoc: nec homines mo-
 do, uerum etiam ipsi superni angelorũ ordines. Qua
 igitur ratione uos tanquã inanis doctrinæ duces, di-
 scipulorumq; ductores, intumescitis & efferimini?
 Nam si quidem ea, quæ à nobis accepistis, docetis, di-
 scipuli estis, & frustra insolescitis: si uerò alia ab ijs
 quæ accepistis, scitote nos esse quos Deus extremos,
 nouissimos, ac morti addictos ostendit. Vnde ergo ac-
 ceptam doctrinam docetis uos? Si enim nos sumus,
 quos Deus extremos, mortiq; deditos mōstrauit Apo-
 stolos, liquet, si quod bonum acceperitis documentũ,
 uel rectum facinus, ex nostris cùm laboribus, tum do-
 ctrina uobis prouenisse. Vtinã igitur per hæc ditati
 sitis, utinam regnum adepti, ut nos quoq;, qui diuinæ
 scientiæ, qui uirtutum semina iecimus, unã uobiscum
 regnemus. Sed ueritus sum ne fortè nõ ita sese res ue-
 stre habeant. d ¶ Quoniã spectaculum.) Quo-
 modo uerò, inquit, arbitror nos esse nouissimos?
 Quòd spectaculum mundo facti sumus: id est, nõ uno
 duntaxat in angulo mala perpessi, sed ubiq; terrarũ:
 & uos regnum iam somnatis. Sed cùm de Apostolis
 hæc loquitur, opinionem illorum & uanam ostendit
 & falsam. e ¶ (Et angelis.) Talia enim, inquit,

sunt certamina nostra, ut angelica quoque contemplatione digna sint. f ¶ (Nos stulti.) Et hoc non absque castigatione. Nos, inquit, ut uideo, dum talia perpeti toleramus, stulti sumus: uos autem prudentes, qui sic uestra dispensastis, ut regnum iam in CHRISTO obtineatis, in rebus inquam, quae sunt secundum CHRISTVM. Deinde addit: Imbecilles, inglorios, ac rebus necessarijs destitutos: contra uero uos. omnino hoc insinuans: Nos potius, qui laborauimus, bonis frui debebat. Porro si nos non dum in fruitione, imo uero in malorum tolerantia uersamur, quomodo uos ueluti iam frui ac deliciati estis ob dona? Et tanquam caelorum regnum manibus iam teneatis, superbi et arrogantes estis? quod sane regnum, supra dixerat, iam estis adepti. Nos dum propter CHRISTVM patimur, stulti uidemur: uos autem ex arrogantia, et nihil perferentes, CHRISTI regnum obtinere uideamini. Et usque infra per ironiam sermonem protrahit. g ¶ (Uique in hanc horam.) Vetera, inquit, specto, et praesentia loquor.

Et esurimus, & sitimus, & nudi sumus, b & colaphis caedimur, c & uagi sumus, & laboramus, d operantes proprijs manibus: dum e conuicijs afficimur, benedicimus: dum f persecutionem patimur, sustinemus: dum maledictis laceessimur, obsecramus: ueluti g excrementa huius mundi facti sumus, h omniu reiectamentum, i usque ad praesens. Non ut k uos pudefaciam, hac

hæc scribo, sed ut filios meos dilectos admon-
 neo. Licet enim¹ decem millia pædagogorum
 haberetis^m in Christo, tamen non multos pa-
 tres. Namⁿ in Christo Iesu per Euangeliũ ego
 uos genui. Obsecro itaque uos, imitatores mei
 estote, p̄sicut & ego Christi.

a ¶ (Et esurimus.) Contra lautius uictitantes.
 b ¶ (Et colaphis cædimur.) Cõtra inflatos. c ¶ (Et
 uagi sumus.) Hoc est, persecutionem patimur, cer-
 tas sedes non habentes. d ¶ (Operantes.) Hæc
 quasi contra eos loquitur, qui lucri quæstusq; gratia
 prædicationem aggressi fuerant. e ¶ (Conuicijs
 afficimur.) Dum conuicijs afficimur, dum perse-
 cutionem patimur, dum maledictis laceßimur, non
 agrè ferimus, sed gaudemus: idcirco benedicimus.
 f ¶ (Persecutionem patimur.) Hoc enim est, stul-
 tum propter CHRISTVM factum esse. Nam qui ta-
 lia patiuntur, & non obsistunt, imò uerò mitiora be-
 nignioræue rependunt, hominibus habentur demen-
 tes. g ¶ (Veluti excrementa.) Quasi immundi-
 tia, quasi ignominiosi, & qui ab omnibus euitemur,
 facti sumus. Deinde ne putarent quòd ipsos morde-
 ret (multa enim Corinthi pertulerat) huius mundi,
 ait, non uestri. Excrementa, pro, expurgamenta.
 Quasi purgamèta, ut puluis facti sumus, qui è domo
 sumptus sit, dum sic ab omnibus floccipendimur, su-
 musq; omniũ excrementa, subijcientes quibuscunque
 nosmetipsos. h ¶ (Omnium reiectamentum.)

Ac si dixisset: Gratias omnibus habeo. At grauiter irascentis uerba promit, quò eos à superbia retrahat. Nam si nos, inquit, Apostoli in talibus uersamur, quid uos pro acceptis muneribus, quasi qui magni aliquid iam fueritis, intumescitis? *ωπιφύουα* uerò, id est, reiectamentum, dicitur *sabanum*, seu *strigil*, quo laborantis sudores terguntur. *i* ¶ (Vsq; ad præsens.) Nec enim in præsentem, ait, calumniatores conqueuerunt. *k* ¶ (Non ut uos pudefaciam.) Non ut uos, inquam, suffundam rubore, scripsi hæc, uerum ut comonefaciam. Nam si uti filios diligo, patet me omnia ad uestrum profectum facere, nõ quasi discipulis, sed tanquam filijs. *l* ¶ (Decem millia pædagogorum.) In eorũ magistros inuehitur, ostendens, quòd ipse longè magis eos, q̄ qui nũc proficerũt magistri, quiq; eos diuidebãt, diligit. Ex ipsis quoq; nominib. manifestum est: *ij* nanq; pædagogi sunt, ego uerò pater. *m* ¶ (In Christo.) Nec eos momordit, pædagos uocans, cum, in Christo, addiderit. *n* ¶ (Nam in Christo.) Neque, ait, hoc mihi uendico, sed ipsi CHRISTO. *o* ¶ (Ego uos genui.) Nimirũ uestri etiam magistri, quæ uobis dicunt, à me didicerũt. Quòd autem dicit, genui, uel nature nominibus utitur, quò charitatem præ se ferat: uel quòd reuera per prædicationem, in baptisinate uos genui. *p* ¶ (Sicut & ego Christi.) Non ut se efferat hæc loquitur, sed ut facilem eis sui imitationẽ persuaheat. Equidem si Christum imitor, qua ratione non uos me?

Idcirco

Saban Chaldaica uox, nucis aut tritici corticẽ significans.

^a Idcirco misi ad uos Timotheum, ^b qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino; ^c qui ad memoriã reuocabit uias meas, ^d quę in Christo sunt, quemadmodum ubiq; in omni ecclesia doceo.

^a ¶ Idcirco misi ad uos.) Quoniam de uobis sollicitus sum non secus atq; de filijs. ^b ¶ Qui est filius meus.) Et quam erga Timotheum beneuolentiam habeat, patefacit: eosq; ut eum cum ueneratione cernant, preparat. Nequaq; inquit, in rebus duntaxat carnalibus simpliciter fidus, uerum etiam in Domino, hoc est, in rebus etiam quę sunt secundũ Deũ.

^c ¶ Qui ad memoriã reuocabit.) Non dixit, docebit, ne difficiles se redderent, tanquam discipuli facti ipsius Timothei, qui ætate erat iuuenis. Vnde ait, uias meas: hoc est, ex proprio loquetur nihil, sed mea tantũ. Porro uias, dixit dispensationes, prædicationem, pericula, mores Apostolicos, leges diuinas, per quas, inquit, gradior. ^d ¶ Quę in Christo sunt.) Deinde in altum tollit sermonẽ, aitq; uias in Christo, id est, quę nihil in se habent humanum. Ceterũ nil uobis dicet noui, sed doctrinas meas, quas in qualibet Ecclesia doceo.

^a Tanquam non sim ad uos uenturus, ^b sunt quidam inflati. ^c Veniam autem citò ad uos, si Dominus uoluerit, ^d & cognoscam non sermonem istorum qui inflati sunt, sed uirtutẽ. Non enim in sermone regnũ Dei consistit, sed in uir

tute. ^e Quid uultis? Cum uirga ueniam ad uos, an cum charitate, ac ^f spiritu lenitatis?

CAPVT V.

OMnino ^g auditur inter uos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec ^h inter Gentes nominatur, ut aliquis ⁱ uxorem patris habeat: & uos ^k inflati estis, & non potius luxistis, ^l ut tolleretur de medio uestrum, ^m qui facinus hoc fecerit. Nam ⁿ ego quidē ut absens corpore, ^o præsens autem spiritu, iam iudicaui tanq̄ præsens, ut is, ^p qui sic hoc patrauit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ^q congregatis uobis ^r & meo spiritu, cum potestate Domini nostri Iesu Christi, tradatur satanæ ^s in interitum carnis, ut ^t spiritus saluus sit in die Domini Iesu. ^u Non est bona gloriatio uestra.

a ¶ Tanquam nō sim ad uos uenturus.) Cum dixisset, mittam Timotheum, ne tanquam ipso minime uenturo segniore euaderent, id ipsum emendat, inferens, ueniam autem. b ¶ Sunt quidam inflati.) Erant (prout par est) inter eos qui tamen in scientia, quā etiam in norma uiuendi sibi proficisse uiderentur: uel sanē propter aliquod spirituum arrogantes euaserāt, atq; inde inanis gloria, tumorq; processerat. Absentia itaq; præceptoris, cū nullus adesset qui corrigeret, superbi & elati facti fuerant. c ¶ Veniam autem.) Porrò illud, ueniam citò, interminantis ac territantis est, qui & ad sobrietatē eos, & ad modestiam impellat. d ¶ Et cognoscā.)

For san

Forsan etiam iactabāt, tanquā perfecti quidam. spi-
 ritualesq; essent. Ceterū, inquit, ueniam cogniturus,
 an de uobismetipsis iactetis (iactare nanq; absq; ope-
 ribus, nullius momenti est) an si opera sermonibus cō-
 digna fuerint. Non enim sermonibus opus est, sed ut
 qui spiritualis est, etiam opera perficiat. Nam sermo-
 nes absq; operibus in regnum cœlorum non inducūt.
 Quod sanè dicit, Regnū Dei non in sermone est, sed
 in uirtute: hoc est, in operum ostensione. e ¶ Quid
 uultis? In uestro, inquit, arbitrio pendet, ut uel si
 negligentes fueritis, me ad iracundiā ultionemq; ex-
 citetis, ut Petrū Ananias, meq; Elimas: uel si studiose
 ac sobrii, ad dilectionē. f ¶ Ac spiritu lenitatis.)
 Est nanq; tum austeritatis, tum ultionis spiritus.
 g ¶ Auditur inter uos.) Cōmune omniū crimen
 facit, ne ueluti à facinore alieni pigrescerent. Inter
 uos, ait, hoc est, qui fideles, qui tot tantisq; fructi estis
 beneficijs. Nec ait, perpetratur: sed cum excellentia,
 Auditur, inquit. h ¶ Qualis nec inter Gentes.)
 A Gentibus, hoc est, ab infidelibus probra iaciūtur in
 fideles. Porrò si apud eos ne nominatur quidē, quid
 dicat aliquis ubi opere quoq; patrat? i ¶ Vxorē
 patris.) Sanè nouercā. PHOTII: Quòd si ea quæ
 inter Gentes fiunt, hæc inter uos uel audita tantūmo-
 do, magnum afferūt dedecus: si etiam eundem ad mo-
 dum & inter Gentes, & inter uos qui estis fideles, æ-
 què turpia patrentur, quantam cumulatibitis accusa-
 tionem? Quòd si res ista, ea uidelicet inter uos patra-

ri, quæ ne inter has quidem, quã malitiã nõ excedit.
 Quòd uerò ait, omnino auditur, ueluti obstupescens est excandescentisq; super hac forma: Heu absurditatem. Omnino, inquit, auditur? Omnino ex cuiuspiam lingua hæc de uobis egressa sunt? k ¶ (Et uos inflati estis.) Delictum nanq; illius uniuersis uobis ruborem iniicere debuit: at nunc inflati estis, dum quisq; rectè agere sibi uidetur. Cæterũ si delictum eius, tanquã partis uestre proprium fecistis, lugere itaq; debetis, quoniam in cõmune totius Ecclesie detrimentum cecit. l ¶ (Ut tolleretur.) Cur lugere debueramus? quasi per obiectionem. Cur inquit? Non ut expellatis, sed ut è medio tolleretis, perinde atq; pestem quandam. Ac si dixisset: Precibus ac luctu opus est, quò pestis hæc de medio auferatur. m ¶ (Qui facinus hoc.) Nomen nequaquam prodit: quod sanè in rebus oppidò absurdis & nos facere cõsueuimus, cùm ipsam etiam appellationem, perinde atq; inquinamentũ, deuitamus. n ¶ (Ego quidè.) Sine intermissione ipsum persequitur, & ne corporalem quidem præsentiam illius ferre eos uult. o ¶ (Præfens autem.) Sese spiritu præsentem indicat, ueritus ne hũc eijcere nolint, aitq; iam adiudicauit: nemo itaq; remoretur cuncteturue. Meum in hunc iudicium iam stabilitum, iamq; prolatum est. p ¶ (Qui sic.) Nonnulli sic legebant: Eum qui sic patrauit hoc in nomine Domini nostri IESV Christi: hoc est, ut is qui in nomen Domini nostri IESV Christi contume-

lias tulit, & posteaquã CHRISTI agnomine dignus factus fuerat, talia est ausus, tradatur satanæ.

¶ (Congregatis uobis.) Ne id quod dixerat, iam adiudicauit, procacitatis uideretur, ipsos quoq; collegas adsciscit, dicēs: Cōgregatis uobis, & spiritu meo: mea, inquam, inuisibili præsentia. Deinde subdit: In nomine Domini nostri IESU Christi: hoc est, secundum Deum congregemini, & suffragia reddite, nulla circa eum uel reuerentia, uel honore præpediti. Verebatur quippe ne quid aliud adiudicarent.

¶ (Et meo spiritu.) Rursum se illis, & nedum se, uerum etiam CHRISTVM ipsum proponit, ut cum suffragia dederint, nõ secus ac ipso CHRISTO assistente, syncerum promant incorruptumq; calculũ.

¶ (In interitum carnis.) Terminum ponit satanæ, ut solum uidelicet corpus tangat, animam uerò nequaquã. Tale quiddam in Iob ait Deus: Veruntamen animam illius ne contingas. Eleganter uerò ait, In interitum carnis: quasi ut eum morbo tabefaciat. Cum enim ex corpore & escis, concupiscentiæ trahant originẽ, corpus luere pœnas mortificariq; uult. ¶ (Ut spiritus.) Ut anima, inquit, salua sit. Hoc enim modo etiam corpus solutum erit. Vel, ut spiritus sanctus saluus sit ei, nec tanquam ab impio abscedat. Et hoc illius potius refert, qui curã anxie agat, quàm qui pœnas exposcat. u. ¶ (Non est bona.) Clãm inuit eosmet esse, dum in eo gloriabantur, qui non sinerent eum restipiscere. Nam fortassis unus is erat ex

Iob 2.

sapientibus, qui apud eos habebantur.

An nescitis, ^a quòd parum fermenti totam conspersionem fermentat: ^b Expurgate uetus fermentum, ut sitis ^c noua conspersio, ^d sicut estis infermentati. Etenim ^e pascha nostrū, pro ^f nobis immolatus est Christus. Itaq; ^g festum celebremus, non ^h in fermento ueteri, neq; in fermento malitiæ & nequitiae, sed in non fermentatis, synceritatis & ueritatis.

^a ¶ Quòd parum fermenti.) Equidē illis parit: etenim si negligatur malum, reliquum etiam Ecclesiae corpus inficit, quòd ceteri quoq; id ipsum imitantur. Quemadmodum enim fermentū, licet modicum sit, totum tamen fermentat, & per totum diffunditur: ita & illius peccatum attrahit, inquit, ad se plurimos. ^b ¶ Expurgate uetus fermentum.) Eos, inquam, qui talia patrant. Vocat autem eos fermentum uetus: uel quòd per peccatum putrefacti sint, uel quòd in CHRISTO omnes noua sint creatura, tantummodo peccatū uetus sit. Illud autem, expurgate, exactam indicat purgationem. ^c ¶ Noua conspersio.) Ut omnes, inquit, nouae conspersionis sitis. Nouum siquidem hominem, uirtute praeditū: ueterem autem, impium uocat Scriptura. Insinuat uerò, non multos apud illos fuisse peccatores. Ut sitis, inquit, extra uetus illud fermentum, de quo locutus fuerat. ^d ¶ Sicut estis.) Sicut uos, inquit, nō fermentatos esse opus est. Vnde uerò patet absq; fermento nos

to nos esse debere? Illinc sanè: Pascha etenim nostrū,
 pro nobis immolatus est CHRISTVS. Vt enim qui
 sub lege uiuebant, cū temporalis irrationalisq; ab
 eis agnus immolabatur, septem diebus absq; fermento
 erant (non enim fas eis erat fermentatū uel domi
 habere, uel manducare) sic etiā uos æterno, rationa-
 li, mundi q; peccatum tollente agno immolato (hoc e-
 nim pascha nostrum est) debetis & absq; fermento
 semper esse, & noua conspersio, nihil ueteris fermenti,
 peccati inquam, uobis ipsis superaspergentes. Ex-
 pende autem quonam pacto, mutuo, consequenter q;
 perstiterit in metaphora. Ex quo enim peccatū illius
 qui fornicationem patrarat, fermentum dixerat, in-
 dicans quòd nequaquā hoc expurgato fermento, alia
 rursus citò con fermentetur conspersio: consequenter
 & ea que deinceps sequuntur aptauit, & fermentū
 uetus, & nouam conspersione, & infermentatos, no-
 minibus hisce & uirtutes & malitias subinde mon-
 strans. e ¶ Pascha nostrum.) Enim, coniunctio
 causalis est: in causa igitur ponitur. Pascha enim no-
 strum, inquit, pro nobis immolatus est CHRISTVS.
 Nam quoniam lex iubet, ut post primogeniti hostiā Exod. 12.
 in pascha, septem diebus panes non fermentatos co-
 medant: inquit, typum fuisse azyma illa, ut ipsi intra
 nosmetipsos malitiæ haberemus nihil: de qua inquit,
 CHRISTVS enim immolatus, in typum illius primo-
 geniti agni mactatus fuit. Admodum igitur necessa-
 rium est, ut ipsi quoq; typum infermentatorum com-

pleamus, nosmetipsos expurgādo à nequitie fermento, quò pascha illud intelligibile cõpleamus. f ¶ Pro nobis immolatus est Christus.) Rursum benedictiorum meminit. g ¶ Festum celebremus.) Pro magnis enim donis festum quoq; celebrare oportet. h ¶ Non in fermento.) In prima metaphora perstitit: ac si dixisset, Non in praua & mala, sed in uita quæ nullam ueteris illius fermenti admixtionem habeat, iam aceto, iamq; putredine tabefacti: hoc est, in pura & incorrupta uita. Id nanq; dixerim, In nõ fermentatis sinceritatis ac ueritatis.

^a Scripsi uobis in epistola: Ne admisceremini ^b cum fornicarijs, ^c & non omnino cum fornicarijs ^d mundi huius, uel auaris, uel rapacibus, uel idolorum cultoribus: ^e alioqui debueratis iam ex hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi uobis, ne cõmisceamini. Si is qui frater nuncupatur, est fornicator, aut auarus, aut idolorum ^f cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi ne cibum quidem sumatis. ^g Quid enim ad me etiam de exteris iudicare? Nonne de ijs qui intus sunt, iudicatis? ^h Externos autẽ Deus iudicat. Etiam ⁱ auferte istud malum ex uobis ipsis.

^a ¶ Scripsi uobis.) PHOTII: Vbi scripserat: Vbi ait: Et non potius luxistis, ut tolleretur de medijs uestri huiusmodi. Non hic uel ille, sed si quis huiusmodi fuerit. Ac rursus, Expurgate uetus fermentum: non hoc uel illud, sed totum uetus fermentum. Sumpta enim ab uno

ab uno, qui fornicatus fuerat, materia, ad cōmune ascendere fecit sermonem, hoc est, ad quemlibet fornicarium: indeq; rursus cōmuniorem adhuc sermonē proferens, producit idipsum interdictum ad illos etiam, qui in similia prolapsi fuerant errata, ut ad auros, idololatrias, & si quid huiusmodi est. **b** ¶ Cum fornicarijs.) Ne putarent à Græcorum etiam fornicatoribus abstinendum, intulit: Hoc sanè fieri nullo modo posset, ab ijs maxime qui urbem incolunt: corrigens illud, emendansq;. **c** ¶ Et non omnino.) Omnino, hoc in loco pro re confessa positum est.

d ¶ Mundi huius.) Fornicarios mūdi huius, Græcorum fornicatores dicit. **e** ¶ Alioqui debueratis.) Satagit ut cum possibilitate, facilitatē etiam habeat legislatio. Nolite iudicare fornicarios mundi huius, seu idololatrias, alioqui necessariū uobis foret ex illis exisse: sed iudicate ac diiudicate fidelem fornicarium. **PHOTII:** Vocolam illam, nuncupatur, nōnulli quidem præcedenti copulant dictioni, ac declarari per hoc ipsum uolunt, quòd dum frater quidem nuncupatur, & nomine tenus cōmunionem habet et societatem, re autem uera per ipsa opera, & hostis est, & separatus. At mihi rectè habere uidetur, si quis etiam eandem ipsam ijs quæ dicta sunt acceperit copulatam, non iam illius, nempe nuncupatur, ut eundem exprimat intellectum, sed contrariū: Hominem, inquam, illū qui per præcedentia, iamq; manifestata opera ab omnibus quoq; secundum opera sua

denominatur. Enimvero lectionis huius significatio, non secus ac alie plurimæ lectiones, bifariam scinditur: tum quidem, ut diximus, cum qui solius nominis est particeps, indicās: tum uerò illum qui in uerticem conscenderit actionis, ita ut cōmunem illam appellationem in seipsum amplexus, ex hac potius, quam ex peculiari ac proprio nomine, & cognoscatur, & uocetur. Talem igitur scortatorem, auarum, maledicū, ebriosum, hoc est, illum qui in propatulo talis est, ita ut sic ab omnibus & dignoscatur, & nominetur, hūc inquam & fugi imperat & uitari, & cum eo nec cibum sumere, nec miscere sermones, nec simul uitā ducere: non autem illum, quem quidam carpunt esse maledicum. Ideo sapienter admodum atq; strenuē ceteris absurdis operarijs maledicū quoq; iunxit, ut cum eandem se nouerit pœnam exoluturum quam scortator & idololatra, quantum ad hoc quòd sit ab omnibus euitandus, linguam infrenet atq; cobibeat, nec eam permittat uitas depascere proximorum. Porrò idololatra hac mihi de causa connumerari hoc in loco uidetur, ut doceat & confirmet, quòd licet magna & absurdissima sint de quibus nonnulli hominē accusent, si tamen in lucem ipsa audacia nō prodierit, neque sic decere ut ex sola suspitione is arceatur ac deuitetur: alioqui profectò hūc ad modum suspitionibus & calumnijs, quibus mortales mutuò inter se in hostium, imò uerò in corrodentium uitam excitantur, consuetudinē omnem ciuilitatemq;, qua cum illis con-

iuncti

iuuenti sunt, transmutabunt. Cæterū illum à seipſis abdicare, illum longius ſequeſtrare oportet, qui manifeſtus & operibus ipsis, & cōmuni omnium denominatione aſſeritur. f ¶ Aut idolorum cultor.) Et qui fieri poteſt, ut qui frater eſt, hoc eſt, fidelis, idolo latra ſit? Id enim ſignificat, qui frater nūcupatur. Quia nōnulli idola etiam poſtquam crediderant, retinebant: & idcirco ait, Qui frater nuncupatur: re enim uera, qui huiusmodi eſt, nec fidelis eſt.

g ¶ Quid enim ad me.) Cauſam deinde, ob quam cum Græcis fornicarijs, auaris, cæterisq; cōmerciū habere non interdicit, promit: Quòd de illis, inquit, iudicium Deo permittendum eſt. At nos dum fratres iudicamus, corrigimus: dijudicareq; eorum uitam, ut emendentur, permittimur. h ¶ Externos autē.) Deinde ne Græcos delinquentes impunitos fore arbitraberis, terribilius illis locauit tribunal, nēpe ipſius Dei. i ¶ Auferte iſtum.) Teſtimoniū adduxit, ut id longè ante legem ſtatutū fuiſſe oſtendat, nec ullo modo recentem aliquam mutationē. Porrò illud, ex uobis ipsis, plurimū ex hoc quoq; eos profecturos inſinuat, ſi mali ſequeſtrentur.

CAPVT VI.

AVdet^a aliquis ueſtrūm, negociū habens aduerſus alterum, iudicari apud^b iniquos, & non apud^c ſanctos? An nescitis quòd^d ſancti hunc mundum iudicabunt? ^e Et ſi in uobis mundus iudicatur, indigni eſtis minimis iudicijs? An

nescitis quòd ^f angelos iudicabimus, nedum ad uitæ usum pertinentia: ^g Igitur ad uitæ quidem usum pertinētia iudicia si habueritis, qui ^h contempti sunt in ecclesia, ipsos constituite. ⁱ Ad erubescēntiam uestram dico. Ad eò nō est inter uos sapiens ullus, qui possit diiudicare inter ^k fratrem suum? Sed frater cum fratre litigat, ^l idq; apud infideles?

a ¶ (Audet aliquis.) Vides quòd quasi super manifestis accusationem facit, moxq; ex ipsis initis aperit indignationem, & audaciam præuaricationemq; rem ipsam uocat. PHOTII: Cum, inquit, sic, iuxta quod competit, isti sese habeant, et fratres quidem qui sunt inter uos, iudicandi habeant potestatem, in exteros uerò id agere non permittantur: audet quispiam externos aduocare iudices sibi ipsi, & non confunditur uel id mente percipere? Qui fideles sunt, incredulos sibi ipsi statuent iudices? Pro sanctis uerò iniustos eligent? Porro admodum sanè hoc unde quaq; munit, nempe ut sibi caueant, & nullam dent occasionem uel in re incredulis, neq; litigando, neq; quicquā aliud nō honestum, uel pacificum peragendo: id enim efficiet, ut nec nomen Dei male per illos audiat, & eos ad amorē desideriumq; religionis excitabit. b ¶ (Apud iniquos.) Quod in primis is qui litigat assequi cupit, uidelicet iustos, ostendit eum non esse assecutum: iniusti enim sunt, inquit. Veruntamen notandum de Græcis dictum esse iudicibus. Num quisquam facinus

hoc

hoc audeat? hoc est, litigare cum fratre, idq; non apud sanctos, sed apud Græcos? c ¶ Apud sanctos.) Ex nudis ipsis nominibus distinctione iudicij facit, hos quidem iniquos, hos autē sanctos uocās. d ¶ Quod sancti.) Audeat ne quisquā uestrum rem hanc perpetrare, ut cum litem & controuersiam habet cum fratre, non iudicetur apud sanctos, sed apud Græcos? Quam fide digni sint, ob id maxime, quod sanctos uocauit, ostendit. Magnificentius illos adhuc extollit: nam mundum, inquit, ipsi iudicabūt. Haud uerò ipsi uel sedentes, uel iudices erunt, nequaquā: (Dominus enim est qui iudicat) sed mundum cōdemnant. Quomodo? quod & ipsi homines fuerūt similes nobis passibiles, attamen crediderunt, ac bonam conuersationem ostenderūt. An nō eorum, qui huiusmodi nō fuerint, accusatores erunt? Arguent enim nos, quod nequaquam naturæ infirmitate, sed socordia peccauerimus. Quod significans, addit: Et si in uobis iudicatur mundus. Non ait, à uobis: sed, in uobis, id est, per uos. e ¶ Et si in uobis.) Rubor, inquit, est uobis, qui mundum ipsum iudicaturi estis, dum in uilibus iniustisq; prætorijs infidelium iudicamini. f ¶ Angelos iudicabimus.) Angelos, dæmonas dicit, ut etiā ipse CHRISTVS ait: Diabolo & angelis eius. Quo Matth. 25. uerò modo eos iudicabimus? Quādo incorporei cum sint, nobis, qui carnem hanc circumscriimus, sese inferiores reppererint, grauius condemnabuntur. PHOTII: Si angelos qui ob sui consilij nequitiam à pro-

prio ordine exciderunt, iudicabimus, hoc est, conuincemus, qui sumus cum corpore: quoniam ipsi absque corpore existentes, proprium ritum non seruauerunt, nos autem iuxta leges nobis à Domino latas, & quidem illis calumniantibus, uitæ seruauimus institutum: si illos igitur reuincemus, ac eorū delictum reddemus inexcusabile, quanto magis idonei sumus, qui ad uitæ huius pertinentes controuersias, mutuas lites, contentionesq; dirimamus? Quòd si dictis nondū flectimini, sed imbecille fidelium tribunal ducitis adhuc, impotensq; ad lites uobis & controuersias dirimendas: attamen licet secundū uos imbecilles sint, & cōtempti fideles, impotentesq; ad rectum iudiciū discernendum, satius est hos quotiescūq; ad uitæ huius pertinentium usum, hoc est, rerū quæ ad uictum pertinent, iudices constituere, quàm infidelibus uosmet ipsos in iudicium dedere. Contemptos porro, inquit, dixeram, quòd uos pudore afficerem, & rubore: quando quidem multi inter uos sint, qui lites dirimere & controuersias possint. Enim uero cuius de decoris ac uituperij non est hoc? Nunquid non uel unus, inquit, sapiens est inter uos, qui ius inter litigantes fratres dicere possit? Plurimas ac diuersas porro demonstrationes ponit, quòd nō oporteat, posthabitis fidelibus, infidelium adire tribunal. Primò quidem, quòd nos fideles neutiquam in presenti tempore infideles illos iudicamus. Quid enim ad me, inquit, & externos iudicare? Qua ratione non magnum erit de decoris, si fideles

les ab incredulis iudicentur? Secundò est: Cum hi quidem sint iniqui, illi autem sancti, quoniam pacto stolidum non fatebere, sanctis posthabitis, ad iniquos currere, idq; cum spe assequendi æquum? Tertio: Si sancti mundum conuincant, inuitabilemq; ipsis ultionẽ ob id uel maximè exhibebunt, quòd cum eiusdem nature sint, uirtutesq; agant, sui similes non habebunt, qui redarguant: quantò magis inter duos ius dicere, ac iudicare possunt? Quarto: Si angelos incorporeos, demones inquam, iudicio cõuincere possumus, quantò magis eos qui eiusdem nature nobiscũ sunt, atq; uictus? Quintò: Licet non ualerent iudicare fideles, satius tamen esset uel sic apud ipsos, quàm apud incredulos, iudicari. Huc accedit, quòd si mundum, inquit, iudicabimus, qua ratione non est uobis indignũ iudicium infidelium? Id nanq; insinuat, ubi ait: Et si in uobis iudicatur mundus, indigni estis exiguis ijs iudicijs? Huiusmodi uerò demõstrationibus adductis in medium, quòd apud infideles iudicari non deceat, ad maiorem adhuc perfectiõnem sermonem extollit, & ait: Quid aio, quòd non oportet ut iudicemini apud incredulos? Melius profectò esset, si ne apud fideles quidem: sed longè melius, si nec lites inter uos mutuò haberetis. Hæc enim ipsa omnino mutua accusatio, delictum est uestrum. Optimum esset itaq; si nullus iniuria uel afficeret, uel afficeretur: id enim cõmunis omnium esset & uirtus, & salus. At si ex duobus alterum fuerit necessarium, potius eligendum est iniu-

ria affici, quàm afficere: hoc enim de regno eijcit, illud autem ipsum acquirit. Porro si nō modò iniuria affici nō eligitis, uerum etiam afficitis, idq; etiam fratres, & eos qui non secus ac uos fideles sunt, quò uobis progredientur supplicia? g ¶ Igitur ad uitæ quidem.) PHOTII: Hoc est, si ijs indigebitis: si fuerit necessarium ut hæc inter uos sint: si fuerit opus ut hæc constituantur. Et si hoc modo legas, facilis quidē & ad manus intellectus erit atq; constructio per sese: & etiam continget, ut qui exponit, profundiorē peruideat lectionē, & candidius explicet intellectu. h ¶ Qui contempti sunt.) Ex abundantia nos ab externis tribunalibus abstinere uult, atq;: Potest ne quisquam reuera dicere, nullū esse in Ecclesia sapientem, qui diiudicare queat? Si enim iuxta uestrum sermonem nullus est sapiens, eos qui contemptui habentur, hoc est, uiliores potius ad lites dirimendas, quàm infideles, iudices constituite. i ¶ Ad erubescētiā.) Ut uobis, inquit, ruborem iniiciam, utq; per excessum occasionē uobis penitus amputem, dixi eos iudices præfici oportere, qui contemptibiliores sint: quando quidem tanta sapientium apud uos penuria est, ut eos qui contempti sunt, in iudices statui sit necesse. k ¶ Inter fratrem suum.) Fratrem addidit, illud præ se ferens: Vbi, inquam, inter fratres controuersia agitur, non multa conciliatoris opus est notatione seu experientia, cum scilicet fraternus affectus plurimum ad controuersie solutionem conferat.

l ¶ Idq;

l ¶ Idēq; apud infideles.) Duplex sanè malum. Nam si idipsum quoq; causam litē tue habere fratrem, malum est: quantò magis cū hoc idem apud infideles agitur?

Igitur iam quidem ^aomnino delictum in uobis est, quòd lites haberis inter uosmetipsos. ^bCur non potius iniuriam patimini? cur non potius damnum accipitis? Sed uos iniuriā irrogatis, & damnū infertis, idēq; fratribus. ^cAn nescitis quòd iniusti, regni Dei non erunt hæredes? ^dNe erretis. ^eNeq; fornicarij, neq; idololatræ, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neque ^febriosi, neq; maledici, neque rapaces, regni Dei hæredes erunt. ^gAtq; hæc quidem fuistis, sed ^habluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis ⁱin nomine Domini Iesu, & in spiritu Dei nostri.

^a ¶ Omnino delictum.) Iudicibus permutatis. Rursum hoc ipsum litigare detestatur, delictum idipsum uocans, nec iniuria quidem: ira enim uictus est is, qui cum qui iniuriam intulit, ad iudicium citat. Dum lites, inquit, habetis, iracundiæ avaritiæ uē passione uicti estis. ^b ¶ Cur non potius.) Multiplex est crimen: primū, quòd qui iniuria afficitur, nō ferat: secundò, quòd ipse iniuria afficiat: tertio, quòd etiam fratri iniuriam inferat. ac si dixisset: Bonum quidem est neq; afficere, neq; affici iniuria: si autem daretur optio, longè melius est affici. ^c ¶ An nesci

tis.) In minas sermonem concludit, dicens: Iniusti,
 regni Dei heredes non erunt. d ¶ Ne erretis.)
 Clam innuit hoc in loco, nonnullos apud eos fuisse qui
 dicerent: Humanus ac benignus est Deus, atq; omni-
 bus indulget: nec non in cœlorū regnum omnes, mul-
 titudine bonitatis suæ, peccatores infert. Ait itaque:
 Ne erretis, hæc & dicentes, & sperantes: prorsus e-
 nim deceptio, errorq; est, dum quispiam bona spera-
 uit, alia uerò reperiat. e ¶ Neq; fornicarij.) Clam
 culò illum tangit, qui fornicationē patraret: idcirco
 posuit, Neq; fornicarij. f ¶ Neq; ebriosi.) Cur, in-
 quam, ebriosos & maledicos, unà cum fornicarijs, a-
 dulters, idololatrijsq; posuit? Primū quidem, quia &
 CHRISTV seum, qui fratri suo dixerit, Stulte, reum
 pronunciauit gehennæ. Et Iudæi quoq; ex ebrietate
 ad idololatriam deuenerūt. Deinde inquit: Hi deniq;
 omnes à regno cœlorū exciderūt. Porrò reliquū sup-
 pliciorū discrimen illic sciemus. g ¶ Atq; hæc qui-
 dem.) Hæc, inquit, habebatis multi, fuistisq; quidā
 hæc habētes. h ¶ Sed abluti estis.) Dein etiā ipse
 Christi beneficia enumerat. Fulistis sanè, inquit, quæ di-
 ximus, sed purificauit uos Christus: neq; id modò, ue-
 rum etiā sanctificauit: neq; hoc tantū, sed etiam iusti-
 ficauit. i ¶ In nomine Domini.) Atque hæc
 omnia, inquit, uobis fuerunt in Christi nomine, & in
 sancto spiritu: hoc est, per Christum, ac per spiritum,
 non per hunc, uel illum. Clam rursus illorum tangit
 præfectos, sapientes inquam, atq; diuites.

Omnia

Omnia mihi licent, sed non omnia confe-
runt. Omnia mihi licent, ^b sed ego sub nullius
redigar potestatem. ^c Escæ uentri, & ^d uenter
escis: Deus autem & ^e hunc & illas abolebit.
Corpus autem ^f nõ fornicationi, sed Domino,
& Dominus corpori. ^g Deus autem & ^h Domi-
num suscitauit, & nos suscitabit per ^k potestatem
suam. An nescitis, quòd corpora uestra mēbra
Christi sunt? Num igitur ^l tollēs membra Chri-
sti, faciam membra meretricis? Absit.

a ¶ Omnia mihi licent.) Descendit ad aliā pas-
sionem, & cōtra gulæ deditos inuehitur. Licet mihi sa-
nè & manducare & bibere: cæterū, si id fiat immo-
deratè, nõ cōfert. b ¶ Sed ego sub nullius redigar
potestatem.) In meo pendet arbitrio, & manducare,
& bibere: at si me ijs immoderatè dederò, seruus pro
domino illorum reperiār, ijsq; seruus ero. Ait enim,
Quorum Deus uenter est. Non igitur sub potestatem
ullius horum redigar. c ¶ Escæ uentri.) Escas
hoc in loco ingluuiem dicit. Ventrem autem non ute-
rum, sed gulositatem. PHOTII: Si quidem
escas simpliciter pro alimento accipi oporteat, &
uentrem pro ipsa sumptione ciborum, præstat si in
predictione futuri accipiatur quod additur, uide-
licet, Deus autem & hunc & illas abolebit.
Hoc est: Cæterum hæc in resurrectione, ociosa at-
que inutilia, Deo nos ad incorruptibilitatem coa-
ptante, sent: neque alimento opus erit, ad nullam

ciborum sumptionem uentre se apparante. Effet etiā horum sanè uerborū intellectus, uide licet, Escæ uentri & uenter escis, huiusmodi: Mutuò, inquit, & excitant sese, & exposcunt. Appetitus nanq; uentris cibaria expetit, rursumq; cibaria appetitū, qui in nobis est, excitant & exuscitant. At Deus, inquit, ociosa & minimè necessaria ambo in resurrectione monstrabit. Non igitur oportet multū ijs studium adhiberi, quæ nullius sunt usus futura. Porro si escas quidē pro insatiabili escarum appetitu, uentrem uero pro uentris acceperimus inexplebili auiditate (nihil enim, quin hæc his uerbis declarētur, prohibet) quod adiungitur, nequaq; prædictionis seu prophetiæ, imò uerò imprecationis ac pœnæ intellectum reddit. Delebit hæc, inquit, Deus: auferet hæc à uobis: repellet, inquam, inexplebilem edendi auiditatem, gulositatemq;: liberos ab his malis cōmonstrabit. Ceterum si imprecationes addimus his ipsis, nosq; ipsos ijs liberari comprecamur, qua ratione non etiam abominabimur? d. ¶ (Et uenter escis.) Ac si dixerit: Ingluuias cum gulositate amicitia habet, contraq; hæc cum illa: nec possunt hæc nos ad CHRISTVM perducere, sed obtemperantes mutuò sibi inuicem transmittunt, hæc ad illam, illaq; ad hanc. e. ¶ (Deus autem & hunc & illas.) Non uentrem ipsum, sed immoderantiam: neq; ipsum cibum, sed delicias. Quid uerò est, abolebit: Quidam sanè aiunt, futuri seculi id esse prophetiam, quòd ibi neq; manducetur, neq; bibatur

tur. Si enim id quod moderate cōmensurateq; fit, habet finem, longè magis quod excedit mensuram. Nō nulli uerò inquit, quòd per preces sigillum sermōni imposuerit: quandoquidem & hanc, immoderantiam uidelicet, & illas, delicias inquam, aboliturus sit Deus. f ¶ (Non fornicationi.) Ne cūm dixerat, uentrem, quòd corpus ipsum accusauerit, arbitrare-
 ris, ostendit quòd nequaq; corpus criminatus sit, dicendo uentrem, sed gulæ cupiditatē. Corpus nanq; ait, nō ad delicias conditū fuit, utq; inde in fornicationem prolabatur: sed ut CHRISTVM, tanquam reuera caput suum, sequatur, & ut ei CHRISTVS inseratur. Consequens autem fuerat ut diceret, Corpus autē non ad delicias, uel gulæ illecebras nacti sumus: sed hoc per silentium omisso, fornicationem, quæ inde exoritur, dixit. Quidnam significans? Effectū gulæ fornicationem esse. g ¶ (Deus autem.) OECUMENII: Sanè quia adhuc pueri erant, condescendere illis oportuit, proq; mensura infantiae illorum loqui. h ¶ (Et dominum.) Ne perturberis cūm audieris, quòd Deus CHRISTVM excitauit. Non idcirco hoc dicit, quòd seipsum excitare nequiverit: nam ipse est qui dicebat, Soluite templū hoc, & ego IOAN. 2. in tribus diebus excitabo illud, & potestatem habeo ponendi animam meam, ac rursum sumendi eam. Et in Actis dicitur: Quibus etiam præbuit seipsum ui- ACT. 1. uum. Sed Apostolus ea quæ filij sunt, dat patri: ac rursus quæ patris, filio. Quæ enim facit pater, eadē

facit & filius. i ¶ Et nos suscitabit.) Si igitur membra sumus CHRISTI, quemadmodum reuera sumus: capite resuscitato, manifestum est reliquū quoq; corpus pariter resurrecturū. k ¶ Per potestatem suam.) Quod uerbo persuaderi nō poterat, per uirtutem ac potentiam Dei fide dignū sit. quippe quod ad CHRISTI resurrectionem non addit, (facta enim iam fuerat) sed ad nostram, ne diffidemus, & ut contradicentium obstrueret ora: l ¶ Num igitur tollens membra.) Deinde ad propositam exhortationem redit, contra fornicationem inquam. Expende autem: nō ait, Membra Christi coadglutinem meretrici: sed, quod longē terribilius erat, Tollere sua ipsius membra, ne sint CHRISTI, & facere ut sint meretricis.

Gen. 2. An nescitis, quōd qui copulatur meretrici, unū corpus est. ^a Erūt eīm, inquit, duo in carnē unā. ^b Qui autē copulatur Domino, ^c unus spiritus est. Fugite fornicationē. ^d Omne peccatū quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in ^e propriū corpus peccat.

^a ¶ Erunt enim, inquit.) Vetus Testamentū in testimonium profert. Quo uerō modo erūt in carnem unam? Quōd copula non sinit, ut duo iam sunt duo; sed unum efficit. Quoniam membra CHRISTI est homo: qui scorto unitur, unum sese cum illo efficit, ac CHRISTI membra contaminat. Licet enim duo in carnem unam per uerum uniantur matrimonium

nium, modo tamen eodem & per execrandam for-
 nicationem. *b* ¶ Qui autem copulatur domi-
 no.) Cernis quomodo per nuda hæc uocabula, me-
 retricis uidelicet ac CHRISTI, accusationem pro-
 trahat, illam magis magisq; augens? *c* ¶ Unus spi-
 ritus est.) Quod is, inquit, qui huiusmodi est, etsi cor-
 pore circumdetur, totus solusq; spiritus fit, dum nil a-
 git carnale. OECUMENII: Seu quod sancti spi-
 ritus interuentu CHRISTO copulatur, per spiritua-
 lia opera illi agglutinus. PHOTII: Uniformis est,
 fit omnino per unionem ad Dominū spiritualis, car-
 nales affectiones nō attrahit, ad nullam Deo seruien-
 di & mammonæ duplicitem diuiditur: sed quidam
 totus est, ac totus spiritualis, dum ad unionem cogi-
 tur spiritus. *d* ¶ Omne peccatum.) Corpus,
 inquit, per fornicationem coinquinatur totum: un-
 de mos est scortatoribus ad balnea currere. Porro
 homicida quidem, ac rapax, manum dumtaxat scœ-
 dant. Quod autem dicit, fugite, abstinentiam,
 eamq; cum studio indicat. OECUMENII: Vel
 quod cetera peccata ex animali quoque passione
 gignuntur, quemadmodum ira circa homicidam:
 inanis gloria circa eos qui diuites euadere optant:
 at fornicatio ex ipso corpore fontes originisue con-
 cupiscentiæ haurit. Rem uerò exterminari uoluit,
 quoniam de ea propositum erat illi exhortationem
 facere. Non enim omnium pessimam sanè fornicationem
 dixerim. *e* ¶ In proprium corpus.)

Hoc est, immundum reddit illud. OECUMENII:
 Plures in id sanctus Seuerianus expositiones tulit, uo-
 lumine 57. oratione 3. cap. 19. & hanc Chrysostomi
 esse affirmans, atq; alteram. Prima, quoniam qui for-
 nicatur, inquit, in suam ipsius substantiam, & in hu-
 mani corporis structuram delinquit, in ipsius corpo-
 ris domicilium contumelias inferens. Altera est: Quo-
 niam homo corpus ac membra CHRISTI est: qui er-
 go in proprium corpus peccat, in CHRISTVM, qui
 caput est nostrū, delinquit, cuius etiam templum est
 ipsius corpus. Post omnia, hæc quoq;, si uelis, accipi-
 to. Cupiens de medio fornicationis facinus auferre, ta-
 lem quendam dicit sensum, quòd mille scortator sup-
 plicijs dignus sit. Qui enim à proprij corporis inqui-
 namento non abstinet, quando ab alterius abstinebit?
 Qui enim sibijpsi malus est, quomodo alteri bonus
 erit? Et aliter: De uiro & muliere scriptum est, Erūt
 duo in carnem unam. Qui igitur non legitimo diui-
 noq; connubio, sed fornicatione oblectatur (decete-
 nim honorabile connubium habere, ac torum imma-
 culatū) ex fornicatione & immunditia, quæ inde ori-
 tur, tam matrimonium cōtumelia afficit, quàm uxo-
 rem. Qui hoc agit, in suum ipsius corpus peccat, dum
 in propriam peccat uxore, quippe quæ unū idemq;
 corpus cū uiro est. Corpus, inquā, uiri est, in quantū
 costa ipsius, atq; ex eo sumpta. Extremam sane præ-
 stantissimam sententiam reor: exactissimū siquidem
 sensum totius dicendi ordinis seruat. Sic enim inueni-
 tur.

Gen. 2.



tur: Omne peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra fornicationem est, ac immunditiam, per concubitum in uxorem: qui autem fornicatur, in uxore crimen admittit impudicitiae, cum eam dedecore etiam adimpleuerit. Sancti quoq; Athanasij, praeter haec omnia, in libro De casto coniugio, expositio extat, ac praeter haec tota, ita interpretatus est: Ad molles, carnisq; amatores Paulus scribens, ad fornicationis redargutionem amore carnis illorum pro adminiculo, adiutoreq; usus est, id inquitens; Reliqua facinora laedunt animam, inq; ipsam duntaxat nocumentum mittunt: at qui fornicatur, & anime nocet & corpori, corrumpens dissoluensq; illud, necnon animale ac uitalerobur eneruans. Ac si dixerit: Corpori saltem uestro, quod amplectimini, quod fouetis, & cuius pluri mam habetis rationem, parcite. Eiusdem OECUMENII: Quid igitur? Inuidia, inquit, corpus non tabefacit? Cur, inquam, solam fornicationem id facere ais? Multum sane audacter Apostolus locutus est, ait enim: Omne peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra corpus est. Liur enim a nobis fit, imò in nos agit: patimur itaq; & non agimus inuidiam. Passio proinde est, & non actio. Porro de actione loquitur hic Apostolus (ait enim, omne peccatum quodcunque fecerit homo) non de passione. PHOTII: Hoc sane delictum proprium corpus scindit, ac in seipsum, & non in alterum, iniquitatem demonstrat: quippe quod in nullo aliorum peccatorum inuenies. Omnes

enim alijs nocumentū inferentes peccant: qui uerò fornicatur, sibi ipse. EIVSDEM: Continuata deinceps consecutio indicat, sententiam intellectumq; totius dicendi ordinis ab seipsa præstructi, esse talem: In proprium corpus peccat, hoc est, in ipsum profectò Domini sui corpus. Siquidem infert: An nescitis quòd corpora uestra templum sunt spiritus sancti? Et rursum: Et non estis uestri ipsorum. Et paulò ante: An nescitis quòd corpora uestra membra sunt Christi? Ac iterum: Tollens igitur membra Christi. Itaq; qui fornicatur, in ipsius Christi membra, ac in proprium ipsius Christi corpus delinquit. Quid igitur, ait? Qui reliqua patrant peccata, nunquid nò iuxta hanc rationem illi quoq; in ipsius Christi corpus delinquunt? Cui respòdemus obiectioni, quòd nequaquam eundem ad modum. Licet enim per membrum aliquod quis furetur, & necet, peccatum quidem facit, non autem in ipsius membrum, sed extra, & in alium quempiam male operatur: at qui fornicatur, & per membra quidem, ut illi, & in ipsius membra, & in totum corpus damnum exhibet & iniquitatem. Non ait, Per corpus peccat, quod plurimi arbitrati, molestiam interpretibus præbent: sed, In ipsum peccat, in ipsum delinquit, ipsum coinquinat, ipsum execrabile præsert. Ac si dicat quispiam: Ille seipsum contumelia, dum alium afficere putat, afficit. Loquitur enim nunc Apostolus non de pœna, quæ posthac delicto seruabitur: sed de contumelia, quæ ex concubitu in ipso

ipso actu infertur corpori, hoc est, de inquinamento. Qui enim necat, alium necat: qui uerò fornicatur, seipsum contumelijs afficit: & qui cetera committit errata, in aliena à se perpetrat: qui autem scortatur, seipsum uituperat, seipsum conspurcat. Vnde & inquinamenti nō nescij, absurditatemq; execrantes, lauantur. Nam reliqua quidem delicta in eum quoq; respiciunt, qui iniuria afficitur: hoc autē, in eum qui afficit. Reliqua, extra corpus sunt patrans: hoc autē, patrans ipsum cōmaculat. Et in alijs quidē alijs nocet, in fornicatione autem sibijpsi. Si autem secundam ut tibi portam referem uelis, scito quòd saepe homini, qui nō uenia maiorē habet defectum, hortantes dicimus, Frater abscede ab hoc morbo, hic omnium est pessimus: nō quòd omnes sanē excedat, sed quòd eo quoque ipsum liberari cupiamus. Fortassis et id super fornicatione Apostolus dixerat. Eum nanq;, qui apud Corinthios fuerat fornicatus, respiscere uolēs, in hac uocem erupit. Si autē & tertiā, noueris quòd quēadmodum qui in mare triticū, uel aliud semen iacit, in ipsum semen peccat, prohibēs ne ad germen ueniat: ita quoq; qui in meretricem semen suum iacit, in suum ipsius corpus peccat: quippe cū illa nō solum natū occidat, uerum etiā nasci prohibeat. Quòd si & quartam, scire oportet, quòd eadem ratione qua agit, etiā patitur. Nisi enim pertulisset, nequaquā profecto lauisset: quòd si lauit, corruptus erat atq; foedatus: si autē foedatus, etiā cōtumelia affectus. Deniq; super nulla

alia actione, præterquam super solo uiri ad mulierem
 congressu, dicitur: Corrupt uirginem, & adolescentem,
 tentatos. Si uerò & quintam, scito quòd scortatori
 congregienti, si filius natus fuerit, ad fornicationem
 alitur: & qui postea eum uiderit, dicet, Reuera
 seipsum ille affecit iniuria: en quippe semen, imò ue-
 rò corpus ipsius scortatur. Si autem & sextam, cer-
 tò scito, quòd si quis cum ancilla foedetur, quicquid
 fuerit partum, mancipium est. Qua igitur ratione in
 seipsum, qui seruum generare contendit, non peccat?
 Quòd si etiam septimam, uideas, quòd qui etiam par-
 tus fuerit iniuriam patitur, dum & nothus dicitur,
 & ubiq; inhonoratus sit: & siue in concilium, siue in
 prætorium ingredi oporteat, expellitur. Per quem il-
 le etiam qui semen iecit, cum illo pariter rubore suf-
 funditur. Memoriam enim suæ reliquit libidinis. Por-
 rò si & octauam, id animo uolue quòd dictum est,
 quòd qui fornicatur, unum cum ea fit, cum qua fornica-
 tur. Qui membra sua scorti facit, is reuera in seipsum
 peccat. Nam cæde quidem nonnulli bene usi sunt, uti
 Moses & Phinees: nec non ira, uti Petrus atq; Paulus:
 scortatione uerò nemo sanè bene unquam usus est. Si
 autem & nonam, noueris quòd unum corpus Ecclesia
 est, quilibet uerò singillatim alter alterius membrum:
 at qui fornicatur, in omnes peccat. Crimen quippe ip-
 sius in totam redundat Ecclesie plenitudinem, à qua
 plenitudine Ecclesia ipsa statuit, ut quousq; resipi-
 scat, excisus ille sit. Quòd si decimam quoq; uelis, di-
 xerim

xerim profectò, quòd ex quo qui honorabilis lege cò
 nubij copulantur, unū fiunt corpus (erunt enim, in- *Genes. 2.*
 quit, duo illi in carnē unam : quapropter uxor pro- *Matth. 19.*
 prij corporis potestatem non habet, similiter & uir) *1. Cor. 7.*
 meritò uir qui scortatur, in uxorem, hoc est, in suum
 ipsius corpus peccat. Eodem modo & uxor. Ob id
 nanq; peccatū duntaxat, legem sanxit CHRISTVS
 diuortij faciendi.

An nescitis quòd corpus uestrum ^a templū
 est spiritus sancti, qui in uobis est, quem habe
 tis à Deo, ^b & non estis uestri ipsorum? Empti
 enim estis precio. ^c Glorificate iam Deū in cor
 pore uestro, ^d & in spiritu uestro, ^e quæ sunt
 ipsius Dei.

^a ¶ Templum est spiritus sancti.) Cū ex do
 ni magnitudine, tum ex donantis dignitate, timorem
 incutit. Donum nanq; est ipse spiritus. Habetis autē
 hoc à Deo : nam Deus est, qui dedit, quiq; habitat in
 templo Dei, hoc est, in corpore uestro. ^b ¶ Et nō
 estis uestri.) Nequaq; tollit liberum arbitrium, sed
 prauos inhibet actus. Ex quo, inquit, Dominū habe
 tis, & nihil proprij, ne corpus quidem : empti enim
 estis precio, sanguine, inquam, filij eius, cū sub ditio
 ne essetis satanæ. ^c ¶ Glorificate.) Quoniam
 igitur empti à deo estis, probis eum actis glorificate,
 ut uideāt, inquit, uestra bona facta, & glorificent pa- *Matth. 5.*
 trem uestrum qui est in cælis ^d ¶ Et in spiritu
 uestro.) Hoc dicens, ostendit quidem nō modò cor-

pore fugiendam esse fornicationem, uerum etiam spiritu, hoc est, animo, ne cogitatione quidem inquinamentum nobis inferendo. Nam qui uiderit, inquit, mulierem ad concupiscendum, iam moechatus est in corde suo. e ¶ Quæ sunt.) Iugiter nobis ad memoriam reuocat, quod neuiquam nostri sumus, sed sub Domino degamus. Id enim præ se fert: Quæ sunt ipsius Dei, & non uestra ipsorum.

CAPVT VII.

DE^a quibus autem scripsistis mihi: ^b Bonum est homini mulierem non tangere. ^c Propter fornicationes uerò, suam quisque uxorem habeat, & suam quæque uirum. Vxori ^d uir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & uxor uiro. Vxor proprii corporis potestatem non habet, sed uir: ^e similiter autem & uir proprii corporis potestatem non habet, sed uxor. ^f Ne fraudetis uos inuicem, nisi ^g quid ex consensu ad ^h tempus, ut uacetis ieiunio & precationi: ac rursus in idem conueniatis, ne tentet uos satanas, propter ⁱ intemperantiam uestram. Hoc autem dico iuxta indulgentiam, & ^k non iuxta præceptum. Velim enim omnes homines esse ^l sicut me ipsum: ^m sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, is ⁿ quidem sic, ille autem sic.

^a ¶ De quibus autem scripsistis.) Scripserant enim Paulo, an uxor dimittenda sit, nec ne. ^b ¶ Bonum est.) Hoc sanè, inquit, bonum est atque præstatius, mulierem prorsus non contingere: sed tutum est, ac uestra
im-

imbecillitati prospiciens, tum legitima uxore, tum uiro uti legitimo. c ¶ Propter fornicationes.) Ipsa indulgentiæ causa ad continentiam incitat. d ¶ Vxori uir.) Beneuolentiã debitã esse cõmonstrat, fidẽ uidelicet ac dilectionem, & non munus quod præbeatur. e ¶ Similiter autẽ.) Cũ debitã dixisset beneuolentiam, quẽ enã sit beneuolentia hæc quæ debetur interpretatus, inquit: Neq; uir neq; uxor proprij corporis potestatem habet, sed huius potestatem habet alter. & uidetur beneuolentia, amicitia: beneuolus, fidus amicus. Quare autẽ in cæteris quidẽ primas partes uiro tribuit, quando de potestate ac subiectione loquitur, nũc uerò æquas dedit? Et dicimus, quòd de principatu quidẽ ibi loquebatur: nunc uerò de castitate & cõtinentiã, in qua nemo uel superior, uel inferior esse debet. f ¶ Ne fraudetis.) Hic quoq; animaduertito, fraudis uerbo debitum significari. g ¶ Nisi quid.) Altero nolẽte nõ cõtineat alter, ne cõtinentia hæc tua parti alteri fornicationis ansam præbeat. h ¶ Ad tempus.) Ad tempus, inquit, hoc est, iuxta temporis congruentiam. Cõtinentiæ uerò tempus opportunũ est ieiunium, & oratio. Hoc autẽ dicens, nequaquã eos qui copulæ inseruiũt cõiugij, uel precari uel ieiunare interdicit, imò uerò ut studiosus id fiat hortatur. Nam abstinetes, inquit, ut ieiunio & orationi incũbatis: perinde atq; distractionẽ, nõ impuritatem, gignẽte coitu, coitu in qua cũ legitima duntaxat uxore. i ¶ Propter intemperantiã,) Vt discas solum diabolũ nequaquã

fornicationis autorem, sed etiam nostram incontinen-
tiam, addit, propter intemperantiam uestram :
hinc potius originem, quàm ex diabolo trahere insi-
nuans. *k* ¶ Et non iuxta præceptum.) OECU-
MENII: Haud sanè ut illud, Non fornicaberis, Non
occides; ita etiam, Ne fraudetis uos inuicē, præceptū
quoddam est. Laudatur uerò qui hoc fecerit, perinde
atq; qui legem compleuerit. Iuxta indulgentiam, in-
quit, id dixi, uestræ condescendens infirmitati: neuti-
quam iubeo, ne defraudetis: sed beatus qui continet.
Cum autem dicat, indulgentiam, rem permissam fa-
cere eum præ se fert, qui in ieiunio duntaxat & præ-
catione continet. *l* ¶ Sicut mei ipsum.) Quo-
tiescunq; quippiam arduum, aut graue imperat, se-
ipsum in medium fert. *m* ¶ Sed unusquisq; pro-
prium donum habet.) Cum ualde eos culpasset, di-
cens, Propter intemperantiam uestram: nūc eos con-
solari studet. Virgo fuit Paulus, & ideo dicebat: Vel-
lem omnes similes mei esse. Cœlibem, inquit, perdura-
re, donū sanè ex Deo est. Non idcirco, quòd nullo ue-
stro egeat studio res hæc (ut enim quispiam munere
sit dignus, labore plurimo opus est) sed quemadmo-
dum dictum est, pro illata cōtumelia consolatur eos.
n ¶ Is quidem sic.) Hic siquidem à coitu omnino
abstinet, ille uerò intra matrimonium sistitur.

Dico autem ^a non nuptis, ac uiduis, Bonum
est illis si permanserint ut & ego. ^b Quòd si nō
continent, nubant. Melius enim est nubere, q̄
uri.

uri. Coniugatis autem præcipio, ^d non ego, imò Dominus: Vxor à uiro nō separet: ^e quòd si separata fuerit, maneat innupta, aut uiro reconcilietur. ^f Et uir uxorem ne dimittat. ^g Reliquis autem ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem ^h habet infidelem, & hæc ⁱ consentit habitare cum illo, ^k non dimittat illam: & mulier quæ uirū habet infidelem, & is consentit habitare cum illa, non dimittat illum. ^l Sanctificatur enim uir infidelis per uxorem, & sanctificatur mulier infidelis per uirum.

a ¶ (Non nuptis.) THEODORETI: Ex innuptorum rursus se coctu monstrauit. Nullus sanè hunc inter uiduos iure locaret: cum enim adhuc esset adolefcens, uocatione dignus factus fuit. Nemo uerò ipsum putet uiris quidem imperare, ne uxores ducant: post nuptias uerò, solis mulieribus continentiam: propterea quòd dixerit, Non nuptis, scilicet uiris: et uiduis, uidelicet mulieribus: utraq; enim genus docet utrumque, & non nubere, & post nuptias continentiam uiduitatis. **b** ¶ (Quòd si non continent.) Perpende sapientiam: meliorem quidem continentiam esse cõmonstrat: eum tamen qui nequit ad ipsam pertinere, non cogit, ueritus ne in aliquod maius prolaberetur facinus. **c** ¶ (Quàm uri.) Concupiscentiæ tyrannis quanta sit patefecit. Si multam, inquit, uim persers, atq; incendium, liberare, matrimonioq; ne fortè labaris, coniungere. **d** ¶ (Non ego.) Quoniam ea duntaxat, quæ à Domino manifestè lege san-

sancita essent, dicturus erat, idcirco ait: Non ego, imò
 Dominus. Quæ uerò est lex? Ne, excepta duntaxat
 fornicationis & adulterij ratione, fiat diuortiū. At-
 que ea quæ in superioribus dicta sunt, etsi Dominus
 nominatim nō dixerit, attamen ipsi etiam Domino,
 qui per os Pauli loquebatur, congruere uidentur. Ve-
 runtamen quoniam palàm de diuortio Dominus (ut
 dictum est) tradidit, hac de causa inquit, non Do-
 minus. Itaque ego, & non ego, hanc differentiam
 habet: Illud, inquit, Dominus dixit, non ego: alterum
 uerò, ait, ego. Et ne res illius humanas duceres, ob id
 in sequentibus intulit: Existimo autem quòd etiam e-
 go spiritum Dei habeam. e ¶ Quòd si separata.)
 Melius quidem est, inquit, etiam non separari: quòd
 si separata fuerit, sic maneat, cum uirum habeat, et-
 si non copula, tamen dispositione, atq; alterum ui-
 rum nō admittendo. f ¶ Et uir uxorē.) Nisi ratio-
 ne fornicationis duntaxat: hæc enim lex Christi est.
 g ¶ Reliquis.) Ne cōiugia dissiparentur, ac dein-
 de confusionis, perturbationis, euerfionisq; ad morū
 causa religio putaretur à uulgo, idcirco eis, quibus
 unà cum infidelibus habitare contingit, diuortiū in-
 terdicat. Haud enim de his hæc sancit qui uxorem
 nondum acceperint, sed de his qui iam coniugiū inie-
 runt. Non enim ait, si quis accipere uelit infidelem:
 sed, si quis habet. Contingere enim potest, ut tam ui-
 ro, quàm muliere existente, unus credat, alter uerò in
 incredulitate perduret. h ¶ Infidelem.) Quid
 igitur

igitur? Mulier si fornicaria deprehensa quidem fuerit, dimittere eam permissum est: si uerò infidelis, nequaquam? Atqui peior omnino incredulitas. Peior sanè: uerum in fornicaria manifesta malitia fuit: in infideli autem potius ignorantia, quàm malitia: quam etiam respicere par est. Idem enim & ipse ait: Quid enim scis mulier, an uiro ansa salutis fies? modò si cohabitare assentitur. i ¶ Et hæc consentit.) Si uelit, inquit. Quid enim obest, si partis unius fide integra permanente, per bonam spem incredulus quoque tempore permutatus, in fidei sententiam ueniat? k ¶ Non dimittat illam.) Si qui scorto adglutinatur, unum efficitur corpus: qui etiam infideli copulatur, absque dubio unum corpus efficitur. Qua uerò ratione huic quidem interdicat, illi autem nequaquam? Et dicimus: Vnum sanè corpus etiam cum infideli euadit: sed fidelis partis puritas atq; munditia, immunditiam superat infidelis. Quonam pacto? In meretrice siquidem ambo immundi sunt, tam meretrix, quàm qui accedit: ad fornicationem nanque ambo accedunt. Porrò in infideli, in quantum infidelis est, etiam immunda est sanè: at qui accedit, minimè. Non enim ut uetutum quippiam admittat, accedit, sed ut licitam coniugij mixtionem. Itemq;: Aliud quidem est, per quod immunda est infidelis, nēpe impietas: ac rursus aliud per quod parti cōmunicat fideli, corporum inquam cōmixtio. Caterum in meretrice, iuxta illud ipsum,

in quantum immunda est, hoc est, iuxta corpus, communicatio fit, id est, per corpus. I ¶ Sanctificatur enim.) Ne formidaret fidelis pars, si cum infideli congregiatur, ueluti per consuetudinem illius immunda effecta, inspicio quonā pacto expellat timorem. Sanctificatus est, inquit, exundantia puritatis, cum impuritatem uictam dicit: non quòd infidelis sanctus euadat, nō enim ita dixit: sed sanctificatus est, inquit: partem consolans fidelem, infidelemq; ad fidei desiderium alliciens. PHOTII: Atq; id ipsum sanè, uidelicet ut aliquis perferat infidelem, & ille uenā cum fideli habitare nō reluctetur, propè est ut religioni consensum præbeat. Sed dicet forsitan quispiā: Ergo idem & de fideli intelligentes, propè ipsum dicemus ut impietati cōsentiat. Ad quod dicimus, quòd neutiquam pari se modo habet, nec admodum conuenit. Fidelis nanq; si habitet cum infideli, fidei mandatum, legemq; adimplet, ita ut etiam hoc modo magis fidei domesticus fiat, & ab infidelitate alienus. Infidelis autem solo, quem erga cohabitantem habet, amore ligatus, non legem, quam à sua acceperit incredulitate, perficiens, non soluit copulam: amans uerò cohabitantem, manu quandoq; per ipsum ducetur ad fidem ipsius: necnon amor ipse ad legis præceptum pertinet religiosi, nō autē ad impietatem: adeò quòd hac etiam uia propè est, ut ipse quoq; pietatē admittat, sanctificeturq; per fidelis cohabitationem.

^a Alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem

autem sancti sunt. ^b Quod si infidelis discedit, discedat. ^c Non enim est seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi, ^d sed in pace uocauit nos Deus. ^e Quid enim scis mulier, an uirum saluum facies? Aut quid scis uir, an uxorem saluam facies, ^f nec ne? ^g Vt cuique partitus est Deus, ut quengq; uocauit Dominus, ita ambulet. ^h Et sic in ecclesijs omnibus dispono. ⁱ Circuncisus quispiam uocatus est, ne accersat praputium. ^k In praputio uocatus est aliquis, ne circuncidat. Circuncisio nihil est, & praputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Quilibet in uocatione qua uocatus est, permaneat.

^a ¶ Alioqui immundi essent.) Incredulitas enim nisi a fidelis partis sanctitate superaretur, nihil aliud restaret, quam partos liberos immundos fore, uel semimundos: quippe quod nequaquam est, inquit: sancti enim sunt: excellentia dictionis, sancti, timorem propulsans. Id enim est quod ait, alioqui filij uestri immundi essent, ne res ita sese non haberet, sed sanctitatis exundantia sancti sunt. ^b ¶ Quod si infidelis.) Quasi si iubeat, uel sibi in infidelitate communicare, uel si non id feceris, discedere, discedat: prestat enim coniugium, quam pietatem, soluere.

^c ¶ Non enim est.) Quod si quotidie etiam te pulsat, impugnatq; , ad suam ipsius impietatem trahere cupiens, etiam sic disiungere. Non enim, inquit, seruituti subiectus es ad huiusmodi, ita ut impugnantem quoque seruas. Et patet de pugna cum qua fit loqui,

per ea quæ subdit. PHOTII: Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi. Non habes, inquit, necessitatem uir uel uxor fidelis in infidelibus talem, qualis ei imminet de fidelibus. Illic enim omnino, excepta adulterij ratione, non licet coniugatis diuortium facere: hinc autem, modò consentiat pars infidelis unâ cum fidei habitare, oportet non soluere matrimonium. Si autem fuerit seditiosus, diuortiumq; ille fecerit, non est fidelis seruituti subiectus, quin & ipse diuortium faciat, ut ipse quoque discedat. Attamen, inquit, etsi libertatem soluendi coniugij habeat ob turbam increduli, longè tamen melius faciet, si, contentione per pacem ac probitatem soluta, non soluat coniugium. In pace quippe, ait, uocauit nos Deus. Nam hoc, inquit, uocationis, quæ à Deo, signum est, si quidem pacifici, quoad per nos fieri potest, simus erga omnes. Quod uerò subsequitur deinceps, Quid enim scis mulier, & quæ sequuntur, huic cõgruit interpretationi, præcipuè per consequentiã illam, quæ hanc præcedit. d ¶ Sed in pace.) Id est, ut pacifici simus, nec sit in nobis seditio aut pugna. Quoniã igitur impugnat, idcirco liberari bonũ est. e ¶ Quid enim scis.) Rursum ad non dimittendũ infidelem, si manere uult, nec turbã facit, uenit, aitq;: Nisi molestus tibi fuerit, maneto cum illo. Quid enim si temporis interuallo, cõsilio tuo salutem illi quoq; conquiret, fidelemq; reddes? Sed perpende, quonam modo ad permanendũ minime eam cõgerit,

cogerit, ne grauius imponeret onus: sed futuri incertitudine necessitatem quoque abstulit, & hanc neque desperantem, neque negligentem, dum consulit, effecit. § ¶ Nec ne.) Usque ad illum locum, nec ne, punctum fige perfectum, ut ita sit: Aut quid scis uir, an uxorem saluam facies, nec ne? hoc est: Unde nosti, an saluam facies, uel non saluam facies? Incertum nanque est futurum: incertumque cum sit, coniugia soluere non est necesse. Par enim est, inquit, & bonum malum, & malum bonum (ut secundum legem loquamur) euadere. Nam etsi non saluam fecisti, damno tamen non es affectus. Porro si saluam fecisti, utilitate & affectisti, & affectus es. § ¶ Ut cuiq;.) Quid enim profit, ipse solus nouit: & an praestare et fideli, ut a principio uel fideli uel infideli copularetur. In aliquibus enim utile erat fidelem fideli coniungi, & coniunctus est: in aliquibus uero fidelem infideli, & ita factum est. Et nemo ad horum causas rimandas idoneus reperitur, praeter Deum, qui sic copulauit, & sic distribuit, ac Dominum qui uocauit. Si enim Deus ac Dominus huiusmodi iussit copulas, & iuxta uniuscuiusq; utilitate diuisit, non debet fidelis infideli coniunctus molestè ferre, uel angustionemq; requirere: sed ut quisq; uocatus fuit, ita & permanere, & una proficisci. Hoc enim punctum fecit Seuerianus. Nisi enim idem et tu punctum fixeris, incompositam constructionem esse dicebat. Sic te, inquit, diuisit Deus, & sic uocauit, cum uiro scilicet uel

uxore infideli. Coniugio itaq; acquiescito, & fident
ne soluito. h ¶(Et sic.) Hoc intulit, ut cum alios
quoq; habeant socios, promptiores fiant ad obediendum.
i ¶(Circuncisus.) Rursus inquit: Circuncisus
sus uocatus fuisti: ne accersas præputium. Sanctus in
quit Epiphanius: Posset quispiam sanè per aliquod
medicorum pharmacum facere, ut qui iam sit circum
cisus, producat præputium: cuius excogitationis pri

Malach. 1.

mus repertus fuit Esau. Quare inquit Deus: Esau o
dio habui. k ¶(In præputio.) OECUMENII:
Par nanq; est, quod ex aliquo medicamine ad pristinum
redire circumcisio possit, atq; rursum ad ipsam
recurrere & gloriari. In præputio, inquit, uocatus
fuisti: mane qui es. Neq; enim, inquit, circumcisio quic
quam ad salutem cõfert, neq; præputium obest. Hac
una tantũ re opus est, nempe cõpletionem mandatorũ.
PHOTII: Vtilitas quoq; ob mandati obseruationẽ,
tam circumcisioni quàm præputio manet. Actionum
porrò quæ in hominibus fiunt, aliæ quidem utiles per
se sunt, licet præcepto non sint ordinatæ diuino, ut iu
stitia, & huiusmodi: aliæ uerò ob solum præceptum,
quemadmodũ plurimæ ex his quæ in lege habentur.

^a Seruus uocatus es: ne fit tibi curæ: sed licet
possis liber fieri, potius utere. ^b Qui enim in do
mino uocatus est seruus, libertus est Domini.
Similiter & qui liber uocatus est, seruus est
Christi. ^c Precio empi estis, ^d nolite fieri serui
hominum. Vnusquisq; in quo uocatus fuit, fra

eres,

res, in eo perseveret apud Deum.

a ¶ **Seruus.**) Idem rursus consilium, perseverandi in quibus quisq; uocatus fuit. **Seruus cum esses, uocatus fuisti? ne perturberis, non obest fidei seruitus:** atq; in tantū non obest, inquit, quòd licet posses fieri liber, potius utere seruitute, adeò nullum inde erit tibi impedimentū. **PHOTII:** Ne seruitus seruis ad pietatem impedimentū putaretur, palàm inquit, tantum hanc ab impedimento abesse, quòd neq; curæ de illa esse oporteat. Haud enim, inquit, curæ tibi sit: sed licet posses studio aliquo uel sollicitudine assequi libertatem, sine id, & utere potius seruitute. Nequaquā enim ob id quicquam domino tuo deterior eris. Liber tuus nanq;, non secus ac ille, cōmunis es domini. Nam seruus quidem cōmunis domini es, perinde atq; ille: rursusq; liber tuus, ut ille. Quid igitur tibi corporalis seruitus curæ est, quæ nec minorem te reddit, nec cui seruis plus quicquam apponit? Sed neutrum horum quicquam ad paria nanciscenda obest. b ¶ **Qui enim in Domino.**) **IN CHRISTI** rebus, inquit, æquales estis tu, ac dominus tuus: nam & ipse seruus est **CHRISTI**. Tu uerò forsitan maior es, inquit: nam libertus es **CHRISTI**: ipse nanq; ab omni te intellectuali seruitute liberauit. Ex uerborū tamen copia, inter seruum ac dominū parilitatem cōmonstrare satagit. Omnes enim tum liberti sumus **CHRISTI**, in quantum nos à satanæ absoluuit tyrannide: tum etiā serui sumus **CHRISTI**, in quantum inde liberatos, sub

regnū nos suū traduxit. c ¶ Preciō empti estis.) Sanguine, inquam, unigeniti sui emit nos Deus & pater. d ¶ Nolite fieri serui.) Suprà dixerat: Licet possis liber fieri, magis utere: hic autem dicit, Nolite fieri serui hominū. Id enim tam liberis, quàm seruis cōpetit. Nam qui domino nō obtēperat absurda impiaq; iubenti, etsi iugo seruitutis prematur, nō tamen fit seruus hominum: qualis erat Ioseph. Sed qui propter munera, siue propter gulas, in absurda seruitia hominibus seruit, hominū quidem seruus est, licet liber uideatur. Hanc itaq; seruitutem nō fert, imò uerò interdicit: nō autem consuetam, & que lege cauetur. Illi nanque seruituti & subijci & parere, ubique hortatur.

^a De uirginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium tamen do, tanquā ^b misericordiam assecutus à Domino, ut sim fidelis. c Existimo igitur hoc bonum esse propter præsentem necessitatem. Nam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori: ^d noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore: noli quærere uxorem. Porro ^e si uxorem duxeris, non peccasti: & si nupserit uirgo, non peccauit: satisfictionem tamen in carne habebūt huiusmodi. Ego autem uobis parco.

^a ¶ De uirginibus.) Quoniā ad celsiorem philosophiam properat, timet simpliciter id iubere, ueritus ne non succederet aduentibus: idcirco non tanquā præceptū, sed ueluti consiliū tradit. OECUMENII:

Ea quæ ad uirgines spectant, non satis exactè interpretatus est, ut qui librū de ea re fecerit, atq; ibidem determinatū sit. Ego autē quæ mihi per CHRISTI gratiam succurrerunt, exaravi. b ¶ Sed misericordiam affecutus sum.) Ad hoc misericordiam affecutus, ut sim fidelis, uidelicet præco, ac scientiæ traditor. c ¶ Existimo igitur.) Inspice rursus quonam pacto imperium temperet necessarium. Existimo sanè, inquit. Quid uerò existimas? Bonum esse absq; coniuge uiuere, ob difficultates quæ circa coniugium uersantur, malaq; illius. PHOTII: Arbitror hunc in hoc loco de persecutione, quæ ab infidelibus intentabatur, ac de alijs tentationibus & afflictionibus quas ferebāt, loqui. Id nanq; est cōsequens, ut instantem dixerit necessitatem. Ex quo enim celsam quandam & magnam adhortationem facere cupiebat, cum assertionem ipsam inferre uisus est. Bonū quoddam sanè, inquit, est uirginitas, etiā ob ingruentem tentationum impetum: faciliorem quippe, leuioremq; hunc arbitramur, quàm si uxores ac liberos in persecutionibus, milleq; ærumnis nobiscum pariter duceremus. Nam si erga plurimas affectiones animus diuidatur, in malū intolerabile necesse est ut homo mergatur. Quòd si solus sit, & nequaquā affectionibus aliorum diuisus, facile malorum tolerabit procellā. Deinde ne diceret aliquis: Ergo & qui iam coniugij copulam nactus est, melius faciet si matrimonium soluat: appendit, Absit. Id enim præ se fert ubi ait: Al

ligatus es uxori: ne quæras solutionem. Sed quemadmodum, inquit, alligatus solutionem quærere nõ debet, ita quoq; solutus uinculum sibi non necessarium excogitare non debet. Nam solutum esse accipi dupliciter potest: uel quòd nondũ omnino sit alligatus, uel quòd à uinculo, quo fuerat alligatus, solutus, alio rursus uxoris uinculo uinciri nõ debeat. d ¶ Ne quæras solutionem.) Quoniam superius de uirginitate fuerat locutus, ueritus ne hi, ut qui nondum firmi essent, perturbarentur, ad matrimoniũ concurret. Concordat uerò ijs quæ suprà dicta sunt. Solutionem hoc in loco nõ eam dicit à cõcubitu separationẽ quæ fit ex consensu, sed eam quæ præter sententiam alterius partis, & diuortium à cõmercio absq; fornicationis ratione. e ¶ Quòd si etiam.) Idipsum emendat, ueritus audientium imbecillitatẽ, ut qui nõdum caperent uirginitatem. PHOTII: Si autem uxorem duxeris, non peccasti, & quæ sequuntur, ijs quæ in superioribus dicta sunt, per hyperbaton sunt coaptanda: nempe, Bonum est homini sic esse: quòd si etiam uxore duxeris, non peccasti, & quæ sequuntur. Non enim oportet id uer bis illis coniungere, uidelicet: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem: si autem etiam uxorem duxeris, non peccasti. Enim uero primũ illud consequentia profectò, si hunc ad modum intellectus acciperetur, careret. Quid enim ei, qui iam uxorem duxerit, & fuerit absolutus, conuenit ut dicatur, Si autem & uxorem duxeris? nam id
eis

eis concinnium est qui nōdum uxorem duxerint. Iam
 uerò etiam magnum peccatum est, si quis, posteaquā *Cautè legas.*
 ab uxore solutus fuerit, alteram duxerit. Hic igitur
 locus minimè sic coaptari potest, sed quemadmodum
 dictum fuit prius. Ait enim etiam paulò antè: si autē
 & separatus fuerit, innuptus maneat. Igitur &
 per ea quæ antea dicta, & per id quod nunc dicitur,
 ne sibi ipsi contraria dicere uideatur, cum hyperbato
 coordinanda sunt hæc, & construenda. Porrò si illud,
 scilicet, solutus es, non ad eos qui iam fuerint coniu-
 gati, deinde absoluti, dictum intellexeris, sed simpli-
 citer ad eos qui nōdum omnino matrimonij contra-
 xerint copulam, sed ab huiusmodi uinculo sunt solu-
 ti, locum etiam quoquomodo constructio ipsa habet.
 f ¶ (Et si nupserit uirgo, non peccauit.) Virgi-
 nem in presenti dicit, non eam quæ Deo sacrata est,
 sed quæ adhuc puella innupta est: ut ea quæ CHRI-
 STO consecrata est, si nupserit, ipsi CHRISTO, cui
 desponsata est, adulterium inducat. g ¶ (Afflictio-
 nem tamen habebunt.) Qui matrimonio, inquit,
 iuncti sunt, afflictiones perferent, propter mœrores
 illos qui in coniugio sunt. Ego uerò, ait, uobis tanquā
 filijs parco, cupiens uos esse liberos, ac sine mœrore.
 Interim enim in uinculis degitis. Alligatus es, inquit,
 uxori. Item, ne sui quidem ipsius potestatem habent,
 ut in superioribus inquit.

Hoc autem dico fratres, ^a tempus contra-
 ctum est. Reliquum est, ut qui habent uxores,

^b tanquam nō habentes sint: & ^c qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquā nō gaudentes: & qui emunt, tanq̄ non possidentes: & qui ^d utuntur hoc mundo, tanquam nō utentes. ^e Præterit enim figura huius mundi. ^f Velim autem uos absq; sollicitudinibus esse. Qui sine uxore est, ea curat quæ domini sunt, quomodo placiturus sit Domino. Porro qui uxorem duxit, ea curat quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori. ^h Diuisa est mulier à uirgine. Innupta ea curat quæ Domini sunt, ut sancta sit & corpore & spiritu. ⁱ Quæ uerò nupta est, ea curat quæ mundi sunt, quomodo placitura sit uiro. ^k Hoc autem ad uestrū ipsorum utilitatem loquor, nō ut uobis laqueū inīciam, sed ad id ^l quod honestū sit, & ^m quod facultatem præbeat inseparabiliter Domino obsecrandi.

^a ¶ (Tempus contractum est.) Quoniam dixerat, Afflictionem carne habebunt: ne quis diceret, Atqui & uoluptatem: ex contracto tempore ea amputare tentat, quæ sunt uoluptatis. Propterea nanq; ait, Nimirum afflictionem habebunt, ex quo ne uoluptatem quidem habere possunt, cum adeo contractū sit tempus, atq; ad interitū dissolutionēq; tendat. Iam enim propè est regnum CHRISTI, restatq; ut ad illud properare iubeamur. ^b ¶ (Et qui habent uxores.) Et qui fieri potest, ut tanquam non habentes sint? Cum illis ad stultas mundi concupiscentias nō obtem-

obtemperarint. Vel, quòd uelit eos etiam à cōgressu continere. c ¶ Et qui flent.) Temporis breuitate omnia, quæ nunc compluribus studio sollicitudiniqu; sunt, perinde atq; nō sint, existimare debemus: et habere uidelicet uxorem, & gaudere, & flere. Nam cum instet interitus, quid opus est ijs quæ hīc sunt libenter immorari, & aliquid esse putare matrimoniū, mercaturas, seu omnino usum mundi huius?

d ¶ Et qui utuntur hoc mundo.) Cū quispiā delicijs quidem, ac mundi huius fruitione, ut uictu, diuitijs, & magistratu, usus fuerit, abusum uocat: hoc est, cū quis illo non eo modo usus fuerit, quo uti decet. Haud enim hac de causa in hunc mundum introducti sumus, ut hæc agamus, sed propter bona opera sumus creati. Qui ergo ijs omīssis, propter quæ creatus fuit, aliter hoc utitur mundo, abutitur eo.

e ¶ Præterit enim figura.) Præterit sanè mundus hic cōspicibilis, finemq; habebit: quam igitur ob causam tenaciter illi adhærere oportet, qui dissoluitur? Figuram uerò dixit, ad uisum usq; duntaxat res mundi huius esse significans, & nihil stabile, nihilq; habere firmum. f ¶ Velim autem.) Quo autè modo sine curis esse quiuerimus? Si fuerimus innumpi, quis enim coniugij sollicitudines ignorat?

g ¶ Qui sine uxore est.) Inspice quæso quoniam pacto per sollicitudinum differentiam ad uirginitatē inuitet. Ea enim curare quæ Dei sunt, nō est cura, sed salus. Vnde suprà dicit: Velim autem uos absq; solici

tudinibus esse. *h* ¶ *(Diuisa est mulier.)* Diuisa est,
 hoc est, nequaquam eandem curam habens, sed diuise sunt.
 Virgo enim, inquit, ea curat quae Domini sunt, quod
 & corpore & spiritu sancta sit. Corpore quidem, ob
 puritatem castitatemque illibatam: spiritu uero, ob fa-
 miliaritatem ad Deum, sanctissimi que inhabitationem
 spiritus. Haec autem quae mundi sunt curat: uiro enim
 placere cupit. Quid uero dixerim, Ea quae sunt mun-
 di: Fortè uenusta pulchraque esse optat, & domicustos,
 & nelargas atque humanas indigenti manus exten-
 dat. *i* ¶ *(Quae uero nupta est.)* Illam sane mulie-
 rem dicit, quae iam matrimonio iuncta est. *h* ¶ *(Hoc
 autem ad uestrum ipsorum utilitatem.)* Hosce
 uobis de uirginitate moui sermones, quod maxime
 uobis id prodesse nouerim, non ut uolentes nolentesque
 coelibem uitam uos ducere cogam. Necessitatem enim
 laqueum uocat. Perpendis quam sit ueritus perfectum
 quicquam precipere? *l* ¶ *(Quod honestum sit.)* Quid
 enim uirgine, & ipsius uita & conuersatione hone-
 stius? *m* ¶ *(Et quod facultatem praebet.)* OB-
 CVMENII: Non enim id dico, inquit, ut laqueum uo-
 bis ac necessitatem iniiciam: sed ad id quod honestum
 sit, & quod uos indiuisse asidere cum Domino fa-
 ciat, adducere optans. Eam namque indiuisam dixe-
 rim asidentiam, quae prompta perseuerat, uel conti-
 nua, sine distractione, sine curis.

Quod ^a si quis dedecoris esse circa uirginem
 suam existimat, si fuerit superadulta, & sic ^b oportet

ret fieri, quod uult faciat, non peccauit, iungantur matrimonio. Qui autem ^f firmus constitit in corde, ^d non habens necessitatem, potestatem autem habens propriae uoluntatis, arque hoc ^e decreuit in corde suo, seruare suam ipsius uirginem, ^f bene facit. Igitur & qui nuptui tradit, ^g bene facit, & qui non tradit, melius facit.

a ¶ Quod si quis dedecoris.) Infirmas humane nature, si quidem suam ipsius filiam uirginem seruet, ac Deo dicet, dedecoris esse ducit. PHOTII: Quod si quis, ait, dedecus sibi ipsi inferre ducit, si filiam nuptui non locatam, ad uirginitatem seruandam retineat domi, atque ita potius faciendum putat, nempe nuptui eam locari, faciat quod uult. Haud enim nuptiae interdiciuntur, absit, tametsi uirginitas praestet. Itaque si nolint, inquit, nuptui eas locent. At si quis in hac sententia firmus persistit, ad non tradendum uidelicet eam nuptui, nequaquam id ueluti necessitate uel lege prohibitus faciens (enim uero qui hoc ita faceret, oppido peccaret) sed ueluti dominus utriusque quidem uoluntatis ex lege, eligibilis uero iudicans non locare, & hic bene facit, uirginem seruans, & absque sollicitudine, filiam suam. Potest uero quod dixerat, non habens necessitatem, alio nihilominus modo familiarius accipi, nimirum, non adstrictus necessitate contrarium faciendi à filia. Si enim uideat ea quae filiae suae sunt, esse talia, quae ipsum ad nuptui eam tradendum compellant, nequaquam sanè uirginem eam seruare

debet, & ad contrariū ipsam intentionis suæ ac propositi cogere. Spontanea quippe, & nō inuita, uirginitas esse debet. Quandoquidē ultrā quōd inuita esset, in peius etiā declinaret semper, tum sibi ipsi indulgendo, tum in eū, qui ipsam ad uirginitatē seruandā coëgit, absurditatis causam inflectendo. Vel certē illud, nō habens necessitatē, & hoc etiā subindicare posset. Nō habens, in quā, necessitatē faciendi hoc, uel quasi iam Deo dicauerit, decreueritq; uirginitatē seruare, uel quasi ad id cogente filia. Ei namq; qui harū, quas diximus, necessitatē aliquam habet nō locandi, nec aliter deliberare licet, nec aliud in corde excogitare iudicium: imō neq; si perficiat hoc, talis ei laus erit, qualis si non perfecerit, condemnatio: ceterū longē sanē damnatio esset copiosior. At qui nulla necessitate actus hoc facere in corde decreuit, uirginē quidē habens, magnū peregit facinus: quōd si nuptui tradidit, nihil omnino peccauit. **b** ¶ Et sic oportet fieri. **DECVM.** Quomodo? Quicquid uoluerit, inquit, faciat, siue nuptui tradat, seu uirginē seruet. Neutrū enim peccatū est. Sed tamē eum magis approbat qui uirginē seruat, ut in superioribus ait: Velim autē uos absq; sollicitudinibus esse: hoc est, uirgines. **c** ¶ Qui autem firmus. Vidēs ne quomodo ex ipsis mox iniitijs, eum qui uirginē seruat, suspiciat? Qui cōstitit, inquit, firmus in corde. Ille, in quā, qui propter apparēs dedecus desciuerit, nuptuiq; tradiderit, haud firmus in Dei opere cōstitit. **d** ¶ Nō habens necessitatē.)

Non

Non habens, inquit, necessitatē non tradendi eam nuptui. Non enim esset adeo admiratione dignus, dum nuptui eam non locat. Necessitati siquidem adscribe retur res hęc, nō ipsi. Nunc uerò liberalitatis eius est totum hoc opus, ac Deo chara electio. Nam qui inuitus, necessitatē suam ipsius uirginem seruat, gratus non est. At qui ex Domini duntaxat desiderio, nulla adactus necessitate, imò suę ipsius uoluntatis dominus, seruat, is omni prorsus admiratione dignus est. e ¶ (Atque hoc decreuit.) Fortem quendam, firmumque hominem supponit, quem dimouere id, quod dedecus uidetur hominibus, non potuerit, propter eos, qui filias uirgines seruant. f ¶ (Bene facit.) Stabilis ei, inconcussęq; mentis laudes tribuit. g ¶ (Igitur & qui nuptui tradit, bene facit.) **DE CVMENI:** Et illud sanè bonū. Nō enim peccatū est, filiam tradere nuptui. Quicquid uerò peccatum nō est, bonū dixerim. Porro qui filiam nō locat, rectum quoddā & ipse facinus peragit, quod longè sanè melius est. Expende autem quomodo ex comparatione hac, nuptui non tradere consulat.

Vxor alligata est ^a legi, quandiu uiuit maritus eius. Quod si dormierit maritus, ^b libera est ad cui uelit nubendū, ^c modò in Dño. Beatior autē est si sic maneat, ^d iuxta meā sententiā. Arbitror autem quod & ego spiritū Dei habeam.

a ¶ (Alligata est legi.) Legi, ait, quę de adulteris: qua ad hoc sanè cohibetur, ne copuletur alteri, Idcir-

co ait, Alligata est. Dum uerò alligatā dicit, nō locan-
tem longè melius agere præ se fert: à uinculo siquidē
eam liberat. **b** ¶ Quòd si dormierit maritus li-
bera est.) Liberata est enim à primo illo uinculo,
& à lege, ac soluta est. At cū solutam dicat, ne rur-
sus nubant, uincianturq; hortatur. **c** ¶ Modò in
Domino.) Veruntamen cum modestia, inquit, &
decore, legitimoq; coniugio, ob filiorum procreatio-
nem, ob domus curam, non propter ignominie pas-
sionem. **d** ¶ Iuxta meam sententiam.) Ne rem
hāc necessitatē putares, ait, Iuxta meam sententiā.
Prout noui, inquit. **PHOTII:** Iuxta exhortationē
meam, atq; consilium: non iuxta necessitatem legisla-
tionis ullam. Deinde ne quis diceret: Si ergo præce-
ptum non est, quid omnino oportet ut iuxta exhorta-
tionem quispiam operetur? intulit: Hæc etiam ex san-
ctissimo illo spiritu prodeunt, quanquam nō ad legis
necessitatem, propter infirmitatem uestram, tempe-
rentus consiliū, adhortemurq;. **e** ¶ Arbitror au-
tem.) Ne quis putaret consilia hæc ipsius duntaxat
Pauli esse, & idcirco humana, subdit, quòd & ego
spiritū Dei habeam: ut paracleti, nō mea esse præ-
cepta insinuem. Multam uerò humilitatē præ se fert
cū dicit, Arbitror: hoc est, existimo, opinor.

CAPVT VIII.

DE^a ijs autem quæ idolis immolantur, ^b sci-
mus quòd omnes scientiā habemus. ^c Scientia
inflat, charitas uerò ædificat. Si quis autē uide-
tur

tur sibi aliquid scire, nondum quicquā nouit,
^dquemadmodū oportet nosse. At ^esi quis dili-
 git Deū, hic cognitus est ab eo. De ^fesu itaq; eo-
 rum quæ idolis sacrificant, scimus^g quòd nihil
 est idolū in mūdo, & quòd ^hnullus Deus alius
 nisi ⁱunus. ^kNam etsi sunt qui ^ldicant dñi, siue
 in celo, siue in terra, quemadmodū sunt ^mdñi
 multi, & dñi multi, nobis tamēⁿ unus est Deus
 pater, ex ^oquo omnia, & ^pnos in ipsum: & ^qunus
 dominus Iesus Christus, per quē omnia, & nos
 per ipsum: sed ^s non in omnibus est scientia.

a ¶ De ijs autem quæ idolis immolantur.)
 Hec fuit causa increpationis de immolatitijs idolo-
 rum. Cum quidā in fide perfecti scirēt, quòd id, quod
 intrat in os, non coinquinat hominem: & quòd idola,
 cum ligna sint ac lapides, nihil sunt: nulla habita ra-
 tione, in immundis idolorū fanis ingressi, de mensis
 quæ illic erant participabant, gustabantq; idolis im-
 molata. Ceterū id ipsum perfectis quoq; nō nihil de-
 trimenti afferebat (dæmonū namq; mensis participa-
 bant) atque eos etiam qui imperfectiores erant, no-
 cumento afficiebat. Non enim qua intentione, senten-
 tiæ agerent, examinabant: uerū id modò quod
 agebatur intuiti, ansam idolis litandi sumebant: per-
 inde atque ipsi quoque qui perfecti erant, religione
 quadam uenerationeq; idolorū participarent men-
 sis. *b ¶ Scimus quòd omnes.)* Quasi qui Dei
 scientiam haberent, efferebantur, & ob id ab idolo-
 rum immolatitijs putabant non cauendum. Hanc igi

tur scientiã omnium dicit comunem: omnes enim, ait, huiusmodi scientiã habemus. Cum uerò hoc dicit, eorum deprimit arrogantiam. c ¶ Scientia inflat.) Alio quoq; modo horum deturbat superbiam: non modo nõ utilem sine charitate scientiam monstrans, sed etiam noxiam. Inflat enim, inquit. Charitas uerò contrã, membra illa quæ tumore propter scientiam per fracta fuerant atque discissa, edificat. d ¶ Nondum nouit quemadmodum.) Rursus alio modo illos redarguit. Non solum enim, ait, scientia communis est, & dum fuerit charitate destituta, inflat: uerum etiam neque perfecta est, quantum esse oportet. Tanquam diceret: Nondum quicquam perfectum nostis, etsi uobis uideatur: & quam ob causam tantum efferimini? Nedum uerò circa ea, quæ proposita sunt, sed neq; circa ullam rem præsens scientia perfecta esse potest. Dicendo uerò, si quis, sese quoque admiscuit. e ¶ At si quis diligit Deum.) Cum uerò dicat, Quòd si quis diligit Deum, charitate perfectam scientiam fieri demonstrat. Si quis enim, inquit, diligit Deum. Et uide, ne sic quidem dixit, Deum cognoscit: sed, cognitus est à Deo. Et hac sanè uia argumentatur, scientiam perfectissimam fieri non posse, & eorum adimit superbiam. Vel, quòd qui cognitus est à Deo, dignus reuelatione factus sit, ut ipsemet inquit: Et audiui arcana uerba, quæ non licet homini loqui. Hoc insinuans: Qui charitatem habet, ille scientiam præ se tulit perfectiorè.

2. Cor. 12.

f ¶ De

f ¶ De esu itaq; eorū quę idolis.) Quid superbia, inquit, efferimini? Nequaquā uos tantū huiusmodi calletis scientiā, quōd nihil sint idola, hoc est, nihil prorsus digna. Quid enim ligna & lapides esse unquam possent? Omnes sanē id nouimus, non soli uos.

g ¶ Scimus quōd nihil est.) PHOTII: In mundo nihil est idolum: hoc est, nihil eorū quę sunt in mundo, est idolum: ceterū ad inanem opinionē fictio pertinet atque pictura: quare in solis horum opinionibus idolorum, subsistentia solidatur, quippe cū in nulla alia re subsistere ualcant. h ¶ Et quōd nullus Deus alius.) Id contra eos, qui ligna ipsa uel lapides, idolorū uim quandam habere posse putarent.

i ¶ Nisi unus.) Hoc in eos, qui uirtutes aliquas diuinas in idolorum statuis inesse arbitrarentur.

k ¶ Nam et si sunt.) Quoniam dixerat, Nullus Deus est, sed apud Græcos esse credebantur: ne huic Græcorū manifestę opinioni, quę falsa quidem erat, & tamen tenebatur, obsistere uideretur, uide quid inquit. l ¶ Qui dicantur.) Eleganter ait, Qui dicantur: non enim sunt. Est sanē in cælo sol, & est luna: super terram uerō heroēs apud eos habebantur. Nam licet in cælo & in terra cōplures & deos & dominos Græci habeant, nobis tamen unus tantum Deus est.

m ¶ Quemadmodū sunt dñi multi.) CYRILLI: Dij. Angelos enim ait deos per gratiā dici. Ut enim dii sunt principatus, potestates, dominationes & throni, sic et dii. ALIUD. Ab eo quod ait, qui dicant, hoc

accipito. Sunt enim apud Græcos, inquit, qui et dii dicantur, & domini. Porro nobis unus duntaxat Deus est, & unus Dominus. n. ¶ Nobis tamē unus est Deus pater.) Quoniā dixerat, Vnus Deus pater, et unus Dominus IESVS Christus: ne arbitreris patri quidem deitatem, filio autem peculiariter dominationem contributam. In multis enim Scripturæ locis pa-

Psal. 109. trem quoq; Dominū uocant: ut illud, Dixit Dominus

Psal. 44. Domino meo. Similiterq; Deum filium: ut illud, Pro

Rom. 9. pterea unxit te Deus, Deus tuus. & : Ex quibus est

CHRISTVS secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus. At si quis diceret, ad solum patrem pertinere illud, deus, propterea quod dicit, unus: ergo & ad solum filium, dominus, pertinebit, cum dicat, unus dominus IESVS Christus. Sed non ita est: ad differentiam siquidem falsorum deorum ac dominorum dictum est unus. Multi uerò querunt, cuius rei causa etiam spiritus sancti non fecerit mentionē.

Ad quod respondemus: Græcos alloquebatur, qui multos & deos dicebant, & dominos. Veritus est igitur ne, si spiritus sancti quoque meminisset, etiam apud nos deitatis pluralitatem suspicarentur. Quamobrem & patris, & filij, tam cautè meminit: patrem quidem unum dicens Deum, filium uerò unū itidem Dominū, ne duos deos uel dominos suspicarentur. Si enim Deum & Deum dixisset, pluralitatem in diuinitate, propter suam ipsorū ruditatem, Græci putassent: uel dominū & dominū, pluralem dominationē.

Igitur

Igitur & quòd patrem Deum, & filium dixerit Dominum, hæc causa est: promittebat enim unum apud nos esse Deum. Si igitur & patrem & filium Deum dixisset, uel Dominum, seu contrà, reperiretur per suam ipsius sponsonem, quo ad Græcos, sibi ipsi contrarius, pluralitatemq; quo ad apparentiam, tam in diuinitate, quàm in dominatione inducere. Idcirco cum patrem Deum dixisset, filiū dixit dominū, Græcorum concedens infantie. Ostensum est enim Scripturam huiusce nominibus indifferenter usam.

o ¶ (Ex quo omnia.) Ipse siquidem omnibus quæ sunt, causa est. Quòd enim ait, ex quo omnia, creationem præ se fert, productionemq; de nihilo, ad hoc ut aliquid sint. p ¶ (Et nos in ipsum.) Fidei nõ stræ, reconciliationisq; modū edicit. Quasi ad ipsum pendentes respicimus. q ¶ (Et unus Dominus Iesus Christus.) Alius est pater, idcirco de eo ait, Vnus. r ¶ (Et nos per ipsum.) Duplici ratione: tum propterea quòd de eo quòd nõ eramus, ad hoc ut essemus, uenimus: tum quòd ab errore ad ueritatem per ipsum conuersi sumus. s ¶ (Sed non in omnibus est scientia.) Non enim, inquit, nouerūt omnes, quòd unus sit Deus, & unus domiuus, & nõ multi: neq; quòd idola nihil sunt, nouerunt omnes.

^a Nonnulli uerò cum cõscientia idoli ^b nunc usq; ut idolis immolatū comedunt, & eorum conscientia, cum sit infirma, polluitur. Esca uerò ^c nõ cõmendat nos Deo: ^d neq; enim si man

ducemus, quicquam nobis superest: neque si non manducemus, quicquam nobis deest. Caute^f autem ne forte^g potestas hæc uestra^h of fendiculum fiat infirmis. Si enim quispiam uideritⁱ te, qui habes scientiam, in idolorum fa no accumbentem, ^k nonne conscientia illius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandū ea quæ idolis immolata sunt: ^l & perit frater, qui infirmus est, in tua conscientia, ^m propter quem Christus mortuus fuit.

a ¶ Nonnulli uerò cum conscientia idoli.) Dicendo, nonnulli, non eos detexit, ne impudentiores redderet. b ¶ Nunc usq;.) Num cernis non omnes nosse idola esse nihil? Siquidem usque adhuc nonnulli, hoc est, etiam postquam crediderunt, immo latitias idolorum carnes, ut idolis immolatas comedant: hoc est, eadem sententia & opinione, qua etiam Græci, ut qui aliquid idola esse putent. Ex quo igitur infirmam ac marcidam conscientiam habent, polluuntur comedendo, etsi reuera non polluantur. Quare autem qui infirmam non habent conscientiam, non inquinantur? Quoniam nihil sunt in rei ueritate idola, nihilq; digna, & omnino inutilia.

c ¶ Esca uerò non commendat.) Ne, qualis par est, dicerent: Equidem pura conscientia comedo, & quid ad me, an quispiam propter infirmitatem offendet? Ostendit etiam, quòd eadem ipsa comestio, cum ipsorum quoque idolorum contemptu, nihil habeat generosi. Ait enim: Etsi nul-

la iniuria frater afficiatur infirmus, ne sic quidem quicquā laude dignum peregristi, quòd ue ad cœlorū regnum perducere ualeat, ac statueret. Quid enim est manducare, uel non manducare? d ¶ Neq; enim si manducemus.) Hoc est, nullam apud Deum uel famam consequimur uel gloriam, quasi qui magnum aliquid peregerimus, atq; in laude abundemus. Soli- citi nanq; erant illi circa hoc, & ipse eos ostendit nihil agere. e ¶ Neq; si non manducemus.) Hoc est, nihil minus laudis habebimus. f ¶ Cauete autē.) Timentis uerbum est hoc. g ¶ Potestas hæc ue- stra.) Non dixit, scientia, seu perfectio, sed potestas: quod sanè temeritatis est potius, atq; arrogantiæ. h ¶ Offendiculum fiat.) Offendiculum, hoc est, impulsio, seu offensio per deceptionem atq; uersutiā. Cum autē dicat, infirmis, quòd ne infirmis quidem fratribus parcant, accusat: quibus etiam profectò ma- nus porrigi debuerant. i ¶ Te qui habes scien- tiam.) Te qui, ut dicis, perfectus es. k ¶ Non- ne conscientia illius.) An non ansam, inquit, ido- lis immolata comedendi sumet, existimandiq; idola esse aliquid? Cùm uerò ait, ædificabitur, insinuat in- firmitatem illius magis ac magis inde offensuram, au- gmentumq; sumpturam. l ¶ Et perit frater.) Fietq; alteri perfectio tuarum, perditionisq; ansa. m ¶ Propter quem Christus mortuus fuit.) Et CHRISTVS, inquit, sanè neutiquā propter eum mo- ri cunctatus est, tu uerò ne à cibus quidē abstines: neq;

ad hoc usq; ei condescendis, ut non scandalum, offendiculumue patiatur.

Sic autem peccantes in fratres, ^a & uulnerantes illorū conscientiam infirmam, ^b in Christum peccatis. ^c Quapropter si esca offendit fratrem meum, ^d non manducabo carnes in aeternum, ne fratri meo sim offendiculo.

^a ¶ Et uulnerantes illorum conscientiam.) Non ait, offendiculo existentes, sed quod erat crudelius, uulnerantes. Quid enim infirmum uulnerante crudelius atq; sauius? ^b ¶ In Christum peccatis.) Quomodo in CHRISTVM peccamus? Cum uidelicet in fratres peccamus. Quoniam pactus Quoniam seruorū suorum damna, tanquā sua ipsius, Dominus facit: & quoniam in ipsius corpus agunt, qui uulnerant, & quod ipse sua ipsius morte confecit, tu destruis: et sanè quid hac re irrationabilius fieri posset? ^c ¶ Quapropter si esca.) Hoc maxime ad optimū magistrum spectat, ex seipso docere. Vos, inquit, neq; ab idolorū immolatijs aliasq; uetitis, ne fratri offendiculo sitis, abstinetis: ego autem, quid ab idolorū uictimis dicam, ne aliam quidem omnino carnem contingerem. Si igitur ex hac comestione offenderit quispiam, abstinentia hæc æterna mihi erit. ^d ¶ Non manducabo carnes.) Cum dixisset, si cibus fratrem meum offendit, non manducabo carnē in æternum: ne quis putaret id ambitionem, uerborū ue iactantiā, cum id ipsum re ipsa nō præstiterit:

mon

monstrare deinde cogitur, quomodo à licitis etiã absti-
 nuerit, ut nullis offendiculo esset. Quid enim, inquit,
 opus est ut de carnibus idolis immolatis loquar, cùm
 licet ipse iubeat CHRISTVS prædicantem de Euan-
 gelio manducare, hoc est, ab ijs uictum accipere quos
 instruit, elegerim tamen egere, fameq; cruciari, & ni-
 hil à uobis accipere? Non propterea, inquit, quòd
 præbentes, offendiculum passi fuissetis, sed ut uiden-
 tes me uobis absq; sumptu esse, magis edificaremini.
 Ait itaq;: Etiam diuina mihi lege accipere permitten-
 te, ob uestram tamen ædificationem id potius elegi,
 ut nihil à uobis acciperem: imò uerò proprijs mani-
 bus laborabam operans, & uictum mihi conquirens.
 En tandem se uera loqui mōstrauit. Itemq; per aliud
 etiam probat. Si ego, inquit, sic, uos ne abstinere qui-
 dem uultis ab idolorū immolatijs, ne fratribus ue-
 stris, eisq; infirmis, offendiculo sitis, imò uerò perda-
 tis? At descriptionis huius sensus lineas comprehen-
 dit plurimas, atq; illuc usq; protenditur: Cùm sim
 liber ex omnibus.

CAPVT IX.

AN^a non sum Apostolus? an non sum liber?
 nonne Iesum Christum Dominū uidi?^b non-
 ne opus meum uos estis in Domino?^c Si cæte-
 ris nō sum Apostolus, uobis tamen sum. Nam
 sigillū Apostolatus mei uos estis in Domino.
^d Mea responsio ad eos, qui me interrogant,
 hæc est: An nō habemus potestatem mandu-

candi atq; bibendi? Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut solus^h ego & Barnabasⁱ non habemus potestatem non operandi?

† aliàs, hoc

a ¶ An non sum Apostolus? Deinde ne dicerent: Etiam si accipere uoluisses, non tibi licebat: hac sanè de causa non accepisti. Quare, inquit, nõ mihi licebat? an nõ ceteri Apostoli de Euangelio uiuebant? Sanè, inquit. Quid igitur ego? an non sum Apostolus sicut etiam illi? an nõ sum liber? hoc est: Num sub quam dego, qui me accipere prohibeat? Item ne dicerent Apostolos ceteros pluris esse, quippe qui ipsum uiderint CHRISTVM, & cum eo conuersati sint, infert: Nonne IESVM Christum Dominum uidi? ita quod ne in hoc quidem reliquis Apostolis inferior sum. Nouissimè nanq; omniũ, inquit, mihi etiam, uti abortiuo, apparuit.

b ¶ Nonne opus meum.) Deinde ne dicerent: Licet Apostolus sis, nullum tanè opus ostendisti. Et quomodo inquit? an non opus meum uos estis? hoc est: An non opera Apostolis congrua præ me in uos tuli, cum uos, inquam, conuerterim? quod sanè per CHRISTVM in Domino egi.

c ¶ Si cæteris non sum Apostolus.) Et quidem, aut, dicere mihi licet, quod ab Hierusalem, ac circumiacentibus regionibus, ad Illyricum usq; CHRISTI compleuerim Euangelium. Verum eatenus nõ dico, num & uester non fui Apostolus? si enim aliorum non sum

sum, uester tamen sum: ueruntamen nihil à uobis accepi. Huc enim res ab eo gesta spectat. unde ait: Sigillum mei Apostolatus uos estis. Hoc est, si quis uelit nosse an sim Apostolus, uosmet in argumentū adduco. Omnia enim quæ ab Apostolo desiderari possunt, in uobis ostendi, faciens signa, docens fidem, pericula subiens, ac uitam præ me ferens inculpata. Hæc enim atq; huiuscemodi, imponunt sigillum, exprimunt, insinuantq; Apostolum. d ¶ Mea responsio.) His qui discere cupiunt, unde uidelicet Apostoli signa monstrauerim, uel unde pateat me gratis, ac sine sumptu Euangelium prædicasse, uos ipsos in testimonium demonstrationemq; adduco. hoc est enim quod ait, Mea responsio ad eos, qui me interrogant, hæc est, Apostolatus inquam in uos. e ¶ An non habemus potestatem.) An non habebam potestatem manducandi atq; bibendi ex eorum substantijs, quos docebam? id namq; CHRISTVS mandauit: attamen abstinui, ne uobis offendiculo essem. f ¶ Nunquid non habemus potestatem.) Diuites quæ crediderant mulieres, quosdam sequebantur Apostolos, in eorū usus necessaria suppeditantes, quò deinceps circa hoc nulla detentura, soli instarent prædicationi. Sed animaduerte, quòd Apostolorum coryphæum ac principem, extremū posuit, hoc insinuans: Ecquid mihi de reliquis sermo? An non Petrus ipso id ipsum agit? g ¶ Et fratres Domini.) Fratres Domini eos uocat, qui fratres illius habebantur. Ex quo enim sic ap-

pellabantur, ipse quoque iuxta communem opinionem locutus est. Dicit autem filios Ioseph, quippe qui propter desponsationem ipsius Deiparæ cum Ioseph, fratres Domini uocabantur. Dicit sanè Iacobum, Hierosolymorum episcopum, Ioseph, eiusdem cum patre nominis, Simonem, ac Iudam. h. ¶ Aut ego solus & Barnabas.) Sciens ipsum Barnabam exacte huius diligentiae participem secum fuisse, gratis, inquam, prædicasse, etiam cum facultatem haberet accipiendi, ut dixerat, nequaquam cum occultauit. i. ¶ Non habemus potestatem.) Non habemus potestatem non operandi? ea exquirendi quæ ad cibum pertinent ac sufficientiam ex prædicatione? Attamen cum potestatem habeamus, ea usi non sumus, quò uobis magis magisque prodesse uis, gratis Euangelium prædicantes. Quòd si hoc manifestum est, quòd si cognouissem nos ex carniuum comestione offendi, quanquam id non sit interdictum, non comedissem carnes in æternum, ne ipse in causa essem, cur offendiculum pateretur frater: quanto ergo magis cauere uestra interest ab ijs quæ idolis immolata sunt, non modò ne frater offendant, uerum etiam ne conscientie polluantur? Porro illud, An solus ego & Barnabas non habemus potestatem non operandi? germanius est lectioni, magisque genuinum, si hoc sensu accipiat: Ceteri quidem Apostoli potestatem habent non operandi, manibusue laborandi, sed ex ijs quæ subministrantur eis sese nutriendi: uerum ego ac Barnabas, (ut uidetur) inquit,

hanc

hanc facultatem non habemus, sed necessario manibus laborantes, sic ea nobis, quæ ad usum necessariū spectant, conquirimus.

^a Quis militat suis stipendijs unquæ? ^b Quis plantat uineā, & de fructu eius non edit? ^c Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non comedit? ^d Num secundum hominē hæc loquor? An non etiam lex eadem dicit? Nam in Mosis lege scriptum est: Non obligabis os boui trituranti. Num de bobus curæ est Deo? An hoc propter nos omnino dicit? Propter nos enim hoc scriptum est, quod & sub spe debeat qui arat, arare, & ^h qui triturat sub spe, spem suam assequendi.

Deut. 25.

^a ¶ Quis militat.) Quis, inquit, dum militat, ex proprio, & non ex militia alitur? Id est enim, ex suis stipendijs. Eleganter uerò primo loco militis exemplum posuit: maxime namq; Apostolatui competit, ob pericula illa, bellumq; spiritualium hostium, quæ in eo uersantur. ^b ¶ Quis plantat uineam.) Omnia hæc exempla, magistrum de rebus discipulorum comedere oportere insinuant: uti de militia militem, de uineæ fructibus eum qui eam plantauerit, & qui pascit gregem de lacte gregis: attamen id uolente iustitia, Christoq; iubente, ego absq; sumptu, & gratis, quò nulli offendiculo essem, uobis prædicaui. Ego igitur à rebus licitis ac permissis, ob uestri ædificationē abstinui: at uos ne ab immolatitijs quidem idolorum, ne fratri offendiculi ansam præbeatis, abstinetis. Hic

sanè in toto hoc loco scopus est illi. ALIVD: Ex vinea laborè, qui in Apostolatu est, insinuat. c ¶ Aut quis pascit gregem.) Doctrinã per gregem ostendit, & curã illam, quæ in apostolici muneris functione habetur. d ¶ Num secundùm hominem.) Quoniam alimentũ sumi ab ijs qui docentur ostendit, & ceterorumq; Apostolorũ consuetudinẽ id uelle: rursus ex Scripturarũ testimonio id persuadere conatur, & ait: Num secũdùm hominẽ hæc loquor: hoc est: Nunquid hominibus duntaxat hoc uidetur: uel ex humanis tantũ exemplis rationi consonum esse, ostendere possum? An non & lex eadem dicit? e ¶ Num de bobus.) Ne quis diceret, Ecquid habet ad propositum, exemplum de bobus? intulit: An de bobus sollicitus est Deus? Cura sanè illi est & de brutis: at non ita, ut pro ijs etiam legem sanxerit: uerũ ex hoc instruere nos uult, nõ frustra laborantes laborare, sed alimenta ex ipso labore haurire. Ex quo igitur laboraui, iurè ali pasciq; debui. f ¶ An hoc propter nos.) Istud, omnino, quasi de re cõfessa inquit: id est, modis omnib. g ¶ Quòd sub spe.) In boum persitit similitudine, quòd magister profecto laborũ mercedẽ accipere debeat: nõ ut nihil ultra accipiat, sed ut spem habeat, post temporale hæc breuemq; remunerationẽ, æterna illa et immensa bona assequedi. Id enim insinuat illud: Et qui triturat sub spe, ut spem suã assequatur. Nam spem de ministerio suo habebãt assequendorũ alimẽtorũ, ab ijs qui doceban-

tur,

accipiebantq̄. Num hæc illis spes ultima erat? Imò hanc affecti, maiora adhuc præstolabantur, atque sperabant. Hoc est autē quod ait, quòd alimentorum acceptio ab ijs qui erudiebantur, nulla in re futurorū spem remunerationēue intercipiebat: inde significans, quòd licet nullum fuerit ad mercedem impedimentum, hoc est, si ab ijs qui disciplinis imbuuntur, alerent, abnui tamen alimenta. Pluribus autem id syllogismis rationibusq̄; non esse interdictum probat: et ob id quod dictum est, & propterea, ne, dum ipse abstinet, alios qui uterentur, calumniari putaretur.

h ¶(Et qui triturat.) Eadem rursus metaphora. Et qui triturat, inquit, sub spe, ut spem suam assequatur. Ex quo igitur qui arat, sub spe arat: eandem rursus spem & qui triturat, assequi debet, quam dum arabat, sperabat. Quæ uerò spes? Assequendorū uidelicet fructuū. Deinde subdit, sub spe. Ne quis enim diceret, Tantorū ne, totq̄; laborum, quos tulerunt Apostoli, merces erit comestio? intulit, Sub spe: hoc est, sub spe quidem futurorū bonorū laborant Apostoli, ueruntamen oportet ut & hic consolationē, uidelicet subministrationē, ab ijs habeant qui erudiuntur. Hoc autem illud præ se fert, quòd sub futura spe oporteat & alteram consequi spem, hoc est, alimentum, & cætera.

^a Si uos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si uestra carnalia metamus? ^b Si cæteri potestatis uestræ participes fiunt, cur nō po

tius nos: ^c Sed non usi sumus hac ^d potestate, ^e imò omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. ^f An nescitis quòd ij qui sacra peragunt, ex sacrario alunt: ^g Qui sacrario assistent, unà cum ^h altari partē capiunt: ⁱ Ira & Dominus ordinauit, ut qui Euangeliū annunciant, ex ^k Euangelio uiuant. ^l Ego autē nullo horum usus sum. ^m Non scripti autem hæc, ut ita fiat in me: ⁿ nam bonum mihi est potius mori, quàm ut gloriationem meam, quis inanem reddat.

a. ¶ Si nos uobis spiritualia.) Item ^o aliud dicit, ut magistrum pasci oportere insinuet. Haud enim paria, inquit, ijs quæ accepistis, præbetis. Si enim nos, inquit, spiritualia in uos seminauimus, hoc est, exhibuimus, magnum est si carnalia acceperimus? Spiritualia fidem uocans, carnalia uerò alimentum.

b. ¶ Si cæteri.) Seductores quosdam, qui eos possidebant, insinuat: ^p non modò apud eos comedebat, uerum etiam potestatem in eos exercebat. Si ergo illi uestre participes sunt potestatis, imperando uobis: an non potius igitur nos iurè id agere possemus?

c. ¶ Sed non usi sumus.) Vidēs ne quò consilium, sensus, argumentum ue tendat? Licet enim mihi accipiendi à uobis potestas adesset, quemadmodum ostensum est, ^q ex eo quòd reliqui Apostoli id agerent, ^r ex ea quæ exposui exempla, ^s ex Mosis lego: ueritas tamen ne per hoc aliqui circa fidem impingeret, nihil attigi. Itaq; si ego, inquit, à licitis etiam atque permisis

permis, ne quos scandalo afficerē, abstinui, (id nan-
 que uult sensus) uos, ne non fratribus, ijsq; infirmis
 offendiculo sitis, uel ab immolatijs idolorum, & o-
 mnino interdicitis ac uectis non abstinētis? d ¶ Hac
 potestate.) Id est, nihil à quoquā accepi. e ¶ Imò
 omnia.) Ne enim quisspiam diceret, Non indigebas,
 idcirco non accepisti, addit: Imò omnia sustinemus, ut
 esuriem, sium, atq; nuditatem, dummodo nullum ori-
 retur impedimentū: hoc est, obtingens mora, seu cum-
 ctatio, Euangelio ac prædicationi. f ¶ An nescitis
 quòd ij qui sacra.) Non cōtentus primis, alia quo-
 que infert, declarans sibi licere accipere à discipulis,
 & ait: Qui sacra peragunt, hoc est, qui in sacrario
 permanent, quiq; in eo ministeria, tam sacerdotes,
 quàm Leuitæ peragunt, ex ipso sacrario edunt. Non
 ait, ex ijs quæ offeruntur, ne & eos qui accipiunt, ex-
 tenuaret, & qui dant, extolleret: sed ex sacrario, in-
 quit. g ¶ Qui sacrario assistunt.) OECUMENE-
 NII: Eos quidem qui sacra peragunt, Leuitas dicit,
 qui ad decimationes sumebant: eos autē qui sacrario
 assistunt, sacerdotes significat, qui habebāt ea quæ ex
 hostijs auferebantur. h ¶ Vnā cum altari.) Idem
 & in hoc loco argumentū protulit. Non enim, ait, à
 sacrificantibus sumunt, sed, ex altari. Nam postquam
 oblata fuerint, non iam illius qui obtulit, uerū ipsius
 sacrarij atq; altaris sunt. Pulchrè uerò ait, Partem ca-
 piunt: quædam nanq; tota holocausta sibi habebant, id
 est, tota comburebantur, soliusq; altaris erant: at qui

ex ijs quæ immolabantur, quorundam quidem san-
 guis altari profundeatur, adepsq; adolebatur: quo-
 rundam uerò ablationē quandam ex carnibus sume-
 bat sacerdos, ut dextrū armū, pectus, & abomasum.
 i ¶ Ita & Dominus ordinauit.) Ita. Nihil, inquit,
 peregrinū dixi, sed ueteri insistens, nihil noui molit-
 us, egi. Expende autē, quod maximū erat, extremū
 posuit. k ¶ Ex Euangelio uiuāt.) Quemadmodū
 illie, nō ex ijs quæ offerūtur dixit, sed, ex sacrario, &
 ex altari: ita etiā hīc, nō ex discipulis dixit, sed ex E-
 uangelio. Eleganter uerò uiuere dixit, insinuās nihil
 amplius licere, præterquā uictū, & quibus tegamur,
 accipere. l ¶ Ego autē nullo horū.) Horū. Quo-
 rum nam? Nempe exemplorū quæ dixi, legis, Chri-
 stiq; permissionū, quòd magistros accipere oporteat,
 atq; ab ijs, quos docēt, uictū sumere. m ¶ Non scri-
 psi autem.) Ne idcirco eum hæc scripsisse putarēt,
 ut qui posthac accipere uelit, idipsum emendat. Ne-
 quaquā, inquit, hæc scripsi, ut ita in me fiat, quæadmodū
 exēpla, ac domini præcepta uolūt: hoc est, ut accipiā.
 n ¶ Nam bonū mihi est.) Animaduerte obsecro,
 quāta cū uehemētia accipere renuat. Præstat sanē, in-
 quit, mihi potius mori, ut fame, q̄ ut euacuetur, ina-
 nisq; mea circa hoc gloriatio reddatur. Ne quis enim
 dicat, quòd licet nō accipiat, uerūtamen ægrè fert, ac
 moeret sanē ob idipsum quòd nō accipit: gloriatiōnē
 remuocat, significās super id quod gerebatur gaudiū,
 & alacritatē, Quis enim Pauli gloriatiōnē inanem
 redditu-

redditurus sit, dum quicquid ei suppeditat in Euāgelium?

^a Etenim si euangelizem, ^b non est quo glorier: ^c necessitas enim mihi incumbit. Væ autē ^d mihi est, nisi euangelizem.

^a ¶ Nam si euangelizem, inquit, nō est quo glorier. Quidnam igitur est quo glorieris? (dicat quispiā.) Intulit: Dum absq; sumptu, gratisq; facio Euāgelium. Quid igitur? maius id dixerim Euangelizatione? Nequaquā. Ceterum euangelizare iussus sum, idq; mihi iniunctū est: at sine sumptu id agere, promptitus dimis, alacritatisq; meæ opus est. ^b ¶ Non est quo glorier. **OECV.** Gloriationē nimirū id dicit, quod ex propria animi alacritate ipse mōstravit. Dominicum autē præceptū, uti fidelis seruus, nō ad suum refert opus. Audiuit enim dicentē dominū: Cum omnia **Luc. 17.** hæc feceritis, dicite: Serui inutiles sumus, quod facere debuimus fecimus. Quamnam gloriationē dixerim, quæ à necessitate pendet? ^c ¶ Necessitas enim mihi. Quandoquidē ipse iusserit Christus. ^d ¶ Væ autem mihi. Domini nanq; præcepta transcendō.

^a Si enim spōtē hoc faciā, mercedē habeo: at ^b si inuitus, dispensatio mihi credita est. ^c Quæ igitur mihi est merces? Vt cum euangelizē, gratis ponā Euāgelium Christi, in hoc, ^d ut nō abutar potestate mea ^e in Euāgelio. ^f Nā cum liber sim ex omnibus, omnibus me ipsum seruū feci, sed plures lucrificiā: & factus sum ^b Iudæis quasi Iudæus, ut Iudæos lucrificiā: ⁱ ijs q; sub lege sunt, quasi sim sub lege, ut eos q; sub lege sunt lucrif-

faciã: ^kijs qui sine lege sunt, tanq̄ sine lege sim, ^lcũm nõ sim Deo sine lege, sed legi Christi obligatus, ut eos qui sine lege sunt lucrifaciam. ^m Factus sum infirmis, quasi infirmus, ut infirmos lucrifaciam. ⁿ Omnibus factus sum omnia, ut omnino aliquos seruẽ. Hoc autẽ facio propter^o Euangeliũ, ut particeps illius fiã.

a ¶ Si enim spontẽ, inquit, hoc faciam.) Quidẽ Si absq; sumptu ponam Euangelium, mercedem habeo: quandoquidem etiam Domino accipere iubente, non accepi. VEL sic: Si enim Euangeliũ prædicare, me e omnino alacritati adscriberetur, nullaq; mihi ex dominico præcepto necessitas incuberet, iurẽ hinc magnam mercedem sperarem, & mihi tanquam de proprio factõ placere. Porro si perinde atq; cui commissum, concreditumue ministerium sit, & qui ministrandi præceptum habeam, id faciam, haud iam similis merces sequetur. De hoc igitur gloriari nequaquã licet. Super quod ergo adedõ illustris erit & merces, & gloriatio? Cũ quis, inquam, Euangelium, ut iustus est, prædicat, & nihil ex ipsa prædicatione, ne quod ad uictum quidem, eumq; exilem, spectat, accipiat: sed gratis, & absq; sumptu in seruiat ministerio.

b ¶ At si inuitus id agam.) Quidnam? Nempe Euangelij annunciationem. Inuitus autẽ dixit, quod non sit opus ipsius, prædicationis officiũ, sed CHRISTI imperium. Non ait quemadmodum supra, mercedem non habeo, uerũ, dispensatio mihi concredita est:

ta est: significans id etiam mercedis esse, at non illi par-
 ris, cum quis gratis prædicat. OECUMENII: Seu
 hoc modo: Si quidem lubens id agam, si inquam absq;
 sumptu Euangelium ponam, mercedem habeo: si au-
 tem inuitus, neq; sic pecco. Quid igitur? Dispensatio
 sanè credita est mihi. Porro ijs, quibus dispensatio hu-
 iusmodi cõmissa est, accipere licet. Nam Dominus
 inuit eos qui Euangelium prædicant, ex eo edere. Lu-
 bentis sanè atq; inuiti hæc est differentia. Lubens qui-
 dem est, ubi etiam uoluntas sibi cõplacet, libenter fe-
 rens, & gaudens in eo quod fit: inuitus cõtrà, ubi cum
 ui uoluntatisq; necessitate hoc ipsum agit. c ¶ **QUE**
 igitur mihi est merces?) Ex quo locutus obscure
 fuit, seipsum exponit, quænam uidelicet sibi gloria-
 tio sit. d ¶ **UT** non abutar potestate.) Potestati
 ubique dicit, eos qui accipiunt, non errare indicans.
 Nam potestatem accipiendi habent. Exactam uerò
 illius inspicio diligentiam. Abusum id uocat, quod o-
 mnino est usus: ut sanè est accipere. Nimirũ quod cæ-
 teris peccatũ nemo dixerit, noxiũ sibi putat: nõ quòd
 reuera sit noxiũ, sed quòd exactè semetipsum explo-
 ret. e ¶ **IN** Euangelio.) In Euangelio addit, in-
 dicans, quòd qui prædicationi inseruit, accipere de-
 beat: qui laborat, inquam, & non qui ocio atq; iner-
 tiæ uacat. f ¶ **NAM** cùm liber sim ex omnib.)
 Quod erat maius dicit. Non modò, inquit, nõ accipi,
 alioqui potestati habens: uerum etiã cùm essem liber,
 nulliq; subditus, spontè meipsum seruũ feci, quò mul-

tos, hoc est, plures seruarem. g ¶ Vt plures lucrifaciam.) Animaduertis ne charitatē? Aliorū salutem propriū lucrū ducit. h ¶ Et factus sum Iudæis.) Modos deinde seruitutis edicit. Neutiq̄ uerò dixit, Iudæus factus sum, sed tanq̄ Iudæus: ut panderet, dispensationis fuisse id quod agebatur. Proinde quādo factus est tanq̄ Iudæus? Cūm Timotheū circumcidit: cūm purificatus unā cum illis qui uotū habebāt, ingressus est in templū. Quò etiā eos, qui reuera Iudæi erant, cōuerteret, factus est ipse tanquā Iudæus. Quonam modo? Quoniā nisi circumcidisset, ac purificatus esset, persuasissetq̄; per hoc sese legi adherere, ad eum nullo modo accessissent, sed ueluti cum apostata, ne in colloquio quidem cōmunicassent. Quonam pacto eos seruasset, qui ne accessissent quidē, nec doctrinā illius auscultassent, imò ut profanū, abominandumue iudicassent? ISIDORI: Fuit Iudæis quasi Iudæus, cūm purificatus in templo hostiā obtulit, & Timotheū circumcisum Iudæis magistrū misit, quò per circumcisionē ipsam, deturbaret circumcisionē. Quocirca nō ait, Iudæus, sed quasi Iudæus. Iis qui sine lege sunt, quasi & ipse sine lege fuerit: quādo Atheniensibus differens, nō à prophetis eos, nō à lege cōfutabat, sed ab ara admonitionē cōficiēbat, à proprijs eos deuincens dogmatibus, ubi per ipsam aram, etiā quisnā ignotus Deus esset, inuenit. Quare nō ait, sine lege: sed, quasi sine lege. Quòd uerò ait, Cūm nō sim Deo sine lege, sed legi Christi obligatus: uel ut parilitatem ostendcret

offenderet dixit (nam circa eandem substantiam nulla
 esse differentia potest:) uel si hoc ui extortum ducas,
 id significare arbitror, quòd non iuxta solam illam le-
 gem, quæ patri adscribitur à nonnullis, quæq; pro ad-
 discendum habitu uel assuetudine, nõ pro illius digni-
 tate, qui dedit, potius accommodam paruulis duxerit
 uitam, inò uerò iuxta coelestem illam, ac perfectam
 CHRISTI legem. Non sine lege, iuxta ueterẽ illam,
 atqui legi iuxta Euangeliũ obligatus. Non extra le-
 gem, sed etiam intra gratiã. Non sum propter legem
 fornicatus, at propter Euangeliũ ne lasciuẽ quidem
 aspexi. Non occidi ob timorẽ, sed ab ira quoq; ob de-
 sideriũ temperaui. Qui enim ueterẽ illã seruauit, ne-
 quaquam erat à lege Dei alienus: qui autem nouam,
 legi quoq; CHRISTI obligatus est. Hæc porrò in-
 quit, non ut patri quidem legem, filio autem Euange-
 lium daret, sed ad uulgi opinionẽ, suspicionemq; re-
 spiceret. Omnia enim quæ patris, sunt etiã filij: ac rur-
 sum quæ filij, patris. THEODORETI: Iudæos, ut
 reor, illos uocat, qui fidei nondum præbuerunt assen-
 sum. Sub lege autem eos, qui Euangeliũ quidem sue-
 rant iam amplexi, legis tamen obseruatiẽ adhuc ha-
 bebantur obnoxij. Enim uero & horum causa, & il-
 lorum, legis quoq; purificationẽ Hierosolymis subiit,
 necnon Lycaonia Timotheum circumcidit, & mille
 alia id genus per dispensationem egit. i ¶ His qui
 sub lege.) Sub lege eos uocat, qui ex Iudæis ad fideẽ
 uenerant, sed adhuc legi inhærebant. Cæterũ quando

factus est ipse quasi sub lege? Quando dixit illi Iaco-
 bus: Cernis frater quot millia sunt qui crediderunt,
 Act. 21. omnesq; legis emulatores sunt? Tunc enim propter
 eos purificatus est. Animaduerte autem ubiq; apposi-
 tum esse, quasi, quò hæc dispensationis gratia facta
 monstraret. k ¶ Iis qui sine lege.) Dicit Gentes,
 qui sub Moysi lege non erant: inter quas ipse degens,
 eorum quoq; imbecillitati cõdescendit, nec multa eis
 magna monstrauit dogmata, conscius eos minime fer-
 re posse. Ita igitur factus erga eos sum, tanquam non
 essem sub CHRISTI legibus. Idcirco enim cum Athe-
 nienses alloqueretur, nequaquã altè, uti de Deo, ea que
 ad CHRISTVM pertinent, disputauit, sed perinde
 atq; de homine quopiam tenui. Haud enim capaces
 fuissent ad aliquid tale audiendũ. Eum nãq; suspicati
 sunt, perinde ac quẽlibet ex ijs, qui apud ipsos inter
 deos habebantur: qualis Hercules, qualis & Aescu-
 lapius, ac cæteri id genus. l ¶ Cùm nõ sim Deo.)
 Ne deinde putares factum fuisse consilij permutatio-
 nem, intulit, Cùm sine lege Deo nõ essem: hoc est, sine
 lege Dei: sed legi CHRISTI obligatus, id est, sub
 CHRISTI legibus degerem. Notandum autè est uer-
 bum hoc, Non sum sine lege Deo, sed legi obnoxius.
 Et pro eo ut diceret, Dei (id nanq; erat consequens)
 dixit, CHRISTI: ergo & Deus est CHRISTVS.
 m ¶ Factus sum infirmis.) Neq; sanè intra hæc
 me cohibui, uerum etiam infirmis circa fidem & ipse
 tanquam infirmus factus sum. Quo enim pacto non
 fuit

fuit sic, quandoquidem dum prædicabat, de filio & spiritu sancto nequaquam altè, tanquã de Deo, mentionem faciebat? PHOTII: Atque in Epistola ad Romanos, ubi eos qui in edendis carnibus faciebant discrimen, ob quorundam obseruantiam carnium, horum concedens infirmitati, nec ipse redarguit, nec alij perturbationem illis inferre permisit. n ¶ Omnibus factus sum omnia.) Et ut paucis expediã, omnibus ea factus sum, quæ ipsi fuerant, haud omnes seruare expectans (alioqui non ita fuisset admirandum) sed ut uel paucos, inquit, seruarem. Quòd autè dicit, omnino, ad prædicantium adhortationem positum est. Nam ut difficile est, inquit, ut omnes seruentur, ita quoq; ut nemo seruetur. o ¶ Propter Euangelium.) Euangeliũ eos uocat, qui per Euangelium seruantur: ut in superioribus dixit, Ex Euangelio uiuere: hoc est, ex ijs qui Euangelio crediderunt: ut cum illis cõmunicare queam in bonis, quæ illos manent, omnia & feci, & facio. Præstantiam perspicere humilitatis. Hæc autem prompsit, nõ quòd mercedem ullam peregerint, sed ut eos attraheret ad omnia pro fratrum utilitate, ut ipse agebat, per agenda,

^a An nescitis quòd qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit brauium? ^b Sic currite, ut comprehendatis. ^c Omnis autem qui agone decertat, per omnia temperans est. ^d Itaq; illi quidem ut corruptibilem

coronā accipiant, nos uerò incorruptibilem.
 *Ego igitur sic curro, ueluti nō ad incertū: sic
 pugno, ut nō aëra feriens: sed subiciō cor-
 pus meū, & in seruitutē adigo, ne fortē cū a-
 lijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

a ¶ An nescitis quòd qui in stadio.) Postquā
 ostenderat oportere infirmis indulgere ac condes-
 cere, dicendo: Factus sum tanq̄ ludæus, quasi sine le-
 ge, ueluti infirmus, quòd eos, qui ita reuera erāt, serua-
 rem: deinceps acrius cum illis disputat. Id uerò dixit
 exemplū, nequaq̄ ut qui, quòd ex omnibus unus dun-
 taxat seruetur, ostendere cupiat: minimè: uerū insi-
 nuans, nō satis esse credidisse, sicut nec illis eucurrisse,
 sed ad brauiū usq; conari oportere, ad coronā inquā.
 Nam si scientiam, inquit, habetis fidei, nisi etiam cum
 fratrum charitate habeatis, nihil inde utilitatis adi-
 piscemini. Hanc enim & in superioribus rationem
 exercuit. b ¶ Sic currite.) Nondum igitur cōpre-
 henderant. c ¶ Omnis autem qui agone.) Mo-
 dum quoq; quo quis cōprehendere possit, docet. Per
 omnia, inquit, temperans est. Non, inquā, ab hoc qui-
 dem compefcit, ab illo autem minimè. Id nanq; & lu-
 ctam agere, & agonem dixerim, fieri uirtutū omnium
 mandatorumq; custos, nec non à malis omnibus, cōtra-
 riiq; abstinere. Is uerus nempe luctator est. d ¶ Ita
 que illi quidem.) Ex comparatione ad minus, rem
 ipsam auget. Si illi, inquit, qui in agone certant, per
 omnia temperantes sunt, ne ipsum robur soluant, cor-
 ruptibilem

ruptibilem coronam affectantes: quanto magis nos, qui nulli prorsus corruptioni obnoxia expectamus? an non ipsi magis ab omnibus nocumentum afferentibus continebimus? e ¶ Ego igitur sic curro.) Deinde in medium sese fert. Hanc sanè optimam doctrinæ normam dixerim, ex semetipso inuenire exempla. Equidem igitur scitè, & non temerè, inaniter, uel ad nullum propositum scopum curro, quemadmodū uos, inquit, inaniter curritis. Quodnam igitur uobis emolumentum, quòd perfectionem uidelicet ostentetis in edendis immolatitijs? Quenam tua hæc perfectio est, quæ fratrem plurimo afficit detrimento? At ego non ita, inquit: imò uerò opportuna condescensione usus sum, ut omnino aliquos seruem. f ¶ (Ut non aëra feriens.) Ego enim ita pugno atque decerto, non quasi aërem feriam: habeo enim quendam, nempe diabolum, quem feriam: uos autem fidei cursu, plagiarumq; pugna, ad nihil quod sit opere precium aut decens, usi estis. g ¶ (Sed subiicio corpus.) Habenas, inquit, nec uentri laxo, nec corpori: uerum coërceo, subiectumq; reddo. Id enim præ se fert, castigo, atq; in seruitutem redigo: hoc est, domo, utq; seruum ago. Haud sanè, inquit, sola concludit prædicatio, nisi etiam ea promam quæ apud me sunt. Dum uerò hæc dicit, clam illos tangit, ut & gula deditos, & quòd satis non sit illis, duntaxat credidisse, sicut nec mihi, inquit, prædicasse, nisi & corpus, & ipsius seruituti subegeritis concupiscentias.

CAPVT X.

Nolo autem uos ignorare fratres, quod patres nostri omnes^b sub nube fuerant, & omnes per mare transferunt, & omnes^c in Mosen baptizati sunt^d in nube, & in mari, & omnes^e eandem escam spiritualem^f comedebant, & omnes^g eundem potum spiritualem bibebant. Bibebant enim^h de spirituali, i qua illos sequeretur, petra: petra autem fuit Christus. k Sed non in pluribus eorum complacuit sibi Deus: l prostrati enim fuerunt in deserto. Hæc autem^m figuræ nostri fuerunt, ad hoc, ne malorum concupiscentes simus, n quemadmodum illi concupierunt. Neque idololatrem sitis, ut quidam ex eis, sicut scriptum est: Sedit populus ut manducaret ac biberet, & surrexerunt ad ludendum.

Exod. 32.

a ¶ (Nolo autem uos ignorare fratres.) Recenset deinceps, quot, quantisque muneribus à Deo digni facti Iudæi fuerant: declaratque complures post munera hæc minime Deo placuisse. Hæc autem dicit, insinuans, quod quemadmodum illis tot tantorumque donorum fruitio (quoniam quæ ad se spectabant non præbuerunt) ita neque uobis quicquam proderit fides, et quod mille sitis donis spiritualibus frui, nisi etiam dignos exhibueritis uosmetipsos gratia Dei. GEN. NADII: Quod patres nostri omnes.) Per hæc à ueterum comparatione docere eos congruentia cupit, ostendens illos quoque, non secus ac in quadam figura, æqualibus dignos effectos. Sic etenim mutuo demon-

demonstrato exemplo, repertus est non iniuria illos admonere, ne & ipsi similia patiantur, quò à similibus perpetrandis cauerent. Quòd igitur ipsi sub nube degerint, ostensio fuit spiritus sancti gratiæ. Etenim nubes illa, quæ illos obtexit, ab Aegyptiorum iniuria tutata est: & nos spiritus sancti gratia, à demonia ca eripuit malitia. Porrò quòd illi per mare transierunt, eundè ad modum cõgruit nostris. Quòd enim illis marinus præbuit transitus, dum eos quidem à bellis perfectè liberauit, firmam uerò illius quòd erat reliquum, libertatem largitus est, id nobis contra hostes nostros demonas baptisma peregit. Quòd uerò in Mosen baptizati in nube fuerint, & in mari, præ se fert, quòd quemadmodum illi hæc assecuti, Mosaicis legibus uiuere promiserunt: sic etiam nos in baptismo adoptionis spiritum assecuti, scõdera, confessio nesq; firmauimus uiuendi iuxta legem CHRISTI, quemadmodum Iudæi Mosi dixerunt: Quicquid dixerit nobis Deus, faciemus, post transitum maris rubri. Exod. 19.
b ¶ (Sub nube erant.) Dicit enim Dauid: Statuit illis nubem in umbraculũ, & ignem ut luceret eis per noctẽ. Psal. 104.
c ¶ (Et omnes sub Mose baptizati sunt.) Hoc est, cum ipso Mose in baptismo cõmunicarunt. Ex quo enim baptisma, CHRISTI morti cõmunicare nos facit, quoniam in iisdem mirabilibus, quæ dixerat, Iudæi unà cum Mose participes fuerunt, baptismum uocauit. Cupit enim typum q̃ proximè introducere ueritati, idcirco eodẽ usus est uerbo, cõmuni

cationem inquam ipsius marini transitus, baptismū uocans. GREGORII: Moses quoq; antea & in nube, & in mari baptizauit. Porro ut Paulo quoque uidetur, mare typum gessit aquarum: nubes, ipsius spiritus: manna, panis uitæ: potus, diuini illius poculi. PHOTII: Ad illum, inquit, respicientes, & in eum confisi, commiserunt sese ut marino alueo baptizarentur: ac deinde etiam sub nube tegebantur, hunc subsequentes. Licet enim aquis obruti non sint, attamen in illo aquarum loco existentes gradiebantur, in quo qui graderentur, pro ipsius aquæ natura, necessariò tota illa aquarum mergerentur mole. OECUMENII: Quoniam Mosē per ipsius maris diuisiones introeuntem cernentes imitati sunt: igitur tanquam præuius antistes, duxq; huius rei fuit illis Moses, tam in nube quam in mari.

d ¶ In nube.) Nam simul cum Mosē, & sub nube obumbrabantur, ac per maris diuisionem gradiebantur. e ¶ Et omnes eandem escam.) THEODORETI: Spiritualem, inquit, & cibum & potum: tanquā ipso spiritu ambo hæc per Mosē iuxta ineffabilem uirtutem suam exhibente. Loquitur uerò de manna, de carnibus, ac de aqua. f ¶ Comedebant.) Ut manna, sicut & nos corpus CHRISTI. g ¶ Eundem potū.) Ut eam, quam ut ex dura petra exiliret fecerant aquam: nõ secus ac nos Christi sanguinem. Nam licet hæc sensibilia illis fuerint, spiritualiter tamen exhibebantur. Non enim natura, sed gra

tia spirituali exhibitio illa facta est. PHOTII: Sensi-
 bilis quidem petra illa fuit, quæ Israelitis escaturiu-
 it aqua: & nequaquam suapte natura hanc emisit, sed
 uirtute spiritualis illius petrae, quæ per efficaciam ade-
 rat, & usui necessitatiq; sitientium obsequebatur: hoc
 est, quæ ad eorum tum salutem, tum utilitatem, trans-
 mutabat transformabatq; omnia, eorum pariter uo-
 luntatem subsequerebatur, & nunc quidem illis ad transi-
 tum ad instar petrarum conglutinabat aquam, alias uero
 ad potum, & escam uberrimam cœlum subministrabat,
 quandoq; autem petram in aquarum fontem os aperi-
 re fecit. Quapropter non immerito ex spirituali pe-
 tra bibere dicti sunt. Hæc enim fuit quæ sensibilem il-
 lam petram aquarum fontibus escaturire fecit. Quam
 uero dixeris spirituales illam fuisse petras, quæ om-
 nia hæc fuerit subsequuta, & ad cuiuslibet tempo-
 ris opportunitatem, naturas rerum transmutauerit
 ac transfulerit? Quamnam, inquam? Ait, CHRIS-
 TVM sanè, qui nunc quoq; similia erga nos, ac ma-
 iora demonstrat. Potest autem id quod dixerat, quæ
 illos sequebatur, & aliter accipi. Intelligibilis ete-
 nim petra, CHRISTVS inquam, non ea modo quæ di-
 ximus, illis mirabiliter, ac supra hominis captum sub-
 ministravit, uerum etiã in reliquis deinceps & subse-
 cuta fuit, & post eos abiit, proxima his atq; maiora
 Israelitæ populo tribuens beneficia: sed etiam nunc
 quoq; nos, qui fideles sumus, sequitur. Adeo quod per
 continuationem eiusdem prouidentia sunt, eiusdemq;

Domini ac Dei, cum ea quæ in ueteri habebantur Te-
 stamento, mira opera & beneficia, tum quæ in nouo,
 h. ¶ Bibebant autem de spiritali.) Cum potum
 dixisset spiritalem, nihilq; inusitatum admirandum
 ue, quemadmodum manna, haberet in se, sed esset a-
 qua cõmunis, escurationis modo spiritalem illam
 ostendit: haud enim ex sui natura petra aquã protu-
 lit. Si enim hoc fuisset, oportebat sanè ut antea quo-
 que eam diffudisset: uerùm alia quædam spiritalis
 petra, quæ sanè erat CHRISTVS, hoc totũ peregit.
 i ¶ Quæ illos sequebatur.) Quòd autem dicit,
 quæ illos sequebatur, iugem cum eis spiritus san-
 cti præsentiam indicat, quæ omnia miro quodam mo-
 do operabatur. k ¶ Sed non in pluribus eor-
 um.) Omnes donis ac mirabilibus, quæ memora-
 uimus, digni habiti sunt: sed non de omnibus, inquit,
 bene sensit Deus (hoc enim sibi uult, Complacuit sibi
 Deus) tametsi magnis fuerint digni muneribus facti.
 Videte igitur ne fortè neq; de uobis, inquit, bene con-
 sulat Deus, atq; decernat, etsi pluribus donis digni ha-
 biti sitis, si dignã quoq; uitã nõ exhibueritis. Omnes
 sanè pessum iere Iudæi, quo igitur modo ait, Non in
 pluribus cõplacuit sibi Deus? Ne uniuersale eis pro-
 phetasse uideretur exitium. l ¶ Prostrati enim
 fuerunt.) Illud, prostrati fuerunt, plurimã acro-
 pentinam eorum stragem insinuat. m ¶ Hæc au-
 tem figuræ nostri.) Vt enim baptisma, cibus &
 potus typum gesserunt nostri, ita quoq; extinctio ty-
 pum

pus quidam nostri fuit, ad hoc sanè, ut ne paria per-
 petrantes, paria quoq; patiamur. n ¶ Quemad-
 modum illi concupierunt. Et David inquit: Et Psal. 105.
 concupierūt concupiscentiam in deserto. Plurima ue-
 rò ea fuerunt quæ cupierunt. Sedentes nanq; Iudæi
 clamauerunt, dixeruntq;: Quis pascet nos carnibus?
 Recordamur nanq; piscium, quos gratis in Aegypto
 comedebamus: cucumerum quoq; ac peponum, por-
 rorum, cæparum, alliorumq;: at nunc anima nostra
 arida est, nihilq; præterquam ad manna oculi nostri
 spectant. o ¶ Neq; idololatræ.) Hoc modo quo-
 dam clam eos pungit, qui idolis immolatas carnes e-
 debant, ostendens eos etiam in idololatriam de gula
 uenisse. Et uos, inquit, è gula potius, quam perfectio-
 ne ulla industi, idolis immolatas carnes editis, quem-
 admodum illi, choro circa uitulum constituto, lude-
 bant, choreas coram ipso ducentes, atq; dicentes: Hi
 sunt dij tui Israël, qui eduxerūt te de terra Aegypti. Exod. 32.
 Nonnulli ludum illum idololatriã interpretati sunt.
 ¶ Neq; fornicemur, ut quidam ex eis forni-
 cati sunt, & ceciderunt una die uiginti tria mil-
 lia. Neq; ^b tentemus Christum, sicut & quidã
 illorum tentauerunt, & à serpentibus extincti
 sunt. Neq; ^c murmuraueritis, ut quidam eorū
 murmurauerunt, & interempti sunt ab exter-
 minatore. ^d Hæc autem omnia figuræ cõrige-
 runt illis. Scripta uerò sunt ad admonitionem
 nostri, in quos ^e fines seculorum inciderunt.
 Itaq; ^f qui stare uideatur, uideat ne cadat. & Ten



tatio uos nō apprehendit, nisi humana. ^h Fide-
lis Deus, qui nō finet uos tentari supra id qd
potestis: sed ^h faciet simul cum tentatione etiā
conuentum, ut possitis sustinere.

Cap. 25. ¶ Neque fornicemur.) Peccatum item aliud
à gula prognatum cōmemorat. Scriptum est in libro
Numeri: Et habitauit Israël in Sattim, & contami-
natus est populus ut fornicaretur in filias Moab, &
uocauerunt ipsos ad sacrificia deorum suorum: &
comedit populus de sacrificijs eorū, & adorauit ido-
la eorum, & sacrificauit Israël Beelphegor, & ira-
tus est furore Dominus Israël, & ait Dominus Mo-
si: Accipe omnes duces populi, & traduc eos Do-
mino contra solem, & auertetur ira furoris Domi-
ni ab Israël. Et dixit Moses tribubus Israël: Occi-
dite unusquisq; domesticum suum, qui sacrificauit
Beelphegor. Tunc etiam Phinees filius Eleazar,
cōfodit Zambri pariter cum muliere Cha'ba. Et fue-
runt qui plaga illa interempti sunt, uigintitria mil-
lia. Nonnulli uerò transcriptores ueteris Testamen-
ti, uiginti quatuor millia posuerunt.

Num. 21. ¶ Neque tentemus CHRISTVM.) Sug-
gillat eos, quòd CHRISTVM tentantes signa que-
rerent, quemadmodum Iudei ad Or montem. Cum
enim obambulassent totam terram Edom, obloqua-
ti sunt contra Dominum & Moysen, dicentes: Cur e-
duxisti nos ex Aegypto, ut occideres nos in deserto,
ubi non est panis neque aqua? Porro animam no-
stram

stram pertesum est panis huius peruacui. Et misit Dominus in populum serpentes mortiferos, & mordebant populum, & mortuus est populus multus filiorum Israël. c ¶ Neque murmuraueritis.) Tangit illos, quod in tentationibus nequaquam generose ferrent, sed cum murmure. Non modo enim pro CHRISTO duntaxat pati magnum est, sed si cum gratiarum actione, ut Iob, patiamur. Murmurauerunt & Iudei ad Merrham propter aquam: amara siquidem erat. Rursum murmurauerunt eo quod non esset aqua, quando Moses & Aaron iussi sunt aquam de petra extrahere, ac iurgatus eos Moses inquit: Num de petra hac eduxerimus aquam? Item obloquuti sunt, quando iussi fuerunt nonnulli terram Chanaan explorare. Iterum murmurauerunt quando imperauit Moses populo, ut tubæ argenteæ fierent, ut per eas signum fieret. Et in motu arcæ murmurauit populus, statimque pars castrorum combusta est, & uocatus est locus, Exacerbatio. Et precatus est Moses, ultioque cessauit, quam magnus Paulus exterminatorem uocat, hoc est, uirtutem quandam exitialem. d ¶ Hæc autem omnia.) Figuras ea uocat, maiorem in modum eos puniendos insinuans. Nam ut in donis ueritas ipsa figura præstantior, ita prorsus & in supplicijs. e ¶ In quos fines seculorum.) Et propterea quod finis imminet, & quod supplicia illa illic futura æterna sunt, plus illos afficit. Iam enim, inquit, temporum fines obuios sese

dederunt, ac dies, ultionis inquam, deinde appropinquauit. *f* ¶ Itaq; qui stare uideretur. Iterum eos, qui propter scientiam efferebantur, taxat. Quamq; enim stare tibi uidearis, caue, inquit, ne cadas. Idipsum enim, quod perinde atq; stes, iactas, nequaquam stare est, etsi stes: facilis est enim ex arrogantia casus.

g ¶ Tentatio uos non apprehendit. Quoniam eos terruerat, dicens, Videat ne cadat: cum multas olim tulerint tentationes, ne diceret, Cur nos territas? cum multæ nobis tentationes & pericula adessent, nõ cecidimus, & nunc casuri sumus? infert: Nulla uos adhuc magna inuasit tentatio, sed exilis duntaxat. Humanã quippe, paruã dicit. *h* ¶ Fidelis Deus. **Matth. 11.** Fidelis, hoc est, uerax. Pollicitus est enim, Venite ad me omnes qui laboratis, hoc est, qui tentationibus fatigamini, & ego uobis requiẽ dabo. *i* ¶ Sed faciet. Proportionatã, inquit, uirtuti uestræ tentationẽ uenire permittet: imò omnis sanè tentatio, nisi **CHRISTVS** opem ferat, uestras excedet uires. **PHOTII:** Bisariam id accipi potest: uel, cum ipse tentationẽ uenire siuerit, mox illam dissipat, ac sedat, ita ut ob temporis breuitatẽ, quo nos molestia afficimur, hanc ferre possimus: uel, quod unã cum tentatione faciet patientiam tolerantiamq;, etiam exitum: hoc est, faciet statim uos cõstantes, atq; ad tolerandum idoneos, ita ut nihil ex tentatione nocumẽti afferatur, sed magna etiam lucra. *k* Etiam euentum. Euentũ, complementũ dicit, ac pausam: hanc sanè de causa, ut
sufferre

sufferre ualeatis. Ac si diceret: faciet breuem, ce-
remq; tentationibus finem, ut susinere possitis.

Quapropter dilecti mei fugite ab ^a idolola-
tria. ^b Vt prudentibus loquor: diiudicate uos
quæ dico. ^c Calix benedictionis, cui benedici-
mus, nonne ^d cōmunicatio sanguinis Christi
est? Panis, ^e quem frangimus, nonne cōmuni-
catio corporis Christi est? ^f Quoniam unus pa-
nis, unum corpus multi sumus. & Omnes enim
ex eodem pane participamus. ^h Videte Israë-
lem iuxta carnem. Nonne ⁱ qui edunt hostias,
participes sunt altaris? ^k Quid ergo dico quòd
idolum sit aliquid? uel quòd idolis immolatū
sit aliquid? sed quòd ^l quæ immolant Gentes,
dæmonijs immolant, & nō Deo. ^m Nolim au-
tem uos dæmonum participes fieri. Non po-
testis ⁿ calicem Domini bibere, & calicem dæ-
moniorū. Non potestis ^o mensæ Domini par-
ticipare, ac mensæ dæmoniorum. ^p An prouo-
camus ad æmulationem Dominū? Num for-
tiores illo sumus?

^a ¶ Fugite ab idololatria.) Medetur deinde il-
lis, eosq; solatur: quoniam magnis multisq; eos affe-
cerat contumelijs. Perpende autem: nō iam propter
imbecillium duntaxat fratrum nocuentū, comestio-
nem illis carniū idolis immolatarum interdicit, sed
eandem ipsam per se comestionem damnat, idolola-
triam eam uocitans. ^b ¶ Vt prudentibus lo-
quor.) Postquàm carniū idolis suffitarum è me-

dio tulit comestionem, rem ipsam idololatriam nuncupans, & idcirco plurimum eos redarguit: eis deinceps breui sermone mederi curat, aitq; : Vos, qui sapientes nimirum estis, rem ipsam dijudicate, idololatriamq; esse reperietis. Hoc autem faciens, eos etiam qui rei erāt, tanquā iudices in tribunal locat, ualde se de suis ipsius uerbis, utpote ueris, fidere innuēs. Probat deinde, & idololatrias, & demoniorū socios esse, qui carnes idolis comedunt immolatas. c ¶ Calix benedictionis.) Calicem benedictionis, dicit calicē sanguinis CHRISTI. Cui benedicimus: quē manibus tenentes, ei, qui suū nobis impartitus est sanguinē, benedicimus, hoc est, gratias agimus. OECV. Quē, dum benedicimus, efficimus. Nosti quid loquar? d ¶ Nonne cōmunicatio sanguinis Christi est? Agglutinat enim nos CHRISTO sanguis ipsius propter ipsam participationē, nō secus ac mēbra capiti. e ¶ Panis quē frāgimus.) Quippe quod in patibulo Dominus passus nō est (os enim illius, inquit, nō cōminuetis) hoc propter nos, dum frāgitur, patitur, ut sibi nos cōiungat. PHOTII: Demonstratio illius quod dictū, est id quod additur. Vnde enim planum est, inquit, quòd panis quē frangimus cōmunicatio sit corporis CHRISTI? hoc est, quòd nos in cōmunionem corporis CHRISTI agglutinet? unde patet? Quoniam unum atq; idem corpus sumus, ac dicimur omnes Christo coagmentati, instar cōmunis corporis capiti. Si igitur corpori eius ac sanguini in cōmunionem nō copulamur,

Exod. 12.

Num. 9.

pulamur, cum quonam altero unum fuimus corpus, ac uocati sumus? f ¶ Quoniam unus panis.) Quoniam dixerat, Cōmunicatio corporis Domini: illud autem quod cōmunicat, diuersum ab eo uidetur cui cōmunicatur: ostendere nunc pergit, ne utiquam nos cōmunicare, sed ipsum idem corpus esse CHRISTI. Ut enim, inquit, panis ex multis granis unus panis fit: ita quoq; & nos, multi cūm simus, unū tamen CHRISTI corpus efficiamur. g ¶ Omnes enim ex eodem pane.) Rationem quoq; qua CHRISTI efficiamur corpus, insert. Quid enim, inquit, panis est? Nimirū corpus Christi. Quid autem fiunt participantes? Nempe ipsum corpus Christi. Dum enim de ipso Christi corpore participamus, efficiamur idipsum. Quoniam uetus nostra caro sub peccato corrupta est, noua nobis carne opus fuit. h ¶ Videte Israël secundum carnem.) Vos, inquit, secundum spiritum estis Israël. i ¶ Nōne qui edunt hostias.) Per interrogationem legatur. Sed quoniam quaedam pars hostiæ, ut a deo, in altari comburebatur, eos qui de eodem sacrificio comedebant, participes non Dei, sed altaris dixit. k ¶ Quid ergo dico? Non enim dico, inquit, hoc, tanquam uim aliquam idola, uel ea quæ ipsis immolantur, habeant, & propterea uel prodesse uel obesse possint. Nequam enim re ulla prorsus digna sunt idola, inquit. Ex quo enim accuratius de idolis disseruerat, ueritus est ne uim aliquam illa habere arbitrarentur.

PHOTII: Non idcirco, quòd idola sint aliquid, car-
 nium illis immolatarũ interdico gustum. Prædixerat
 enim, illa ex eorum esse numero, quæ non extant, &
 quæ iuxta substantiam nihil sunt, & neq; damnum,
 neq; utilitatem cuiquam inferre possunt: sed ideo in-
 terdico illa, quòd per idola offertur dæmonibus ho-
 stia. Quomodo igitur omnino abominanda, fugien-
 daq; non est cõmunicatio hostiæ dæmoniæ, & per
 hanc cum ijs ipsis uenire in societatem? Item & per
 Dominicæ mensæ, calicisq; Dominici comparationē,
 maiorem in modum eorum quæ gustantur absurdi-
 tatem redarguit: quæ sunt carnes idolis immolate.
 Atq; sapientiã expende. Initiò quidem sensim, uixq;
 reprehensionē tetigit: in sequentibus uerò, ut hoc in
 loco, maxima inuadit cum amarulentia. ¶ Sed
 quòd quæ immolant Gentes.) Neutiquam di-
 co, quòd idola uim habeant ullam: sed quòd hostiæ
 profectò, ac sacrificia, nequaquã Deo, sed dæmonibus
 immolantur. Non ergo ad ea curras quæ Deus odit.
 Nam si regiæ mensæ particeps fuisses, & hac dimissa
 ad damnatiorũ accurreres mensas, bene faceres: Nò
 quod damni inde quippiam utilitatisue adportares,
 sed quòd regiam illam cõtumelijs affecisses. m ¶ No-
 lim autem uos dæmonum participes fieri.) Si
 ergo qui mysticæ illi mensæ participant, ipsi CHRI-
 STO associantur: qui dæmonũ mensæ participant,
 nulli dubiũ quin dæmonũ quoq; fiant socij. n ¶ Nò
 potestis calicem dñi bibere.) Quoniã in admoni-
 tionis

tionis ordine dixerat, Nolim uos socios fieri demoniorum: ne admonitio ipsa contemneretur, nunc, tanquam in responsionis declarationi sue ordine, hoc addidit, dicens: Non potestis & calicem Domini, & calicem bibere demoniorum. o ¶ Non potestis mensam Domini participare.) Ex solis nominibus, Domini inquam, & demoniorum, inhibitionem fecit. p ¶ An prouocamus ad æmulationem.) Inreptorie id posuit, & ut ruborem inijceret. An tentamus Deum, & cum illo pugnamus? cum ipse nos punire possit. Deinde in inductionem exit ad absurditatem. Num illo, inquit, fortiores sumus? eumq; & tentamus, & impugnamus?

^a Omnia mihi licent, ^b sed non omnia conferunt. Omnia mihi licent, sed nō omnia ædificant. ^c Nemo quod suū est quærat, sed quod alterius quilibet. ^d Omne quod in macello ueditur, edite, ^e nihil interrogantes propter conscientiam. ^f Nam Dñi est terra, & plenitudo eius.

^a ¶ Omnia mihi licent.) Ne quis ei diceret: Equidem pura, mundaq; conscientia edo, idq; agenda habeo potestatem, infert: Sanè, inquit, omnia tibi licent, quandoquidem liberi arbitrij ab ipso Deo creatus sis: sed non idcirco etiam comestio tibi conducit. Per uiam siquidem transiens, animū ad idola propensorem, dum mensis eorū participas, habere posses. ^b ¶ Sed non omnia conferunt.) Hoc quasi ad eos dictum est, qui offendebant fratres. Et si, inquit,

tibi liceat, fratrem tamen, dum hoc agis, nō ædificas, imò destruis. c ¶ (Nemo quod suū est quærat.) Nolim uerò id modò quæras, inquit, an pura cōscientia edas, sed an quod agitur, fratri cōducatur. d ¶ (Omne quod in macello uenditur.) Quoniam sermo nem de immolatitijs idolorum in longum protraxerat, ita ut ea etiam quæ in foro uenalia essent, petere (ut uerisimile est) formidaturi essent, tanquam idolis immolata, à timore illos abducit. PHOTII: Quod in se nonnihil contrarietatis habere uidebatur, soluit. Quoniam uehementius carnes idolis immolatas insectatus fuerat, edentesq; increpauerat: ne quis diceret, Quid igitur? ergò ne à carnibus etiam quæ in foro uenduntur abstinere nos oportet? uel certè necessariū omnino habemus, circumire fora, interrogare, ac diiudicare, an idolothyum sit? ad hæc nostram coangustabimus, circumcludemusq; uitam? Vt igitur nulli talia obijcere possent, præ occupatione quadam solutiones ipse tradit, & inquit: Haud enim quæ in foro uenduntur necessariū est uitare, diiudicare, discernere, seu interrogare, idolothyum sit, nec ne: sed ab illis solummodo abstinendū est, de quibus aliquis, idolothya esse pronuntiās, indicauerit. EIVSDEM: Omne, inquit, quod in macello uenit, edite, nihil iuxta conscientiam ambigentes, neq; diiudicantes, neq; propter ipsam interrogātes, ut huic titubanti medeamini, & obsequamini. Voluit enim facilem illis alimenterū efficere perceptionē, ne ob id segnes effecti, omnem

omne diligentia, studium omne a precepto, quod ueluti fieri nullo modo possit, seruando laxarent. e ¶ (Nihil interrogantes.) Neutiquam, inquit, an hoc idolis immolatum sit interrogantes uenditores, horum instar, quibus percussa conscientia sit, quiq; emundare eam uelint: uerum nihil, ait, querentes eorum, quae in foro sunt comedite. PHOTII: Nihil propter conscientiam interrogantes: hoc est, nihil causa ipsius conscientiae uel interrogantes, uel discernentes. Oportet enim hanc certam ac stabilem, qui edunt, habere, nec certitudine ulla ab interrogatione indigere. f ¶ (Nam Domini est terra.) Si ergo Domini terra est, & ea dubio procul quae sunt in illa, ut carnes, ut & fructus: si ergo Domini sunt, quid interrogas?

Si quis autem infidelium uocat uos, ^a & ire uultis, quicquid apponit uobis edite, ^b nihil interrogantes ^c propter conscientiam. ^d Quod si quis uobis dixerit, Hoc idolis immolatum est, manducare nolite, propter eum qui indicauit, & propter conscientiam. ^e Nam Domini est terra, & plenitudo eius. ^f Conscientiam uero dico, non tuam, sed alterius. ^g Cur enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? ^h Quod si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro quo gratias ago? ⁱ Siue igitur manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, ^k omnia in gloriam dei facite. ^l Nullis este offendiculo, neque Iudaeis, neque Graecis, neque Ecclesiae Dei, ^m quemadmodum & ego per ⁿ omnia omnibus placeo, non querens meam ipsius utilitatem, sed multorum, ut salui fiant.

CAPVT XI.

Imitatores mei estote fratres, ° quemadmodum & ego Christi.

a ¶ (Et ire uultis.) Eleganter uerò dixit, uultis. Nam neq; hortari eos, neq; dehortari uoluit. b ¶ (Nihil interrogantes.) Quare? Ne nimia, inquit, curiositate timere idola uideamini. c ¶ (Propter conscientiam.) Ut qui puram, inquit, conscientiam seruare uelitis. d ¶ (Quòd si quis uobis dixerit.) Quare non amplius manducemus? Et ait: Reuera sane Domini sunt omnia, ut & ipsa terra, ex qua hæc proueniunt. At si manducaueritis, illius qui indicauit, cōscientiam lædetis: nam offendiculum patietur. Quid igitur? cū audieritis, nō abstinēbitis? Hoc autem ueritus dixit, ne forè suspicarentur, quasi uim aliquam idola haberent, et idcirco fieret interdictum. e ¶ (Nam Domini est terra.) THEODORETI: Nam tu quidem nosti, quòd Domini est terra, & plenitudo eius, imbecillitatemq; contemnis idolorū. Porò ille qui errori inseruit, inde nocumentum carpit, dum te carniū idolis immolatarū participare putat. Hoc enim ea docent quæ sequūtur. Ut quid enim libertas mea ab aliena conscientia diiudicatur? libertatem dicens gratiam fidei. Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro quo gratias ago? Fas, inquit, non est alterum perfectione mea nocumento asfici. PHOTII: Quoniā superius, ubi ea quæ in macello ueneunt, edere non interdixit, appenderat, Do
mini

mini est terra & plenitudo eius, hoc est, ea quæ sunt
 in ipsa: hæc enim dixerim quæ illā implent, fructus,
 animalia, & huiusmodi. Deinde in sequentibus in-
 quit: Quod si quis uobis dixerit, Hoc idolis immola-
 tum est, manducare nolite. Ne quis dicat, Quid ergo?
 nunc non est Domini, & terra, & quæ in ea? Num,
 quando non prohibebas edere, Domini quidem erat,
 nunc autem non est? Ne cuiquam igitur hoc dicere li-
 ceat, idem iterum ponit, & ait: Domini quidem terra
 est, & quæ in ea, quippe quod antea dixerat: sed pro-
 pter illum qui indicauit, & eius conscientiam, non o-
 portet ex idolorum immolatijs illis gustare. Si er-
 go Domini terra est, & plenitudo eius, nulla re indi-
 gere uos ipse faciet, licet à carnium idolis immolata-
 rum dapibus propter ipsum abstineatis. Vel quoniã
 Domini est terra, & quæ in ea, longè magis & ipse
 homo, qui est in ea. Propter eum, inquam, qui indi-
 cauit, quippe qui ipsius Domini est, ac propter alios,
 qui hunc fortè indicantem audierunt, ne damno affi-
 ciantur, nolite comedere. Domini nanq; est terra, &
 quæ in ea: & necessariū est, ut conseruor ū, qui sunt in
 ea, curam geramus. Haud enim quãdo edere quidem
 licebat, hoc intelligere oportuit: quando autem non
 edere, id ipsum cõtemnere: sed semper eundem ad mo-
 dum habentes, & tunc gratias agentes edere, tanquã
 Domino in cibum hæc nobis suppeditãte, ac rursum
 meritò nunc nõ manducare, ut qui caueamus, ne quo
 fiat ut seruis Domini nostrisq; conseruis offendiculo

finus. f ¶ (Conscientiã uerò dico.) Illius, inquit,
 Græci conscientiã qui indicauit, ne damnũ patiatur.
 g ¶ (Cur enim libertas mea.) Ne quis dicat: Ob
 fratris quidem, qui detrimentũ patitur, cõscientiam
 rectè comedere uetamur: porrò de Græcis, & eorũ
 conscientia, nõ oportet esse sollicitos: ait, Quid enim
 opus est ut libertas mea, hoc est, quod mihi uitandum
 nõ est, libertasq; à ciborũ obseruatione, dijudicetur,
 id est, cõdemnetur Græci cõscientia? Dicet enim Græ
 cus, ut par est, Nugæ sunt Christianorum res: idola e
 nim abominari uidentur, & ea tamẽ, quæ illis immo
 lantur, maximo comedunt studio. h ¶ (Quòd si e
 go cum gratia participo.) Propter Dei gratiam,
 quæ sic animã meã sublimem reddidit, ut certus sim,
 nihil horũ me cõtaminari. De gratia itaq; Dei confi
 sus edo. Si tu, inquit (ut ais) ex Dei gratia perfectus
 euasisti, ita ut noueris idola nihil esse, cõsummatamq;
 habes (ut asseris) animã, ad hoc, ut licet de carnibus
 idolis immolatis participare uelis, nullo tamen pro
 fus afficiaris nocumẽto, cur hoc agis ut inde blasphe
 meris, & propter te, etiã fides, & ipse Deus: ac præ
 sertim pro ea re, cuius causa tu, qui sentẽtia perfectus
 es, magis debebas gratias agere. Ipse uerò in semet
 ipsum transfigurauit sermonẽ, ut mitiorẽ faceret re
 prehensionem. PHOTII: Deinde addit, Siue man
 ducatis, & quæ sequũtur. Et ubi à reprehensionibus
 cessauit, tunc transfiguratione illa, quam in seipsum
 transtulerat, soluta, directè admonet illos, dicens: Si
 ue

ue manducatis, & quæ sequuntur. Pro quo ego gra-
 tias ago.) Equidē, inquit, ob id ipsum, quod per Dei
 gratiā anima mihi sublimis est, & quæ coinquinari
 nequeat, gratias ago edendo. Idcirco ait: Participans
 gratias ago. Cur igitur pro quo ego gratias ago, hoc
 est, pro ipsa gratia Dei, à Græcis male audio? Dicent
 enim scurras quosdam, ac falsiloquos nos esse: Idola
 quidem execrantur, mensis uerò quæ inde apparan-
 tur participāt. k ¶ Omnia in gloriā Dei facite.)
 Sic omnia, inquit, facite, ut glorificandi Deum ansam
 omnibus porrigatis. Quæ enim in præsenti fiūt, etiā
 in dedecus fidei profectò (ut dictum est) intorquetis.
 l ¶ Nullis este offendiculo.) Hoc est, nulli male
 dicendi ansam præbeatis. Erit autē hoc, cum nec Græ-
 cum, nec Iud. eū, nec fratres scādalo afficiemus: hos si-
 quidem Ecclesiā Dei dixerim. Vide autē, nouissimū
 posuit, quod primū erat ac maximū. Condecet enim
 & externos ad fidem allicere, nedum fratres nō inse-
 ctari. Significatur enim ex his uerbis, carniū idolis
 suffitarū comestio, omnes pariter afficere offendicu-
 lo. m ¶ Quemadmodū & ego.) Deinde, quoniā
 arduum sanē præceptum ediderat (nam reos illos &
 Græcorū & Iudæorum damni constituit) seipsum in
 exemplum posuit: & hac ratione effecit, ut gratius
 faciliusq; sermo accipiatur. n ¶ Per omnia om-
 nibus placeo.) Tanq̄ dixerit, Omnibus ad omnia
 placeo, quod etiā in superioribus dixerat, Omnia om-
 nibus factus sum, ut prorsus aliquos saluos faciam.

o ¶ Quemadmodum & ego Christi.) Ut quando dixit, Optarim anathema esse à CHRISTO pro fratribus & cognatis meis. Id enim CHRISTI imitationem dixerim, non sua ipsius uidelicet querere, sed ea curare, quæ ad plurimos spectent. PHOTII: Multorum, inquit, utilitatem potius, quam meam ipsius. Quoniam nonnulli quidem sunt, qui ea querant quæ ad multos pertinent: sed alij quidem, ut eorum beneuolentiam ad suum lucrentur commodum: alij uerò ut ab eis laudentur: alij autem ut quippiam aliud huiusmodi assequantur: ostendit ipse cur illis placere studuerit, & ait, quòd ad eorum utilitatem: & non simpliciter utilitatem, sed adhuc manifestius, ut salui, inquit, sint.

^a Laudo autem uos fratres, quòd ^b omnia mea memoria tenetis: & quemadmodum tradidi uobis, instituta tenetis. ^c Sed uolo uos scire fratres, quòd ^d omnis uiri caput Christus est: ^e caput uerò mulieris, uir: caput ^f autem Christi, Deus. & Omnis uir orans, aut prophetans, ^h habens quicquã circa caput, ⁱ deturpat caput suum. Omnis aute mulier orans, aut prophetans non uelato capite, ^k deturpat caput suum: ^l unum est enim idem quod si raderetur. Etenim ^m si non peruelatur mulier, etiam tondeatur. Quòd si turpe est mulieri tōderi, aut radi, ⁿ uelatur. Nam uir quidem non debet caput suum uelare, cum ^p imago ^q & gloria Dei sit: ^r mulier autem gloria uiri est.

a ¶ (Laudo aut̄ uos fratres.) Obijcit eis, quòd eo-
 rū mulieres detecto capite & orarēt et prophetarēt:
 at uiri contrā, & comā nutrent, & caput uelarent,
 cum in oratione, tum in prophetia: quippe qui mos
 fuerat Græcorum. Innuit autem, quòd & coram cum
 esset, de ijsdem ipsis eos redarguerit. Qui ex eis ob-
 temperarunt, hos quidem collaudat: ijs uerò qui ne-
 quaquam, in sequentibus ait: Si quis autem contentio-
 sus esse uidetur, nos talem consuetudinem non habe-
 mus. b ¶ (Omnia mea memoria tenetis.) Ni-
 mirum de non nutrienda coma, ac de capite non ope-
 riendo tam in oratione, quàm in prophetia, sermo il-
 li est. Et quo modo, inquit, omnia mea memoria tene-
 tis? Rationabili sanè occasione sumpta, laudibus il-
 los afficit. Verum de illis loquitur qui paruerant, nō
 de illis qui nequaquā. c ¶ (Sed uolo uos scire fra-
 tres.) Dum cum illis differit qui uerbo crediderant,
 eos emendat qui infidelitate detinebantur, quòd non
 oporteat uidelicet caput uelare: causamq; promit.
 d ¶ (Omnis uiri caput Christus est.) Fidelis, in-
 quam. Hi nanq; membra sunt CHRISTI, & eorum
 caput CHRISTVS: non autem infidelium. PHO-
 T I I: Caput quidem nostrū, qui fideles sumus, Chri-
 stus est, ut qui cum eo pariter & concorporei & com-
 participes facti simus ob corporis eius cōmunionem
 ac sanguinis (per hæc enim unum omnes appellati
 corpus, caput habemus idem.) Caput uerò CHRI-
 STI Deus & pater, uti genitor, productor, ac con-

substantialis. Caput autem mulieris uir, quod & ipse illius & genitor sit & productor, & eiusdem cum illa substantiæ. Consequens igitur & consona proportio est. At si quod dixerat, omnis uiri, de infidelibus quoq; accipere, iuxta creationis rationē, uelut locū habet. Cæteris quippe animātibus dominari hominē permissum, sub propriā duntaxat potestātē Deus ac principatū manere sicut: nullum ei alium, præterq; liberum ipsius arbitriū, præficiens dominū. e ¶ Caput uerò mulieris uir.) Propterea quod illius & dominus sit & princeps. f ¶ Caput autē Christi Deus.) Sola, inquam, causa. Non enim pari modo ea, quæ de capite dicta sunt, in CHRISTO etiam accipienda dixerim: sed hominū quidem caput Christus, iuxta creationē: CHRISTI uerò caput pater, ob causam. Alioqui etiam CHRISTI caput sic Deus est, quemadmodum & nostri Christus, in quantum ipse

Ioan. 14. est & intelligitur homo, iuxta illud: Pater meus maior me est. & Ascendo ad patrem meū & patrem uestrum, Deū meū, ac Deum uestrū. g ¶ Omnis uir orans.) Nō semper uiro uelamen capitis interdicit, sed in oratione duntaxat & prophetia. h ¶ Habēs quicquā circa caput.) Nō ait, cooperto capite, sed quicquam circa caput habens: hoc pacto non modo pallij, uerū etiam comæ tollens tegumentū. Etenim qui comā nutrit, circa caput habet, comā uidelicet. i ¶ Deturpat caput suum.) Nos enim creauit Deus uiros nostri ipsorū iuris, hoc est, sub nemine qui sit su-

fit super terra, sed omnium principes: idcirco non est
 opus, ut potestatem super caput habeant hi, qui ab
 omni prorsus eorum, qui sunt super terra, ademp-
 ti sunt potestate. Caput enim tegere, potestatem
 quandam capiti superimposuisse est. Loco nanq; po-
 testatis uelamen super caput est, quod sanè super
 muliere esse consuevit, uiri præ se ferens potestatem,
 ut quæ sit subdita. Qui ergo libero capiti potestatem
 superimponit, iurè caput suum, CHRISTVM in-
 quam deturpat. k ¶ Deturpat caput suum.)
 Quomodo? Quoniã idem est ac si tondeatur: & quòd
 fugitiuum quoddam profugumq; à data sibi à Deo
 potestate, uiri inquam, caput ostentat. l ¶ Vnum
 est enim idemq;.) Quonam pacto unum idemq;
 est, ac si raderetur? Quandoquidem ea quæ rasa est,
 ne naturale quidem habeat tegumentum, uti capil-
 los: hæc uerò habet. Et dicimus, quòd ea quæ uela-
 men abnuit, quantum in se est etiam naturale uelum,
 capillos uidelicet, amisit. m ¶ Si non peruela-
 tur mulier.) Hoc addens, non modò hanc dum o-
 rat, uel prophetat, caput uelare oportere insinuat,
 imò semper. Vt enim rasam esse, non in prophetia so-
 lum, atque precationibus absurdum est, sed semper:
 ita quoque non esse uelatam. n ¶ Veletur.) Per
 affirmationē protrahit orationem. o ¶ Nam uir
 quidem non debet.) Causam etiam non uelandi
 uiro capitis prodit: non primū, quòd caput habeat
 ipsum Christum, sed quòd imago & gloria Dei sit.

p. ¶ Cū imago.) THEODORETUS: Imago Dei homo est, non secundū corpus, neq; secundū animam, sed tantū iuxta imperiū. Quoniam igitur omnium, quæ sunt super terram, principatus creditus illi est, Dei nuncupatur imago. At mulier quoniam sub uiri potestate existit, uiri gloria est, & quasi imaginis imago. Domina etenim & ipsa cæterorum est, sed uiro subdita. q. ¶ Gloria Dei cū sit.) Hoc est, principatus Dei existens, ac sub principatu solius Dei. Neesse est enim ut is qui sub nemine eorum sanè qui sunt super terra, ipse uerò cū omnium quæ in terra sunt, princeps existat, etiā ipsius mulieris, cum libertatis symbolis, hoc est, detecto capite ad ipsum Deum accedat. PHOTIUS: Ad Dei siquidem gloriā uir Deo subdi debet: nec non ad uiri gloriam, mulier ipsa uiro. Quid uerò dixerim, ad gloriam? Facile, tractabiliter, spontè, cum gaudio quæcunq; Deo placeant agere: eundem ad modum & mulier, quæ uiro placent, facere. Ut ille qui coactè, inuitus, difficilè uel operatur, ad gloriam Dei nō subditur, similiter neq; mulier ad uiri gloriam. Oportet itaq; uirum promptè, capite detecto, ad Deum accedere: simili quoque modo uelari mulierem. EIVSDEM: Gloriam Dei honoratissimū ipsius principatum ac potestati dicit. Propter ipsum nanq; magis quàm propter quoduis aliud eorum, quæ sunt in mundo, glorificatus est, excellentissimaq; ipsius lenitas & humanitas patefacta est. Simili quoque modo gloria uiri est mulier: hæc enim

enim honoratissimus est ipsius principatus, atq; potestas. Per hanc siquidē magis q̄ per quoduis aliud, quorum ipse princeps est, fit ei ornamentum & gloria.

r ¶ (Mulier autem gloria uiri est.) Gloria, hoc est, principatus uiri. Oportet itaq; & hanc cum symbolis semper indicijsq; subiectionis esse.

^a Nō enim est uir ex muliere, sed mulier ex uiro. Neq; enim conditus est uir propter mulierem, sed mulier propter uirum. ^b Propter hoc debet mulier ^c potestatem habere super caput, ^d propter angelos: alioqui ^e neq; uir absq; muliere, neq; mulier absq; uiro in Domino. Nam quemadmodum mulier ex uiro, sic ^f & uir per mulierem, omnia uerò ex Deo. In uobis ipsis iudicate: decet ne mulierē non uelatam orare Deum? ^g An ne ipsa quoq; natura docet uos, quòd uir quidem, si comam nutriat, dedecus illi fit: mulier autem, si comam habeat, gloria ei fit: quoniam ^h coma pro uelamine ⁱ data est. ^k Porro si quis contentiosus esse uidetur, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.

^a ¶ (Non enim est uir ex muliere.) Prærogatiuas uiri recenset, ob quas datū illi est ut sit primas.

^b ¶ (Propter hoc debet mulier.) Propter eas, inquit, quas diximus causas, super caput potestatem habere debet, hoc est, uelum, quo palam fiat, eam sub potestate esse. Velamen siquidem, & accliuem, & demissis oculis eam esse facit: quòd symbolū argumen-

tumq; est, illam alterius esse ditionis, ac subditam.
 c ¶ Potestatem habere super caput.) Viri inquam, potestatem ac dominationē, qua subditur, habere debet, & super suum ipsius ostentare caput. Id uerò quomodo rectè fit? Ex uelando caput. Idcirco ipsum quoq; uelū iurè potestas dici potest: ut uiri potestatis, dominationisq; indicatiuū sit, ac relatiuum.
 d ¶ Propter angelos.) Quòd uerò dicit, propter angelos, id mihi significare uidetur. Nam quoniam causam, ob quā subijci uiro mulier debeat, dixit, nempe quòd non sit uir propter mulierem creatus: contra uerò, etiam propter hoc oportet eam uelamen habere, ut super se uiri potestatem profiteatur: addens, propter angelos, indicat, quòd etsi propter homines erubescens hoc facere nolit, saltem angelos erubescat, qui testes ac spectatores subiectionis illius facti sunt. Ipsi enim, licet non homines, uiderunt non uirū ex muliere, imò ipsam ex uiro generationis sumpsisse initium. CLEMENS in tertio Hypotyposeōn sic ait: Angelos uocat iustos, ac uirtute præditos. Veleatur ergo, ne illis ad fornicationē sit offendiculo. Nam hi reuera, etiam in cœlis angeli sunt, eamq; spectant uelatam. Si uiri, inquit, potestatem spernis, uel angelos erubescere, ne iurè illis rasa uidearis, & quasi contra impositam tibi à Deo reluctari potestatem.
 e ¶ Neq; uir absq; muliere.) Quoniam ualde mulierem deiecerat, dicens quòd ex uiro & propter uirum facta sit, subq; illius potestate degat, id ipsum nūc modera-

moderatur. Ne primam illam mihi, ait, creationē recenseas, sed ad ea uenias quæ nunc sunt. Nam si præsentia quæras, alter alterius auxilio, quo ad subsistentiam, indiget. Deinde subdit, in Domino, id est, per Dominū. Nam ipse instituit, ut alter in causa sit alterius. Prima namq; causa ipse est Dominus. f ¶ Sic & uir per mulierem.) Pauli perspicue sapientiam. Non ait, ex muliere: sed, per mulierem. Id est, ipsius eiusdē, quòd sit uir per mulierē, causa est uir, ut principalis uidelicet causa. Nam in primordio mulier ex uiro, non uir ex muliere: nunc autem, licet uir ex muliere, at rursus per mulierem principatum habet. Idcirco non dixit ex muliere, sed per mulierem, quò iterum faciat principem uirum. Ex quo igitur alterius alterum dixerat effectiuū, etiam modicum mulierem consolatus, infert, Omnia uerò ex Deo: primaria omnium causa Deus. g ¶ An ne ipsa quoq; natura.) Ipsi igitur nature obsistit, qui obedire & acquiescere non uult. h ¶ Coma pro uelamine.) Cum itaq; à natura capillorum uelamen habeat, debet & ipsa, ne naturales inuertat regulas, operiri. i ¶ Data est.) Ab ipsa, inquam, natura. Animaduertito: Quoniam dixerat, quòd dum uir discoopertum caput habet, comam nutrire non debet, sed habere liberum, quodammodo uelate mulieri in subiectionis argumentū comam nutrire permittit. k ¶ Porro si quis contentiosus.) Quoniam ad illos scribebat, qui sese philosophos autumabāt, quicq; omnia ratio-

nibus & probabant & improbabant, inquit: Præsens quidem tempus haud cōtendendi est. Si quis autem ad ea, quæ diximus, obstinatus manet, nobis inquit, atq; Ecclesiæ Dei mos talis non est. Quis: nempe contendendi, sed præceptorū decretis obediendi, nihil obtendendo uel contradicendo. Vel certe nō est nobis mos, ut uir quidem comatus sit, & caput uolet: mulier autem contrā.

Hoc autem ^a præcipiens ^b nō laudo, ^c quòd non in melius, sed in deterius cōuenitis. Nam ^d primū quidem, dum in ecclesia conuenitis, audio ^e dissidia esse inter uos, & ^f aliqua ex parte credo. ^g Oportet enim & hæreses inter uos esse, ^h ut qui ⁱ probati sunt, ^k manifesti fiant inter uos.

^a ¶ Hoc autem præcipiens.) Præcipiens enim, nequaquā uos, inquit, laudo, quòd in præcepti huius necessitatē me impuleritis: oportebat enim ut ne exhortatione quidē ad hoc indigueritis. ^b ¶ Nō laudo.) PHOTII: Nō laudo, inquit, uos quòd cōuenitis, tam etsi laude dignum sit: sed ipsi hoc idem dedecore & crimine dignum reddidistis. pariterq; ruborem iniiciens, quòd per quæ laudē uobis cōparare licebat, per hanc ipsam præceptionem, laude quoq; uos ipsos priuastis. Cur uerò non laudat cōuentum? Quòd non in melius, sicut oportuerat, sed in deterius conuenitis: mirum uel ad debonestandos fratres, ruboreq; suffundendos, & uestram tum arrogantiam, tum gulositatem

sitatem ostendendam. c ¶ (Quòd nō in melius.)
 Quare non laudas? Quòd non in melius, inquit, sed
 in deterius congregamini. Decebat nanq; ut ad uir-
 tutem quoq; cresceretis, at ipsi etiam quam habeba-
 tis demolimini. d ¶ (Nam primùm quidem.)
 Presentis huius capituli hæc fuit causa. Agebantur a-
 pud illos Dominicæ coenæ: fiebant uerò sic: Per dies
 claros, id est, solennes, post sanctorum perceptionem my-
 steriorum, coenæ Dominicæ diuitibus præparantibus
 pauperesq; coinuitantibus fiebant. Porrò id charita-
 tis ansa erat, & humilitatis. At bonorum horum cau-
 sa deprauata, necessarium etiam fuit ut scriberetur.
 e ¶ (Dissidia esse inter uos.) Non statim uerò in
 coenæ Dominicæ sermonem prorupit, sed malum prius
 extirpat. Nam & non conuenire simul, nec unà cum
 pauperibus coenare, dissidium erat. f ¶ (Aliqua ex
 parte credo.) Hoc est, parum quid credo. Hoc ait,
 ne imprudentiores illos redderet. Neq; ait, Non cre-
 do, ne temerè illos reprehendere uideretur: sed, parum
 quiddam, inquit, credo. g ¶ (Oportet enim & hæ-
 reses.) Hæreses hoc in loco non de fidei dogmate,
 sed de mensis intelligantur. Diuites enim diuites qui-
 dem præferentes, pauperes omittebāt. h ¶ (Ut qui.)
 Illud, ut, nequaquam reddituum est rationis, sed rerum
 euentus indicatiuum. i ¶ (Probatum sunt.) Quo-
 niam uos, inquit, diuites despicientes pauperes scindū
 mini, accidit quòd pauperes propter patientiam pro-
 bati reperiuntur. k ¶ (Manifesti fiant.) Qui enim

stabiles sunt, per eiusmodi occasiones splendidioreseuadunt. At pauperes præ se fert, qui sanè diuitiū contemptum generose ferebant, quiq; adhuc in consuetudine perdurabant.

^a Dum igitur in idem conuenitis, non licet ^b Dominicam cœnam manducare: quilibet enim ^c peculiarem suam cœnam præoccupat in edendo: ^d & hic quidem esurit, ille uerò ebrius est. An domos non habetis ad comedendū & bibendum? ^e An Ecclesiam Dei cōtemnitis, & confunditis eos qui non habent? ^f Quid uobis dicam? Laudabo uos in hoc? Non laudo. Ego enim ^h accepi à Domino, quod & tradidi uobis: quòd ⁱ Dominus Iesus in ea nocte, qua traditus fuit, accepit panem, & cum ^k gratias egisset, fregit, & dixit: ^l Accipite, & comedite, hoc meum est corpus, quod pro uobis frangitur: hoc facite in mei cōmemorationem. ^m Similiter & calicem, postquàm cœnatū fuit, dicens: Hic calix nouum testamentū est in ⁿ meo sanguine: hoc facite quotiescunq; biberitis, in mei cōmemorationē. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & calicem hunc biberitis, ^o mortē Dñi annūciatis, ^p donec uenerit.

^a ¶ (Dum igitur in idem conuenitis.) Siquidem conuentus, inquit, charitatem quandam præ se fert, at non quæ perfecta sit. ^b ¶ (Dominicā cœnam manducare.) Dominicā illam uocat, ad horrende illius imitationē, quando Dominus cum discipulis

pulis edit. tanquam dixerit, *Ipsi Domino appositam. Cōuenitis quidem ad coenam Dominicam edendam, uerūm non facitis. Id nanq; insinuat, non licet.*

THEODORETI: *Dominicam uerò coenam, Dominicum uocat mysteriū. Omnes enim pari modo de illo participes sunt, tam qui in paupertate uiuunt, quam qui diuitijs efferrūtur: tam mancipia, quam domini: & qui imperant, & quibus imperatur. Oportebat itaq; ut & cōmunes mensæ cōmunes essent, ac Dominicā illam imitarentur, quæ æquē omnibus apposta fuit: nunc autē minimē sic agitis: quilibet enim peculiarem, ac propriā coenam in manducando præoccupat. Coenam uerò iuxta temporis illius consuetudinem, prandium dicit. c ¶ Peculiarē suam coenam.) Dominicam, inquit, uestram ipsorum fecistis, auferentes ab ea optimū illud & salutare nomen. Itemq; eorum ingluuiem notat, cū inquit: Quilibet prius sumit atque usurpat, dum comedit, nec uocat pauperes, tanquā ne non satiaretur ueritus. d ¶ Et hic quidem esurit.) Duo illorū patefacit crimina: & quòd pauperes despicerent, & quòd inebriarentur. Nimirū, ait, nisi cōmuniter comedatis, cur nō domi editis? e ¶ An Ecclesiam Dei contempnitis?) Nam qui in Ecclesia peculiare coenas facit, & locū sanctum cōtumelia afficit, & coenam Dominicam nō facit: imò pauperes quoq; rubore suffundit. f ¶ Et confunditis eos.) Non illis tantū prospicit sanè, quòd fame laborent, quantū quòd cōtemptui habeant*

tur: dum contemnuntur, nec uocantur. Vel quòd rubore suffunduntur, in eo, quòd non habent, redarguti. g ¶ Quid uobis dicam? Deinde post erroris ostensionem, benignius cum eis differit. Nam cum par esset ut diceret: Hæc nōnne mille digna sunt moribus? ait, Laudabo uos in hoc? Non laudo. PHOTII: Quid uobis uidetur? Num uobis sum præter rationem locutus, ubi subiectum hoc, quòd non laudo, coepi? An non ex ipsa quoq; rerum consequentia didicistis, quòd in tam laudabili re, cœna inquam Dominica, dedecore ac uituperio, & non laude peragitis digna? Iurè igitur non laudo, & quidem cum per sese opus maximè laude sit dignum. h ¶ Accepi à Domino.) Et certè Paulus tunc præsens non fuerat, sed nunc adest. Nam Dominus nobis quoq; similem illi mensæ apponit. Vel, à Domino doctus sum hæc: ut sit, accepi, pro doctus sum. i ¶ Dominus Iesus.) Ea denunciauit, quæ dicit, Tradidi: ut ostendat Dominū nostrum cōmuni illa mensa ipsum etiā proditorem, omniumq; malorū plenum, nedum sanctos dignatum esse discipulos. At uos unà cum pauperibus coenare dedignamini. Et cum crucifigendus esset, hanc nobis extremam cōtulit disciplinam, uos autem illam uitatis. PHOTII: Si Dominus, inquit, cōmunicare te suo corpore ac mystica mensa non est dedignatus, tuis tu dedignaris conferuum? Vel etiam sic: Si Dominus æqualem tibi ac pauperi, sui corporis & sanguinis mensam & poculum tradidit, hunc

tu à

tu à tua seiungere mensa, & contemnere audes? Si ille gratias, ubi suum ipsius corpus & partiretur & distribueret, egit: cur tu nõ multò magis gratias agens, & gaudio plenus, eorum quæ inde donata sunt tibi, socios & conuiuas pauperes accipis? **k** ¶ Gratias egisset.) Cum gratias egisset Dominus, fregit deditq; discipulis. Nam si tu quoq; per gratiarum actionem uenias, nihil gratiarum actione age indignum temulentus, fameq; ac contumelijs pauperes conficiens.

l ¶ Accipite & comedite.) Ipse nimirum, ait, omnia omnibus communia dedit: tu autem te ipsum & à pauperibus, & ab Ecclesie corpore scindis? **m** ¶ Similiter & calicem.) In ueteri etiã Testamento pocula reperiabantur in quibus libabant, & postquam sacrificassent, ipsum brutorum sanguinem in poculis sumptum libabant. Pro brutorum itaq; sanguine, proprium Dominus impartitur. Eleganter uerò, In calice: ut uetus olim Testamentum hoc ipsum præfigurasse indicet. Idcirco ait: Nouum Testamentum est in meo, non in brutorum sanguine. **n** ¶ In meo sanguine.) Non in ratione carentium animalium, ut in ueteri Testamento. **o** ¶ Mortem Domini annunciat.) Porro qui Domini mortem annunciat, & omne simul donum, humanitatem omnem, omnemq; nostram salutem annunciat. **p** ¶ Donec uenerit.) Hoc est, in secundo aduentu. **PHOTII:** Quod ait, donec uenerit, per hyperbaton accipiendum est, ut sit: Quotiescunq; enim panem hunc edetis, & calicem hunc bi-

betis, quoad usque ipse uenerit in secundo aduentu suo, illuc usque mortem eius annūciabitis: exinde uerò iam nec sancta hæc percipiemus mysteria, ad perfectiorē magisq; mysticā uiuendi normā, fruitionēq; admissi.

Itaq; quicumq; manducauerit panem hunc, uel biberit calicem Domini ^aindignē, ^bbreus erit corporis & ^csanguinis Domini. ^dProbet autem ^ese ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignē, ^fiudicium sibi ipsi manducat & bibit, non ^gdijudicās corpus Domini. ^hPropter hoc inter uos multi sunt infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. ⁱSi enim nosmetipsos dijudicasset, non utiq; iudicati fuisset. ^kCum autē iudicamur, ^là Domino ^mcorripimur, ⁿne cum mundo damnemur. ^oItaque fratres mei, cum conuenitis ad edendum, inuicem expectate. ^pQuòd si quis esurit, domi edat, ^qne ad condemnationem conueniatis. ^rCetera uerò cum uenero disponam.

^a ¶(Indignē.) Hos ipsos pungit, declarans esse indignos, dum pauperes paruipendunt. Quoniam, inquit, ad Dominici corporis sumptionem indignē acceditis, idcirco multis obtingunt ægritudines, passiones ac mortes. Vnde autem conijci potest indigna accessio? Cum ex alijs quæ patrat sceleribus, tum ex eo, quòd cum ad Dominicam cœnam conuenitis, pauperes paruipenditis, quorū gratia factum est ut conueniatur. Per hoc enim & ipsam cœnam Dominicā, peculia-

peculiarem eam facientes, contumelia afficitis, & ipsam Ecclesiam, in qua ad Dominicam coenam peragendam conuenitis, debonestatis, in gluuiei in ea mensam, non Domini, apparantes uobismetipsis: nec non pauperes rubore suffunditis. Hac, inquam de causa, corpore ac sanguine Domini uos ipsos indignos redditis.

b ¶ Reus erit corporis.) Quod ait, Reus erit corporis & sanguinis Domini, hoc indicat, ut cum Iudas tradidit, grassati uerò in eum ac debacchati fuisse Iudaei, ita ipsum contumelijs afficiunt, qui sanctissimum corpus illius impuris manibus, uti tunc tenere Iudaei, suscipiunt, & execrando nefandoq; offerunt ore. Cum uerò sepe corpus & sanguinem memoret, indicat nequaquam exilem esse hominem qui sacrificatur, imò ipsum Dominum, omnium creatorem: quasi per haec eos uidelicet terreat.

c ¶ Et sanguinis Domini.) Non secus ac si ipse eum fuderit. Nam illi quidem tunc necauerunt: & ipse quoque nunc ob indignitatem necare uidetur.

d ¶ Probet autem.) De coena sanctae Dominica sermo illi erat: ex quo uerò in sermonem inciderat de mysterijs, ex quadam uerbi consequentia, quae antea dicta fuerant, emendat. Is namque Paulus fuerat, omnia quae obiter sese offerrent, corrigere.

e ¶ Seipsum homo.) Non alter alterum (hoc enim iudicare est) at sese ipse.

f ¶ Iudicium sibi ipsi.) Non iuxta mysteriorum naturam, sed iuxta accedentis indignitatem.

g ¶ Non diiudicans corpus Domini.) Hoc est, non examinans, neque

animaduertens eorum, quæ apposita sunt, magnitudinē. Si enim sciremus quisnam sit qui appositus est, nullo alio indigeremus, uerū hoc ipsum sobrios nos redderet. **h** ¶ Propter hoc inter uos.) Propter hoc, quid? Propter indignum accessum. Quid igitur (dicet quis) qui senuerunt, num propterea quod non immature dormierunt, nō peccauerunt? Sanē, inquit: uerū ijs qui indignē accedunt, nequaquā hæc sola merces est, quod immature moriuntur, at ibi duriora eos admodum etiam supplicia manent. **i** ¶ Si enim nosmetipfos.) Non ait, Si nosmetipfos punissemus, supplicijsq; addixissemus: sed tantū, Si nosmetipfos dijudicassimus: id est, Si nosmetipfos uel peccantes accusassimus, & præsentia & futura euasissemus supplicia. Nam qui ut oportet seipsum accusat, nequaquā in idem sepe prolabitur crimen. **k** ¶ Cū autem iudicamur.) Quoniam itaq; rem adeo leuem non facimus, accusare inquam nosmetipfos, neque etiā impune, & absq; discrimine, examineq; nobiscum agit Deus: sed hīc corripit, ut illic postea miseretur. **l** ¶ A Domino corripimur.) Hoc est, admonemur. Haud enim, inquit, supplicijs damur, seu punimur, sed corripimur: perinde atq; admonitio quædam fiat, atq; correptio. **m** ¶ Ne cū mundo damnemur.) Mundū homines dicit, qui & infidelitate tenentur, & peccatis. Porrò ait: Fideles, & qui Deo curæ sunt, poenas hīc peccatorū luunt, ne illic cum ceteris puniantur. **n** ¶ Itaq; fratres mei.)

Ad

Ad primū rursus redijt sermonem. Expende autē: nō ait, Pauperibus impartiamini: sed humanius quidam, Inuicem expectate: utpote cōmunibus existentibus, quæ illuc inferebantur, edulijs. Quoniā qui hoc, inquit, non agit, mystica participatione indignus est. PHOTII: Quamobrem? Ne indignè appareatis de corpore & sanguine Dominico participare. Ne indignè participātes, rei corporis eius cædis ac sanguinis effusionis effecti, inuitabile iudicium feratis. Ne in iudicium tale incidentes, aegritudinibus, passionibus, ac morte consumamini. Ne si huiusmodi non detis pœnam, in futurum luatis cum infidelibus ultionem. o ¶ Quòd si quis esurit.) Gula illos accusat, & ueluti pueris morosis, ijs utitur, de Ecclesia ad proprias domos illos eijciens. p ¶ Ne ad condemnationem conueniatis.) Ne in uestrū ipsorum, inquit, iudicium conueniatis, si contumelijs Ecclesiā affeceritis, pauperesq; despexeritis. Nam propter charitatem ad conuiuū congregamini, quæ nisi adsit, præstat uobis sanè domi manere. Hæc autē dum inquit, allicit eos. q ¶ Cætera uerò.) Vel de eadem re dicit hoc, ut de coena Dominica, quæ in alijs quoq; capitibus sit indiga: uel de alia, quæ uerbis nō indigeat, sed præsentia ipsius.

CAPVT XII.

DE^a spiritualibus aut fratres nolo uos ignorare. ^b Nostis quòd Gentes fuistis, ad idola muta, prout ducebamini, euntes. Ideo notum uo

bis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquēs, dicit anathema Iesum: & nemo potest dicere Dominū Iesum, nisi in spiritu sancto. Diuisiones autem donorū sunt, idem uerò spiritus: & diuisiones ministeriorū sunt, & idem Dominus: & diuisiones operationū sunt, idem autem Deus, qui efficit omnia in omnibus. Vnicuique uerò datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Nam huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundū eundem spiritum, alteri uerò fides in eodem spiritu, alij autem munera sanationum per eundem spiritum, alij autē efficaciarum potentiarum, alij uerò prophetia, alij autē discretiones spirituum, alij uerò genera linguarum, alij autem interpretatio linguarum.

a ¶ De spiritualibus autem fratres.) Hic loci huius scopus est. Qui apud Corinthios crediderant, spiritualibus charismatibus digni facti fuerant: & hi quidem loquebantur linguis, illi uerò prophetabant, alij autem cætera nacti fuerant. quæ quidem munera, dissensionis ansa fiebant paruulis: etenim qui maius munus acceperat, in eos eleuabatur, qui minus: qui uerò minus, ei inuidebat qui haberet maius. Diuinatores quoque ac falsi prophetae inter eos erant: nec satis patebat illis, quis nā per spiritū sanctum, quis uerò per demonē uaticinaretur. Quoniam igitur hoc eos perturbabat, & diuinatis & prophetæ signa dicit, ac eos per omnia emendatos reddit. b ¶ No-

tis

stis quòd Gentes.) De donis loquitur, quæ ex spi-
ritu sancto: ostendere cupiens, quænam discretio, co-
gnitioue eorum sit, qui spiritu arripiuntur, & quæ
prophetarum, aitq;: Nostis, nec opus, ut id à me disca-
tis, habetis. Quando Gentes eratis, hoc est, quando
inter Gentes computabamini. Quando itaq; Gentes
eratis, inter Gentes, inquam, connumerati, ad idola
adigebamini uaticinantes. Eleganter uerò ait, prout
ducebamini: id est, prout contingebat: neque sane
eratis intrinsecus mentis, uel habitus exterioris: neq;
spontè abibatis, sed ui furentes, inuiti, ac mète capti.
Agebantur uerò à demone, qui in eis erat, nihil ha-
bentes modestiæ, sed furiosa & insana quæq;.

c ¶ Quòd nemo in spiritu Dei.) Prima quidè
uerorum falsorumq; Prophetarū hæc differentia est.
Veri quidè, constantes, ac maximè sobrij, futura præ-
dicunt: falsi uerò, incòstantes atq; insani, ac ueluti per-
uim à mouentibus aguntur demonibus. Secunda ue-
rò, quòd hi quidem nihil blasphemum, nihil non de-
cens loquuntur, sed tanquã theologi de Deo optima
santur, casteq; omnia: ij autem blasphemias & abso-
nas uoces, hasq; cum fremitu eructant. d ¶ Nemo
potest dicere.) Dixerat signum diuiniū, quòd
mente uidelicet capti, ac furiosi ad idola ducantur,
& quasi futura prædicant. Indicium quoq; prophe-
tæ dicit. Quòdnam hoc? Quòd nemo qui spiritū Dei
habeat, anathema, profanumue dicit, seu contumelijs
afficit Dominū. Ac rursus: Nemo ipsum potest Do-

minum profiteri, quin spiritum sanctum habeat.
 e ¶ Diuisiones autem donorum sunt.) Iterum
 in sermonem de donis muneribusue prolabitur, &
 ait: diuisiones, & quasi partitiones donorum sunt. Por-
 rò cum dicit, donorum, eum instruit, qui minus ha-
 bet munus, non ferre molestè. Si enim donatum tibi
 fuit, gratias propterea habeas, quòd omnino accepe-
 ris: & ne aegrè propterea seras, quòd minus nactus
 sis. Itemq; addendo, idem uerò spiritus, magnà af-
 fert consolationem. Nam licet, inquit, donum tuum mi-
 nus sit, tamen unius atq; eiusdem spiritus dona ipsa
 sunt, tum parua, tum magna. PHOTII: Dona qui-
 dem hæc ipsa uocat, muneris indicans magnificen-
 tiam. Administrationes autem, docens ut ij, qui eis ha-
 biti digni fuerint, non offerantur, sed cum correctio-
 ne & modestia, ueluti ad seruitutem proximorum uo-
 cati ac ministeriū, ita proximos alloquantur, & cum
 eis conuersentur. Efficacias uerò, rursum ipsam infi-
 nuans actionem. Diligenter autem cōsidera, quoniam
 pacto sanctissimi illum spiritum palam Dominū pre-
 dicauerit, atq; Deum. Cum enim dixisset, Diuisiones
 autem donorum sunt, idem uerò spiritus: & rursum
 ad eandem rem addens, Diuisiones administrationū
 sunt, idem autem est Dominus: adhuc etiam in eodem
 sensu manens, atq; dicens, Et diuisiones efficaciarum
 sunt, idem uerò est Deus: appendit dicens, Cuiq; ue-
 rò datur manifestatio spiritus ad utilitatē: ostendens
 quòd uoculas illas, Deus, inquā, & Dominus, san-
 Et apta-

Et aptauerit struxeritq; spiritui. Omnia enim quæ-
 cunq; prædixerat, ipsius spiritus copulauit hyposta-
 si: non ex eo solo quod dixerat, Cuiq; datur manife-
 statio spiritus: uerum etiam ex subsequenti donorum
 enumeratione. Asserit enim, per spiritum omnia da-
 ri. Et in summam rursus colligens, dicit: Omnia ue-
 rò hæc unus atq; idem spiritus efficit. Planum est igitur,
 quod sanctissimū illum spiritum Deum & Domi-
 num clarè luculenterq; diuus Paulus hoc in loco, uti
 theologus, asseuerat. At si quis illud, spiritus, de san-
 cto duntaxat spiritu sumat, Dominus autem ac Deus,
 alterum quidem de filio, alterum uerò de patre: ita
 quoq; nihilominus dominatio atq; deitas ex his ipsis
 sancto spiritui contestabitur. Quaratione? quòue mo-
 do? Primum quidem, quod cum spiritum sanctum hæc
 ipsa munera partiri dixisset, id ipsum & Dominū di-
 xit & Deum peragere. Igitur quæcunque efficit spi-
 ritus, hæc & Dominus efficit dominatione, & deita-
 te Deus. Iurè ergo eadem spiritui efficienti, & filij do-
 minatio adest, & deitas patris. Est igitur spiritus &
 Dominus, & Deus. Et mihi quidem uidetur diuus
 quoq; ille Paulus hac de causa ad spiritum hypostati-
 co nomine usus esse, ad filium uerò atq; patrem com-
 munitibus: ut liceat perspicentibus ab identitate effica-
 cie, identitatem substantiæ, & nomina eadem, Do-
 minus inquam & Deus, iuxta substantiæ identitatem
 ad spiritum applicare. Nec tantum ex ijs quæ dicta
 fuerunt, dominatio ipsius spiritus declaratur ac dei-

tas, uerum etiam ex subsequenti recapitulatione. Ait siquidem rursus manifestius in hoc loco, quod omnia hæc unus atq; idem spiritus efficit, diuidens cuiq; sua ipsius. Quomodo? Imperatiuè uidelicet, ac dominatiuè. Sicut enim uult, inquit. Si ergo omnia, quæ pater & filius efficit, eadem facit & spiritus, & diuine facit, et dominatiuè (sicut enim uult, ita facit: uult, inquam, uti Dominus atq; Deus. Haud enim contraria est uoluntas, absit) manifestum est, quod & Dominus sanè & Deus sit ipse spiritus. Imperatiuè quippe patris filijq; opera peragit, et ut Dominus facit et Deus, & omnia facit. Annotare uerò & hoc oportet, quod & in corollarij parte declarauit, quoniam patet idem spiritus omnia efficit manifeste: aliquando sanè præpositione hac, iuxta, uel, secundum, usus, aliquando uerò, per, ac rursus quandoq; in: ut præseferat, quod apud se præpositionū usus indifferens sit. Nam iuxta, siue, secundum eundem, inquit, & per eundem, & in eodem: de eodem sancto accipiens spiritu. Atq; his ad eorum redargutionē utaris, qui locum illum obtrectant, nempe, per ipsum, & ex ipso, & in ipso: & distinctè per alterationem pronunciantes propriarum uocum, in blasphemias deducuntur sententias. Porrò quod ait, idem spiritus, fieri non potest ut qui diuino spiritu agitur, à diuina alienum natura CHRISTVM diffiniat. Sed neq; rursus fieri potest, ut is syncerè Deum confiteatur, nisi ab illius gratia illustretur. § ¶ Diuisiones ministeriorū sunt.)

sunt.) Ne audito tantummodo, dona, is qui minus acceperat, tanq̄ inferior circa donum habitus, moleste ferret, addit, ministeriorum. Qui ergo plus habet, ad laborem habet illud plus. g ¶ Diuisiones operationū.) Hoc est, munerum: æquali enim uirtute sunt, donum, ministerium, & operatio: quia & ea æqualia sunt, quæ à patre & filio & spiritu sancto donantur. h ¶ Idem autem Deus.) Admodum sanè iuxta Christianæ professionis dogmata locum exposuit. Nam cum per diuersitatem d'ctionum sanctam recensisset Trinitatem, indistinctè coniungit. Ipsa enim & personis distinguitur, & substantia necitur: ut & Gregorius Theologus ait, Tria hypostasibus, unum diuinitate. Valde sanè exacta inductio est: Ipse autem Deus est, qui omnia efficit. Quæ enim pater, filius, & spiritus sanctus per agit, hæc Deus efficit. In personis nanq; his consistit diuinitas. Hæ inquam personæ, diuinitas sunt. i ¶ Manifestatio spiritus.) Manifestationes spiritus, signa uocat. Nam per signa paraclæti patefacta prouidentia est. k ¶ Ad utilitatem.) Ne donorū tantum mentione is qui minus acceperat munus audita, contristaretur, diceretq; Quid enim: licet unus sit Deus, attamē minus ego habeo: infert, ad utilitatem: indicans, quòd ipsum idem, minus nactum esse, concludit. l ¶ Nam huic.) Munera ipsa recenset, omnia ex eodem spiritus fonte prodire significans: ut & qui minus habet non egre ferat, & qui maius, nō offeratur, ex quo &

hæc & illa, ab eodem spiritu procedunt. m ¶ Sermo sapientiæ.) Sermo sapientiæ, ut ipse habet Paulus, Petrus, Ioannes, & huiusmodi. Idcirco etiam primo loco posuit hunc. Sermo uero scientiæ est, quem illiterati fideles habent: quippe qui norunt sanè, sed alios docere nequeunt. n ¶ Alteri fides.) Fidem non dogmatum, sed signorum dicit, quæ petebant Apostoli di-

Luc. 17. centes, Adauge nobis fidem. Non quod fidem sanè Apo-

Matth. 17. stoli non haberent, sed quoniã audierant, Si haberetis fidem quantum granum sinapis: hanc inquam fidem ad peragenda mirabilia postulabant. THEODOR. Et aliter: Fidem non comune, sed peculiare donum uocauit. Est enim & munus quoddam, munus fidei uocatum: & est fides dogmatum. Porro curationum munus ait claudorum cursum, egrorum salutem, mortuorum excitationem, ac cetera id genus. Efficacias uero potentiarum, ipsius Elymæ obcecationem, Ananiæ & Saphiræ necem: traditos satanæ, quò discant non blasphemare. o ¶ Munera sanationum.) Qui sanationum gratiam habet, sanat egrotos: qui autem potentiarum efficaciam, & curare egros, & infideles ac peruersos punire potest. p ¶ Discretionem spirituum.) Nosse, quisnam propheta, quisue falsus propheta: quis spiritalis, & quis non huiusmodi. Nam & diuinatores per illud temporis erant, qui hominibus imponebant. q ¶ Generalium linguarum.) Hoc arbitrabantur Corinthij omnium esse maximam, quòd in primis nacti id Apostoli fuerint. r ¶ Alij autem

autem interpretatio sermonum.) Siue quòd,
dum alij linguis loquerentur, ipsi interpretabantur:
seu quòd, postquam ipsi locuti fuissent, etiam inter-
pretarentur: quod facere nequaquam poterant, qui
linguis tantummodo loquebantur.

^a Omnia uerò hæc efficit unus atq; idem spi-
 ritus, diuidens peculiaria sicuti uult. ^b Ut enim
 corpus unum est, & membra habet multa: om-
 nia uerò membra corporis unius, ^c multa cum
 sint, unum sunt corpus: ^d ita etiã Christus. Ete-
 nim ^e in uno spiritu nos omnes in unum cor-
 pus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Græci, si-
 ue serui, siue liberi: & omnes ^f unum potū hau-
 simus, in unum spiritum. & Etenim corpus nō
 est unum membrum, sed multa. ^h Si dicat pes,
 non sum manus, nō sum de corpore, an idcir-
 co nō est de corpore? Et si dicat auris, nō sum
 oculus, non sum de corpore, num ideo nō est
 de corpore? Si totum corpus oculus, ubi audi-
 tus? ubi olfactus? Nunc autem Deus posuit
 membra, unumquodq; eorum in corpore fi-
 cut uoluit. ^k Quòd si essent omnia unū mem-
 brum, ubi corpus? nunc autem multa quidem
 membra, unum uerò corpus.

^a ¶ Omnia uerò hæc.) Propter spiritus sancti
 impugnatores notato uerbum. Illi nanq; impiè aiūt,
 & ipsum quoq; spiritum sanctum à patre effici. Por-
 rò hic uideas ipsum spiritum sanctum nihil ex ijs esse
 quæ efficiuntur, sed ex ijs quæ efficiunt, ut qui Domi-

nus, qui Deus, qui sui ipsius iuris sit, ac nulli subditus.
 Ioan. 3. Tale quiddam etiã alibi exprimit: Spiritus ubi uult
 spirat. b ¶ (Ut enim corpus.) Ex corporis exem-
 plo monstrare conatur, omnes nos, etsi differentia do-
 na habeamus, unum esse. Si igitur unum sumus, quo-
 nam pacto rationi deinceps consentaneũ erit, ut quis-
 piam propter donorum differentiam perturbetur,
 animũmue despondeat? c ¶ (Multa cum sint.) Nam
 membra omnia conficiunt, ut sint unum atq; integrũ
 corpus. d ¶ (Ita etiam Christus.) Ita, inquit, &
 CHRISTVS multa quidem habet membra, particu-
 lares uidelicet quosq;: unum uerò corpus, Ecclesie cõ-
 munitatem. Ex multis nanq; cõiuncta, unum corpus
 est, caput habens CHRISTVM: ita ut & Ecclesia et
 CHRISTVS, unum perfectum sint corpus. e ¶ (In
 uno spiritu.) Quasi per unum, omnes in unũ cor-
 pus. Idq; deinde infert, quòd omnes unum corpus es-
 se probet: nempe & unum esse spiritum, & sub uno
 spiritu omnes baptizatos esse. In unum corpus, hoc
 est, ad hoc ut omnes unum fiamus corpus. Demũ per
 ambo hæc, & dicendo, Omnes nos unum esse corpus,
 & unum esse spiritum asseuerando, perq; idem laua-
 crum unum nos effectos, eum consolatur qui minus
 donum haberet. f ¶ (Et omnes unum potum.)
 Per unum, inquit, spiritum donationẽ accepimus gra-
 tiarum. Potati uerò sumus, ait, à ramorũ metaphora,
 qui eodem irrigantur fonte. g ¶ (Corpus nõ est
 unum membrum.) Et ne, inquit, mireris, si, tot
 cum

cum simus, unum corpus existimus: quādoquidem in corpore quoq; humano, ex multis membris corpus unum inuenire sit. Apta sanē illis uerba, quasi ex persona membrorum, apposuit, ostendere cupiens, quòd quamuis minus donum quispiam habeat, nihil obsit ad hoc, quin membrū sit corporis. Nam & circa humanum temperamentū, tam illa quæ minor pars est, quàm quæ preciosior, in unū cōplentur corpus.

h ¶ Si dicat pes.) Si hoc dixerit, quòd non sum ex corpore: non quia dixerit, non sum, iam corpore priuatus est: sic neq; tu, quòd hoc, & non illud donum habeas, desitisti quin unum cum cæteris corpus sis.

i ¶ Si totum corpus oculus.) Quoniam oculi pedisq; meminit, ex hoc etiam mærorem quendam intulit, clām innuens minus quippiam eos habere, ut in membris quoq; accidit: nunc ostendit ita conducere, quòd differentia dona sint. Nam quemadmodum corpus, propterea corpus est, quòd ex differentibus cōpactum sit membris: ita etiam CHRISTI corpus, id est, Ecclesia, idem facit ut corpus sit, differentia inquam donorum ministeriorumq;. Hinc quoq; uide-to, quonam pacto manifestius, & absq; ulla ambiguitate, spiritum ipsum præconis in morem pronunciarit. Cum enim paulo antè dixisset, Omnia hæc unus atq; idem efficit spiritus: nunc rursus de eisdem loquens, inquit: Deus posuit membra, unumquodq; eorum sicut uoluit. Membra siquidem eos nuncupauit, qui dona diuersa à spiritu nacti sunt. Et illic quidem

ait, efficit, diuidens cuiq; sicut uult: hîc autē, Posuit unumquodq; eorū sicut uoluit. Si ergo ita Deus uoluit, absurdum sanē dixerim de ijs molestia affici, quæ Deus ipse uoluit. Quòd uerò dicit suprà, sicut uoluit, de spiritu sancto nimirū loquitur. & In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. & Omnes unum hausimus potum, in unum spiritū. & Quoniam in unum spiritū omnes. & Ipsius spiritus uolūtas, spiritusq; Deus est. Vel certè de tota sancta intelligas Trinitate. Nulla enim differentia est cō substantiali, ac per omnia laude prosequendæ Trinitati. k ¶ Quòd si essent omnia unum.) Idipsum sanē quod ansam illis pusillanimitatis præbebat, differentia inquam donorū, hîc in occasione accipit unitatis. Nisi enim, inquit, dona differentia haberetis, neq; corpus essetis: & nisi corpus essetis, nec æquales etiam: æqualitas enim & unitas ex eo sunt, quòd corpus unum sit.

At non^a potest oculus dicere manui, Nō est mihi opus te: aut rursus caput pedibus, Nō est mihi opus uobis: imò^b multò magis, quæ uidentur membra corporis^c imbecilliora existere, necessaria sunt: ^d& quæ putamus minus honesta esse corporis, his honorem uberiorē apponimus: ^e& indecora nostra, decorem habent abundantiorē: decora uerò nostra non indigent: sed Deus^f contemperauit corpus, ^gindigenti honoris tribuit plus, ^hne factio esset in corpore,

corpore, sed mutuò membra¹ eandem sollicitu-
dinem habeant. Et siue^k patiat^r unum mem-
brum, membra omnia compatiuntur: siue^l glo-
rificetur unum membrum, omnia simul mem-
bra gaudeant. Vos autem estis^m corpus Chri-
sti,ⁿ & membrum ex membro.

a ¶ At non potest oculus dicere.) Licet enim
dicere uellet, inquit, Nō est mihi opus te: attamen nō
ita natura res habet. Cū in superioribus nō moerem-
dum illis, qui minora haberent dona, suassisset: nunc il-
lorum arrogantiam sternit, qui maiora nacti essent.
Ut enim oculus membris reliquis dicere non potest,
Non est mihi opus uobis: nam p̄ ap̄edito uno, claudi-
cat totum corpus: sic neq; nacti maiora, in eos qui mi-
nora perceperant dona, efferrī possunt, ac si eis opus
sibi non esset: unius namq; iactura, totius Ecclesiæ ple-
nitudinē claudicare facit: quando quidem ij, qui ma-
iora dūtaxat munera perceperunt, ad eam ædifi-
candam non sunt satis. b ¶ Multò magis quæ
uidentur.) Ostendere nunc uult, quòd & utiliores
fortassis sunt, qui dona accepisse minora uidētur. Ele-
ganter uerò ait, quæ uidentur, insinuans intra solā
opinionem consistere, quòd unus alio minor sit, nō au-
tem reuera. c ¶ Imbecilliora.) Aiunt quidā de
oculis hoc eum dixisse, utpote qui, si membris reliquis
comparentur, infirmiores quidem sunt, at magnum
quoddam conferunt complementū, tamen si imbecil-
les putentur. PHOTII: Si igitur imbecilles uos ip-

sos putatis, ne aegre tuleritis: estis nanque necessarij.
 Quòd uerò nec ipsi omnino suis infirmi, sed illi potius
 quibus hæc opinio inest, hinc patet, uidelicet: Quæ
 putamus minus honesta esse corporis, abundantiorē
 ijs prouidentiam & adiumentū apponere non dedi-
 gnatur. & quæ sequuntur. d. ¶ Et quæ puta-
 mus minus honesta.) Vbiq; sanè appendit, ui-
 dentur, seu, putamus. Id uerò agit, ut humanam
 hanc opinionē esse declaret. Quòd autē dicit, Minus
 honesta, nōnulli de pedibus eum dixisse aiunt, qui in-
 firmā quidem corporis partem nacti, tamen calefunt
 à nobis, & eis plusquā cæteris uicinioribus membris
 cauetur: illis enim corpus totum & innititur & sulci-
 tur. Vel certè de genitalib. id accipito partibus: quip-
 pe quæ turpia esse uidentur, sed totū potius corpus
 nudum quisquis habere eligeret, quàm hæc. Vnde in-
 fert: His honorē apponimus uberiorem, decoremq;
 abundantiorē. PHOTII: Est autē hoc familiarius,
 si hunc etiam in modum sumatur. Nono accidit uo-
 bis, inquit, ut inferiores minorēsue sitis, ob id, quòd
 minus donum affecuti uideamini. Non enim omnino
 ita est, quòd si quis maius sit munus affecutus, is iam
 etiam maior sit: quandoquidem multi ex ijs etiā qui
 acceperunt, inferiores sanè illis minoresq; sunt, qui
 uel nullum etiam omnino perceperunt. Ecquid mino-
 res uel inferiores dico? uerū etiam miseri omnino:
 ut illi qui dixerūt, Domine, nōne in nomine tuo hæc
 & hæc fecimus? Quibus respōdet Dominus: Nusquā
non i

Matth. 7. ut illi qui dixerūt, Domine, nōne in nomine tuo hæc
 & hæc fecimus? Quibus respōdet Dominus: Nusquā

eos (abusi enim fuerant munere) imò abscedere q̄ ci-
 tius imperauit. Talis erat ille, qui & Christū nō seque-
 batur, & signa patrabat: talis & ipse Iudas. Hæc au-
 tem ipse quidem interim non describit, sed ex ijs quæ
 ab illo per corporis exemplum sunt dicta, hoc quoq;
 adstruit, quòd minimè sunt illi censendi maiores, qui
 maius percepisse munus putantur, sed cōtrà quādoq;
 fortassis etiā minores. Ait enim: Quòd indecoris no-
 stris decorè apponimus uberiorè, & minus honestis
 honorem uberiorè, an nō propter hoc & honestio-
 ra, & magis decora sunt, quàm ea quæ & honestiora
 sunt & magis decora? Sic, inquit, & Deus destituto
 quandoq; gratiam potiorempertitur, & munus:
 ei uerò qui & sufficiens per seipsum est, & idoneus
 ad seipsum regendum, minus. Non itaq; agrè uobis
 ferendum, si minus donū habere uideamini: quando-
 quidem & nos ipsi magis decora honestioraq; mēbra
 nostra, ut quæ nō multo decore indigeant, in eo ipso,
 in quo sunt, ornamento ac uenustate manere sinentes,
 minus honestis minusq; decoris honorè apponimus
 & decorè. Ex minoris itaq; perceptione magis letan-
 dum, & gratias agendū est, quòd sic ex principio sa-
 pienter omnia, & citra reprehensionē plasmauerit
 Deus noster, faciens ut perfectiora quæq;, ad sui cōple-
 tionē ac perfectionē minoribus egeant. Hæc autē in-
 quit, ut eos qui minus habere sibi uidebantur, super
 animi sui deiectionē consolaretur: quiq; maius perce-
 pisse putabantur, ad æquitatē traheret & modestiā.

Quid intumescis, cum tibi plus habere uideris? Infirmi-
 tatis tuæ id dixerim testimonium, quod pluribus
 indigueris. Quid deijceris, dum minus tibi habere ui-
 deris? Roboris tui argumentum est hoc, quod pauciori-
 bus Deus te demonstraauerit indigere. Etiam contem-
 plare, quoniam pacto paulatim quidem ad necessita-
 tem eos æquare cœperit, tametsi munera inæqualia
 nactos. Deinde uerò maiorem etiam eos in modum, qui
 putabantur minores, euexit. Hi namque magis consola-
 tione indigent, qui imbecilliores habentur, quam qui
 arrogantes sunt & superbi, parca increpatione, ac
 miti. Cum hæc deinde dixisset, iterum eos docet hor-
 taturque, ut eundem sibi inuicem honorem exhibeant,
 sitque sententia eadem, ut non schisma in corpore, in-
 quit, habeatur, sed eandem mutuo unum pro altero
 curam gerant membra: & quæ sequuntur. e ¶ In-
 decora.) Ne quis diceret: Et quænam hæc ratio,
 prouidere, inquam, & eorum cura tangi, quæ minus
 honesta & indecora sunt, temnere autem pulchra? Nō,
 inquit, contemnimus, sed nullo ex nobis ea indigent,
 quæ à natura decorem habent. Solatur per hæc rur-
 sus eos qui maiora possidebant munera. f ¶ Sed
 Deus contemperauit.) Si cōtemperauit, ergo &
 unum fecit: quod enim cōmiscetur, fit unum. g ¶ In-
 digenti.) Perpende: non ait, minus honesto, seu tur-
 pi, sed, indigenti: nulla præ se ferēs turpia natura es-
 se, uel inhonesta: hoc est, honesta uel inhonesta.
 h ¶ Ne factio.) Circa corpus sanè quispiam nosse po-
 terit:

terit: at circa homines, quoniam pacto inuenire est, uel
 inhonestiores uel imbecilliores uberem curam sor-
 titos esse? Et dicimus, quod Deus plus curæ illis exhi-
 bet qui sunt imbecilliores. Etiam uideas latronem ante
 Apostolos paradysum ingressum, ouemq; centesimam
 perditam, inuentam humeris baiulatam: & opera-
 rios undecimæ horæ primos reportasse mercedem, se-
 rente Deo, condescendenteq; inferioribus, magis.
 Quare etiam inquit, uberiorē honorē impartiens,
 quo ex hoc eos cōsoletur, qui minora essent dona sor-
 titi. i ¶ Sed mutuò membra.) Quod unum pror-
 sus corpus sint, id efficit, si uidelicet non dirimantur:
 alioqui si dirimerentur, totum periret. Hoc uerò in-
 quit, ut illis timorē incutiat, eosq; comprimat, qui ma-
 gna dona potiebantur: quandoquidem minorum in-
 donis sectio, eos quoq; ipsos perdet, dum in periculo
 uersantur, ne ultra CHRISTI sint corpus. Ait itaq;
 Curandum est, alteriq; pro altero mutuò prouiden-
 dum: quoniam per unitatē habemus quod sumus.
 k ¶ Et siue patiatur.) Nam utrum exactē unita
 esse, & mutuam habere curam oporteat membra, ex
 eo patet, quod & accidentia, & passionēs, & ad uo-
 tum succedentia, cōmunia esse debent. Si enim à mi-
 noribus sectus fueris, tibi etiam, qui maior es, damno e-
 rit: ut etiam oculis pes damnum infert abscissus, qui
 infima corporis habetur pars. l ¶ Siue glorifice-
 tur.) Caput coronatur, & membris omnibus glo-
 ria est & gaudium. m ¶ Vos autem estis corpus

CHRISTI. Deinde ne dicerent: Ecquid ad nos exemplum attinet corporis? eos quoque corpus CHRISTI esse cōmonstrat. Porro si humanum corpus secari nequit (dissolutionis namque interitusque causa simultas est) longè minus CHRISTI. ¶ Et membrum ex membro.) Omnes quippe ubique fideles corpus CHRISTI sunt: uos autem o Corinthij, membra etiā ex parte estis. Haud enim soli uos totum corpus, sed membrā estis: neque multa sanè, uerum ex parte. Ostendit in maiorem quidem iam mundi partem Euangelium disseminatum, ac fidem.

¶ Et alios quidē posuit Deus in Ecclesia, a primū Apostolos, deinde b prophetas, tertio c doctores, d deinde potestates, deinde dona sanationum, e opitulationes, gubernationes, f genera linguarū. g Nunquid omnes Apostoli: num omnes prophetæ? num omnes doctores? an omnes potestates? nunquid omnes dona habent sanationū? num omnes linguis loquuntur? an omnes interpretantur? h Secetimini uerò dona potiora. Atque i excellentiorem adhuc uobis uiam ostendo.

a ¶ Primū Apostolos.) Et alios quidē Apostolos, inquit, posuit fecitque Deus in Ecclesia. Eleganter uerò primo loco Apostolos posuit: nam ipsi principes ac duces sunt fidei. Secundò autem prophetas locauit: non ueteres dicens, sed eos qui per illud tempus in qualibet Ecclesia prophetabant, ut Agabus, & plurimi alij. At si erant prophetæ, quomodo Do

minus

minus dicit, Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem? Ad Matth. 11.
 quod respondemus, quòd ueteres illos ait, qui de suo
 prophetabāt aduentu. **b** ¶ Deinde prophetas.)
 THEODORET I: Prophetas dicit magnus Apostolus,
 nō eos qui ante gratiā, sed qui fuerunt post gratiam.
c ¶ Tertio doctores.) IOANNIS: Nam hi quoq;
 admodū conferūt, & iurē post prophetas statim po-
 nuntur. **d** ¶ Quarto potestates.) GENNADI I:
 Efficaciæ, in quā, uirtutū seu potestātū. Nam potesta-
 tes, infirmos quidē curabāt, cōtradicentesq; reprime-
 bant, ut Paulus Elymā, Petrus Ananiā. Qui uerò gra-
 tiam dumtaxat sanationū habebāt, tantū medebātur:
 idcirco maioris erāt & honoris & precij potestates.
e ¶ Opitulationes.) Infirmis opitulari, eosq; mo-
 derari: quod & ipsum quidē donū uocat, tamen si no-
 stris laborib; egeat. Idem omnino, hoc est, æquale mi-
 nus dixerim, nempe opitulationē & gubernationē.
f ¶ Genera linguarū.) Hoc præcipuē munere dita-
 ti Corinthis fuerāt, & huius gratia superbi euaserāt:
 quare, ut eorū deturbet opinionem, extremo loco po-
 nit. **g** ¶ Nunquid omnes Apostoli?) Deinde ne
 ordine hoc, dum & maiora & minora declarantur
 munera, mœrorē iterū ijs iniiceret qui minora obti-
 nuerant, quid dicat animaduertito: Num omnes Apo-
 stoli, uel prophetæ? Nam si idem omnes, nequaquā diffe-
 rentia mēbra essetis. Si omnes, inquit, essetis prophe-
 tæ, ubi Apostoli? Si omnes Apostoli, ubi doctores? Hic
 itaq; ordo & cōducit, inquit, & præstat, ut proximo

quisq; egeat. h. ¶ Sectemini uerò dona potiora.)
 Clàm eos pungit. Vos sanè in causa estis, inquit, cur
 magna non sortiamini, ob uestram nempe socordiã.
 Id enim pr. e se fert, Sectemini. Non magna dixit, sed
 meliora: hoc est, utiliora, & quæ magis cõducant, &
 Ecclesiæ conferant. PHOTII. Aliter: Quòd ait,
sectemini, hoc est, sectemini, siue, sectamini uerò dona, mi
 hi quidem uidetur non per admonitionem & enun-
 ciationem dictum. Quæ enim ratione, qui se penumero
 etiam ad utilitatem quemlibet munus percepisse
 dixerat, nihilq; illum præstare qui potius maiusq; do-
 num habere uidetur, ei qui minus possidet, sepius de-
 monstrauerat? Sed mihi à diuo Paulo per interroga-
 tionem dictum uidetur: Sectamini, inquit, dona po-
 tiora? & nondum uobis super minoribus non mole-
 stè ferre persuasimus? sed amatores estis adhuc, amu-
 latoresq; potiorum? Et ego adhuc etiam semitã per-
 breuem uobis, ac iter ad ea quæ diximus, declaro, per
 quam nullo horum charismatũ maximorũ indigen-
 tes, excellentia profectò quadam alijs præstantiores,
 ac reuera perfectiores appareatis. Quid hoc igitur?
 Res nimirũ simplex, & quæ nullum laborẽ afferat,
 quæq; ex amore proueniat. Quenam igitur hæc?
 Quid porrò aliud, præterq̃ charitas? Hanc etenim si
 purè perceperit quispiã, excedit omnes, supergres-
 sus est uniuersos: qui uerò hanc non habet, ab omni-
 bus excidit, omnibus destitutus est. Si uerò charitatẽ
 habeamus, neque de donis mutuò rixati, tam leuiter
 moue-

mouebimur, nec aliud quidpiam ex ijs, quæ nõ com-
 petunt, nobis continget. i ¶ Atq; excellentiorem
 adhuc uobis uiam ostendo.) Si dona omnino ma-
 iora amulemini, id uobis ostendo quod sit præstatius.
 nimirum charitatẽ declaraturus est. Et uide: non di-
 xit, donũ uobis excellentius monstro, sed, uiam excel-
 lentiorem: uiam esse charitatẽ ostendens, quæ ad mu-
 nera omnia ducat: & qui hanc fuerit adeptus, per
 ipsam quoq; ad munera omnia gradietur. THEO-
 DORETI, Ioannis, & Gennadij: Quidam hoc per in-
 terrogationẽ legunt, pro, Optatis ne omnino potio-
 ra munera? Si omnino cupitis, libenter equidem uos
 ad ea manuducam. Intulit nanq; hoc, Viam etiã ad-
 huc celsiorem ostendo: hoc est, maiorum, præstantio-
 rumq; munerum uobis uiam commonstro.

CAPVT XIII.

Si linguis hominũ loquar^a & angelorũ,^b cha-
 ritatem autem non habeam, factus sum æs so-
 nans, aut cymbalũ tinniens.^c Et si habeã pro-
 phetiam, & nouerim mysteria omnia, & om-
 nem scientiam, & si habeam^d omnẽ fidem, ita
 ut montes transferam, charitatem autem non
 habeam,^e nihil sum. Et si in^f alim oniam om-
 nes facultates meas insumã, & si^g tradam cor-
 pus meum ut comburatur, charitatẽ autẽ non
 habeam, nihil mihi prodest.

a ¶ Et angelorum.) Cũ linguis angelorũ
 dicit, nequaquã angelos corpore uestit, sed ex noto no-
 bis uocis organo sermocinationẽ illam, quam angeli

inter sese habent, indicat. Habent enim & illi significationē quandam, per quam mutuò sermocinatur: ut
Philip. 2. alibi quoq; dicit, Cur uabitur illi omne genu, coelestium & terrestrium. b ¶ Charitatē autē.) Quenā igitur uia hæc? Nimirū charitas, sine qua nullū donorū prodest. Et primū à linguarū munere incipit, quod maxime apud illos habebatur in precio, et ait: Si linguis hominū, imò uerò & angelorū absq; charitate loquar, frustra, inaniter, ad nullāq; prorsus utilitatē, nō secus ac inanimata, es in quā uel cymbalū, loquor. c ¶ Et si habeā omnē prophetiā.) Ostendere cupiens magnum quiddam esse charitatē, auget primū dona, & tūc ait, sine charitate nihil ea esse. Cum enim supra dixisset, Si linguis hominū loquar et angelorū, quippe quod maximū illis erat: nūc rursus idem facit in prophetia. Prophetiā nempe si habeā, nō quancunq; sanē, imò exactissimā, & quæ mysteria nouerit, & scientiam habeat, si charitas desit, nihil sum. Hoc enim infra declarat. d ¶ Et si habeā omnē fidē.) GENNADII: Fidem in hoc loco, non catholicam dicit, uel quæ fidelibus cunctis cōmunis est, sed fidei donū. Erat enim muneris species quædam, eiusdem nominis cum hac, quā dicimus fidē. Vnde in spiritualis societatis ac unitatis ostensionē, religiosi compluribus illo in tempore suppeditabatur. De quo munere etiā Dominus
Matth. 17. in Euāgelio ait: Si habueritis fidem quantū granū sinapis, dicetis mōti huic, Tollere, et mittere in mare, et ita fiet. Haud enim quasi ad infideles circa cōmunem
 fidem

fidem hæc ad eos Dominus loquebatur, sed ad suos ipsius discipulos. hoc est, si habueritis fidei donum. Quod autem Dominus in Euangelijis maximum esse dixit, nempe per fidem montes transferre, hoc ait nihil esse absq; charitate. e ¶ Nihil sum.) Non ait, minimus sum, ac tenuis, sed omnino nihil. f ¶ Et si in alimoniam.) Eleganter dixit, In alimoniam insumã: cum donatione largitioneq; suam quoq; ad ministratioñe exprimens. Vide autem: omnes, inquit, facultates, non partem earum. g ¶ Et si tradam.) Omnium miserrimam mortem, quæ pro Deo ferri possit, memorat.

Charitas ^a patiens est, ^b benigna est, charitas non inuidet, charitas ^d non est procax, nõ inflatur, non ^e agit turpiter, ^f non quærit quæ sua sunt, ^g non irritatur, non cogitat malum, ^h non gaudet de iniustitia, congratulatur autem ueritati, ⁱ omnia sustinet, ^k omnia credit, ^l omnia sperat, omnia suffert. ^m Charitas nunquã excidit, ⁿ siue prophetiæ abolebuntur, siue linguæ cessabunt, ^o siue scientia ^p destruetur. ^q Ex parte uerò cognoscimus, & ex parte propheta- mus: at cum uenerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur.

^a ¶ Patiens est.) Deinde charitatis rursus argumenta percurrit, ostendens, quòd non modò passiones nocuentũ inferentes euellat, uerũ ne pullulare quidem permittat. Vide autem, radicem mox totius philosophiæ patientiam posuit. ^b ¶ Benigna

est.) Quoniam nonnulli patientia non ad philosophiam, sed ad cōuiciatores suos magis irritandos usi sunt, idcirco modestius cum illis differens, inquit: *Benigna est.* Id est, non ad conuiciantium iram excitandam, sed ad mitigandam, patientia usa est, & mansuetudine utitur. *c ¶ Non inuidet.)* Papæ, ut est nō eis inuidere, qui bene agunt. *d ¶ Non est procax.)* Non inflatur, nec de suis rectè actis turget: seu nihil proteruum, nihil agit temerariū. Procax enim etiā temerarius est. *e ¶ Non agit turpiter.)* Nō modò, inquit, non agit turpiter, ac præter decorem, imò uerò turpissima patiens, id ipsum, propter eum quem diligit, nō iudicat dedecus. *VEL* certè sic: Non turpiter, seu præter decorem agit: id est, nequaquam de illis, qui laceſſunt iniurijs, ultionem quærit, uel rapit ad ius. Seu quòd nihil, quantumcunq; uile ac humile, quod in fratrum cedat utilitate, incurriſſe cunctatur, ita ut, si actum ipsum amplecteretur, dedecore forsitan nō uacaret. *f ¶ Non quærit quæ sua sunt.)* Modum, quo turpiter non agit, enodat: quòd suam non quærit utilitatem, sed proximi: & tūc dedecus putat, cū proximū dedecore affectum non liberat. *g ¶ Non irritatur.)* Et cū omnia patitur, nequaquā ad iracundiam exacerbatur: ac nedum malum non patrat, sed ne cogitat quidem. *h ¶ Nō gaudet de iniustitia.)* Nec eis gaudet qui malis afficiuntur: cōgratulatur uerò ijs, qui & probi habentur, & honorātur. *i ¶ Omnia sustinet.)* Id enim
sponte

spontè ipsa per se patientia elargitur, hoc est, sustinet: de qua patientia dixerat. **k** ¶ (Omnia credit.) Quæcumq; locutus fuerit dilectus, nihil fictū uel ipse loquitur, uel alterum dicere suspicatur. **l** ¶ (Omnia sperat.) Nunquā, ait, de amato desperat, sed sperat in melius semper eum profecturū. Si autē, etiam postquā sperauit, non assequatur, illo uidelicet in malitia perdurante, defectus illius generose fert. Omnia enim, inquit, sustinet. **m** ¶ Charitas nunquā excidit.) **PHOTII:** Nec dissoluitur, inquit, nec cecidit unq̄, uel cedit, nec à probis laudeq; dignis actis deficit, sed bonas semper sibi ipsi occasiones adinuenit, per quas copulam beneuolentiamq; conseruet in proximos, qui ea utantur, ut perseuerent, & nō desiscant, tametsi ansas discedendi seiungendiq; obtendant. Amare, inquam, facit, sperare, ac ferre in se peccantem. **n** ¶ (Siue prophetiæ.) Postquā charitatis germina recensuit, alio quoq; modo eam attollit, cum dicit, prophetias, linguas, & scientias finem habituras, charitatem uerò solummodo stabilem esse, ac finem ignorare. Nam si tam prophetiæ, quàm linguæ, sunt propter fidei notionem: fide ubiq; disseminata, non iniuria, uti superuacaneæ, abolentur. Et hoc quidem in presenti, sed longè magis in futuro erit. **o** ¶ (Siue scientiæ.) **PHOTII:** Scientiā, doctrinam forsitan uocat. Pietate nanq; ac fide dilatata, doctrina meritò abolebitur. **p** ¶ (Destruetur.) Quid tunc igitur? (nā de futuro seculo dixerat scien-

tiam abolendam) num in ignorantia uitā ducturi sumus? Absit. Sed de scientia, quæ nunc ex parte est, dictum fuit ab eo, quòd abolebitur: præsens namq; scientia cum sit ex parte, ubi scientia perfecta uenerit, tunc quæ ex parte est finem habebit, cum à perfecta notione abolita fuerit. Idem mihi uidetur et de prophetia. q. ¶ Ex parte uerò cognoscimus.) PHOTII: Pro, ex parte enim cognoscimus. Est enim causa, cur abolendæ sint, cùrue cessabunt.

^a Cùm essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam: at ubi factus sum uir, puerilia aboleui. ^b Cernimus enim nūc per speculū in ænigmate, tūc autē^c facie ad faciem: ^d nūc cognosco ex parte, tūc uerò cognoscam ^e quemadmodū & cognitus sum. Nunc autem ^f manet, fides, spes, charitas, stria hæc: maxima uerò in his charitas.

CAPVT XIII.

SECTemini^h charitatē, ⁱ amulemini spiritualia, ^k magis tamē ut prophetetis. ^l Nā qui linguis loquitur, hominibus nō loquitur, sed Deo: nullus enim audit, spiritu uerò loquitur mysteria. ^m Qui prophetat autē, hominibus loquitur ædificationem, exhortationē, & consolationē. ⁿ Qui loquitur lingua, seipsum ædificat: ^o qui uerò prophetat, Ecclesiam ædificat.

^a ¶ Cùm essem puer.) Cū dixisset, perfecta scientia adueniēte, eā quæ ex parte est, abolendā esse, exēplo etiā sermonē cōfirmat. Cū, inquit, essem puer etate,
omnia

omnia habebā puerilia, et loquelā, & sensum, & cogitationē: at ubi factus sum uir, puerilia quæq; abieci à me. Ita, inquit, in spiritalib. Nūc nobis puerilis sanè sciētia est, quia et nos pueri sumus; ubi autē perfecti euaserimus (porrò id in futuro seculo erimus) puerilia omnia longè à nobis projiciemus. Pueritiæ quidē congruunt, scientia præsens, prophetia, & conuersatio, si ad futuram comparentur. Porrò loquebar, ad linguas: sentiebam, ad prophetiam: cogitabam, posuit ad scientiā. **b ¶ Cernimus per speculum.**) Declarat quod de pueritia dictum fuerat, documentisq; conatur ostendere, nostrā nunc scientiam & dubiam esse & tenuem, tunc uerò futuram & clariorē, & certiorē. Videmus enim, inquit, nunc per speculum. Deinde quoniā speculum magis adhuc figuratē, figurati imitationem indicat, intulit, In ænigmate: dubiam esse, exilem, uixq; apparentem, quæ nunc perfectissima putatur, scientiam indicans, longè magis quàm res illa, quæ in speculo cernitur. **c ¶ Tunc autem facie ad faciem.**) Non perinde atq; corporalem quandam uel sensibilem faciem Deus habeat, sed uerbo hoc faciei, clariorē quandam manifestiorēq; scientiam typicè exprimit. Vel certè de filio, Domino inquam nostro IESU Christo, mihi eum dixisse uidetur. **d ¶ Nunc cognosco.**) Nunc, ait, ex parte quadam illum cognosco: tunc uerò ita eum & cognoscam & desiderabo, ut me nunc ipse nouit. Nequaquā enim nunc ipsum cognoscimus, at ipse &

nouit quidem, & traxit nos ad seipsum. Tunc, inquã, eum cognoscemus, nec non ad ipsum curremus, dulce dinis eius experimentũ clarius excipientes. Hoc autem dicens, illorum superbiam, quam de scientia habebant, deturbat, hanc etiam ipsam presentem scientiam indicans & ex parte esse, & non ex nobis ipsis, sed ex Deo gratis nobis donatam, nullisq; nostris laboribus. Nam ipse, ait, & nouit nos, & ad seipsum illexit. e ¶ *Quemadmodum & cognitus sum.*)

PHOTII: Pro, exacte atq; perfecte. Propterea nanque ait, Ab initio cognitus fui, ut cognoscam, quoad fieri homini potest, perfecte exacte q; cognoscentem me Dominum. f ¶ *Nunc autem manet fides.*)

In presenti etiam seculo lingue sunt, prophetie, atque scientie, tametsi tenues, atq; exiles. Verum quod dictum est, Nunc autem manet, intellige quod muneribus reliquis stabiliore sunt tres hæc, fides, inquã, spes, charitas. Atq; in his rursus potissimum charitas, eo quod & in futurum tempus tendatur. PHOTII: Fides & charitas non modò in presenti seculo, alijs cessantibus donis, permanent, sed multò etiam magis in futuro. Tunc enim reuera sanctis pax aderit, mutuus amor, puritas, à seditione uacatio, & fides similiter. Tunc siquidem illustrius erit atq; perfectius deliciari, ac perfrui aspectu illius quem desideras. Spem uerò dixerit quispiam etiam tunc forsitan perseuerare, uelut ijs, que olim sperauerimus, presentibus, ac nulla eos in re, qui sperarint, decepisse. Aeternum quippe

quippe est ueritatis lucrum. ALITER: Nunc autem manet fides.) Sed non ita est, inquit. Illud siquidem aduerbiū, nūc, hoc in loco temporis expressiuum non est. Non igitur, inquit, ita de fide, spe, & charitate, ut de muneribus alijs, nosse est. Enim uero cetera quidem, quæ etiā recensuerat, nō modō in futuro quoq; cessabunt, ubi perfectiora quidem nobis tunc superuenient, uerū etiam deficient in presenti, ubi pietas in omnes fuerit explanata. Cognoscent enim me, inquit, à paruo usq; ad magnum. Complura siquidem ceterorū donorū, ad homines alliciendos, manuq; ad fidem ducendos, data sunt: adductis autē, fidelibusq; effectis, dubio procul cessabunt. At non iam eundem ad modum fides, spes, charitas; hæc namq; per totam hominis uitā suo consistent ordine, ac permancbunt: & tunc magis erunt illustres, quando ceteræ conuiescent. Tunc enim magis uigebunt, magisq; illis erit opus, cū omnes pietatē & fidem admiserint. Tunc, inquam, maiorem in modum usus per eas erit, & sperantibus spei, et amantibus charitatis. Cessantibus igitur muneribus ceteris, hæc radios illustriores emittent. § ¶ Tria hæc.) Hac de causa tria hæc firmitiora reliquis, stabilioraq; sunt, nempe prophetia, linguis, & scientia: quōd fide diffusa, futurum est ut prophetiæ cessent & linguæ. Et scientia quoq;, quæ apud Corinthios erat, finem habebit, quandoquidē firmitior sit quā presens scientia, quæ per CHRISTI gratiam in hoc mundo habetur.

h ¶ *Sequitur charitatem.*) Quoniã igitur ostensum est magni adeò lucri charitatem esse, eam sectemini. Expende autẽ: non dixit, uel sequamini, uel assequamini: ceterũ, *Sequitur*: indicans eam à nobis et olim fugisse, et nunc usque fugere, ac plurimo cursu opus nobis esse, quoad eam pertingamus, quandoquidem tantũ abscessit, seseq; elongauit. i ¶ *Aemulemini spiritualia.*) Ne propterea de charitate ipsum locutũ arbitrarentur, quasi qui dona excluderet reliqua, infert, *Aemulemini spiritualia*, hoc est, dona cum ipsa pariter charitate. PHOTII: Pro eo ut diceret, Neq; illa cõtemnatis. Nam etsi potior quidem est charitas, et hanc sectari oportet, non tamen decet negligere dona reliqua, ac præsertim prophetiæ donum. k ¶ *Magis tamen ut prophetetis.*) Componit deinde prophetiam linguis: linguisq; detrahens, prophetiam utiliore[m] comprobat. Harum nanq; causa plurimũ habebantur elati, quòd has in primis nacti Apostoli fuerint. l ¶ *Nam qui linguis loquitur.*) Monstrat per hoc, linguarũ utilitatem nõ esse plurimã: nam audientium, inquit, nullum ædificat: Deo enim loquitur, nõ hominibus, dum quæ dicuntur nemo intelligit. Hoc enim dicit, Nemo enim audit. Porro ne prorsus eas superuacaneas probet, addit, Spiritu autem loquitur mysteria: hoc est, uel proprio spiritu, quasi cum ipsa anima disputat, ratiocinaturque: uel in spiritu sancto, ueluti per sanctum loquitur spiritum. Verum
et si

etsi loquatur in spiritu, eò tamen minus est quàm prophetia, quò etiã utilitas minor. *m* ¶ Qui prophetat.) Ab utilitate cõmunitati obtingente prophetiam maiorem probat: homines nanq; ait, ædificat, ad fidem hortatur, & de futuris tentationib. consolatur. *n* ¶ Qui loquitur lingua.) De ijs sanè loquitur, qui ea quæ loquuntur norunt, alijs autè interpretari nesciunt. *o* ¶ Qui uerò prophetat.) Qui uerò, inquit, prophetat, Ecclesiam ædificat. Quantum igitur interest inter uni tantum, ac toti prodesse Ecclesiæ, tantum etiam inter linguas interest ac prophetiam.

^a Velim autè omnes uos loqui linguis, magis tamen ut prophetetis. Maior enim est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, ^b nisi interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. ^c Nunc autem fratres, ^d si ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero, nisi uobis loquar aut ^e per reuelationè, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam? Quin ^f & inanima uocem reddentia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionè sonis dederint, quomodo cognoscetur quòd tibia uel cithara canitur? Equidem si incertum sonum tuba det, quis apparabitur ad bellum? Sic ^h & uos per linguam, nisi significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes. ⁱ Tot sunt, ut constat, genera uocum in mundo, & nihil horum

mutum. Itaq; ^ksi nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquit, apud me barbarus. ¹ Sic & uos, quoniam ^mamulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ⁿ ut abundetis.

a ¶ Velim autem omnes.) Deinde quoniam multi apud eos erant qui linguis loquebantur, ne per inuidiã linguas extenuare putaretur, inquit: Velim sanè ut omnes linguis loqueremini, nõ unus, uel duo: attamen prophetaretis malim: præstat enim qui prophetat, quòd plurimis prodest. b ¶ Nisi interpretetur.) Cùm prophetam præstare monstrasset, intulit, nisi fortè interpretetur. hoc est, Præstat propheta sanè, nisi qui loquitur linguis, etiam interpretetur quæ loquitur: huiusmodi nanq; propheta persimilis est, quãdoquidem & ipse pari modo Ecclesiæ uniuersitati prodest. c ¶ Nunc autem fratres.) PHOTII: Nunc autem, inquit, uolo in mea ipsius persona, ne uobis grauiasint & molesta, transformare hæc, & quantũ soli linguarũ locutioni perfectionis desit ostendere. Equidem, inquit, si linguis loquens ueniam, & quæ sequuntur. Sed prius cùm in sese figuram transtulisset, deinceps in sequentibus quoque id ipsum super eos exercet. At ubicũq; asperius quipiam diciturus est, id recipit in seipsum: ut est illud, Ero illi qui loquitur barbarus: & si quid huiusmodi est. d ¶ Si ueniam.) Cupiens in sua ipsius persona linguarum imbecillitatem monstrare, inquit: Me
ipsum

ipsum qui linguis loquar, supputate, uerum ex hoc
 nihil uobis afferam utilitatis. Nisi enim per reuela-
 tionem, inquit, uobis loquar, id est, aliqua facilia in-
 tellectu: seu per scientiam, hoc est, ut quæ dico noue-
 ritis: siue per prophetiam (tunc enim eam intellige-
 rent, si iuxta uulgariorem proferretur elocutionē)
 aut per doctrinam (qui enim docet, studet ut qui do-
 centur, intelligant quæ dicuntur) nulla, inquit, in re
 uobis prodero. e ¶ Aut per reuelationē.) PHO-
 TII: Donorū species, quæ per sermonem habentur,
 recenset. Hæc inquam sunt: Interpretatio linguarū,
 & eorum quæ ab alijs proferuntur, reuelatio: uel
 utrunq; simul, & linguis loqui, & reuelare, quod e-
 tiam scientiam dicit: quoniam loquitur, & interpre-
 tatur, ut qui nouerit quid loquatur: uel prophetare
 (id uerò quid sit patet) seu docere. Aliud hoc donum
 est, præter ea quæ dicta sunt. Ait itaq;: Si ueniam do-
 num quidem loquendi linguis habens, nullum autem
 aliud ex his quatuor, quæ dicta sunt, possidens, quæ
 uobis erit utilitas? f ¶ Quin & inanima.) Et quid
 aio, inquit, id apud nos tantūmodo quod percipitur,
 prodesse, quodq; nō intelligitur, nullū afferre lucrū,
 quandoquidem in ijs etiam, quæ anima carent, orga-
 nis, idem quisq; reperiat? Etenim nec in cithara, nec
 in tibia, id quod canitur cōfundendum est: nulli enim
 unquam delectationē afferret. Si igitur magnū in
 paruis certa notitia refert, quantò magis in spiritua-
 libus? Suo enim ordine, articulatiq; organa percu-

ti oportet: quippe quod distinctionem appellat, hoc est, differentiam, immutationemue melodie. g ¶ Si incertū.) Ex huiusmodi exemplis, quæ nā uirtus & utilitas sit claritudinis certæq; notitiæ, ostendit, & ait: Non tibia duntaxat, uel cithara, uerū etiā tuba, si uocem dederit nō distinctam, nemo erit qui ad prælium se apparet. Illud enim, quis? pro eo stat ut dicat, nemo, dum quid tuba canit ignorat. h ¶ Sic & uos.) Ne rursus dicerent: Ecquid ad nos exempla hæc attinent? Subdit: Sic etiā uos, nisi manifestū intelligibilemq; sermonē protuleritis, in aëra loquentes eritis: hoc est, temerè, frustra, inaniter, inutiliterq;. At si linguarum munus nihil utilitatis habet, cur inter donorum genera percipiebatur? Ut is solus, qui habebat & loquebatur, inde proficeret. Porro si cæteris quoque profuturus esset, interpretatione opus erat, quam qui purgatiore habebantur, accipiebant. Nam iuxta fidei proportionē ac puritatis, cōferebantur & dona. i ¶ Tot sunt.) Tot, id est, tam multa. Multa siquidem, ut patet, sunt genera uocum, tum animatorū, ut hominū, animalū, & uolucrum: tum inanimatorū instrumentorū, ut lyre, musice, tibie, cæterorūq;: uerū à nullo horū utilitas prouenit cuiquam, si uocis, inquit, uis ignoretur. Neque igitur ex uestris his uocibus utilitas ulla in alios extendetur, nisi uis illius, quod dicitur, dignoscatur. Erit autem hoc, si dum loqueris, etiam interpreteris. Interpreteris, si & uitam puriorem, & fidem habueris
feruentio-

feruentiorem. PHOTII: Quòd ait, tot sunt genera uocum, & quæ sequuntur, bisariam accipi potest: uel quòd multa sunt genera uocum, & horum generum nihil mutum: uel, multa sunt uocum genera, sed harum nulla ijs, qui eiusdem sunt generis, absq; significatione, absq; notione est. Quòd uerò ait, mutum, duo significare inuenire est: tum mutū omnino, tum absq; significatione, & notione tantū. Si igitur ut dictum quidem est acceperimus, Apostolicus sensus erit omnino talis: Multa sunt genera uocum, & horū generum mutum est nullum: at quid ipsi ex uocibus istis lucrabimur, si nihil per ea intellexerimus? Si enim nesciero quid uox indicet, ero & ego illi, & ille mihi barbarus. Quòd si, uti posterius dictum est, perceperimus, sensus quoq; huiusmodi erit: Multa sunt uocū genera in hoc mūdo, & horum nihil ijs, qui eiusdem sunt generis, significatione cognitioneq; caret. Quo igitur pacto in aëra loquētes, ac ijs, qui uestri sunt generis, absq; significatione & cognitione loquentes, ac si magnum quiddam peregeritis, intumesciis: & nō potius studetis, curamq; adhibetis, ut interpretandarum quoq; linguarū munere percepto, ad cōmunem utilitatem utamini? Nam qui profectō linguis tantūmodo loquitur, cum nullam uel significationē seu cognitionē uox ipsa afferat auditori, pro eo quòd prodesse debuerat, erit ei barbarus, & auditor similiter loquenti barbarus reputabitur. k ¶ Itaq; si nescie ro.) Sunt igitur mille in mundo uoces. Si uocis ergo

nesciam uim, hoc est, si quod dicatur ignorem, erimus adinuicem barbari, non uocis quidem, sed ignorantie nostrae malitia. l ¶ (Sic & uos.) Sic. Quomodo? Quasi dum loquentes non intelligimur, etiã propter hoc barbari erimus. Sic & uos, pro eo ut diceret, propter quod & uos. Propter quid? ne mutuo barbari sitis. Propterea igitur & uos, ex quo donorum desiderium habetis, ea assequi conemini, per quae ad uobis Ecclesiae utilitas & edificatioq; egregie peragatur. At ipse, ut abundetis, inquit: hoc est, ut plus, quam nunc habetis, habeatis: qui impraesentiarum quidem linguis dumtaxat loquimini, non autem interpreta-
mini. Vel, ut abundetis magis, pro linguarum itidem dictum sit elocutione. Reliqua enim dona & uberiora linguis & abundantiora sunt, ut quae uberio-
rem quoq; afferant utilitatem. m ¶ (Ex quo & emulatores estis.) Desistens ab exemplis, eos apertius admo-
net. Ex quo, inquit, omnino & emulatores estis, ac dona desideratis (id enim dixerim, spiritus) talia optetis ac concupiscatis, quae Ecclesiam & edificare, eiq; prodesse possint. n ¶ (Ut abundetis.) Non ait, ut dona possideatis, sed, ut abundetis, hoc est, multa cum abundantia obtineatis.

^a Quapropter qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens uero mea fructu uacat. ^b Quid igitur est? Orabo spiritu, sed orabo & mente: canam spiritu, sed canam & mente, Alioqui si ^c be-
nedixeris

nedixeris spiritu, is qui locū implet^d indocti,
quomodo dicet Amen, ad tuā gratiarū actio-
nem, quādoquidē quid dicas ignoret.^e Nam
tu quidem bene gratias agis, sed alius nō ædi-
ficabitur. Gratias ago Deo meo, f quōd magis
quā omnes uos linguis loquor. Sed in Eccle-
sia malo s quinq; uerba^h mente mea loqui, ut
& alios instituam, quā decem millia uerbo-
rum lingua. Fratres, i ne pueri sitis mente: sed
k malitia este pueri, mēte uerō estote perfecti.

^lIn lege scriptū est: Varijs linguis, & labijs ua- *Esa. 28:*
rijs loquar populo huic, m & ne sic quidem ex-
audient me, dicit Dñs. Itaq; linguæⁿ pro signo
sunt, nō ijs qui o credunt, sed incredulis. P Pro-
phetia cōtrā, nō incredulis, sed q credentibus.

a ¶ Quapropter qui loquitur.) Deinde etiā
modum, quo dona Ecclesie profutura percipiant,
edicit. Qui loquitur (inquit) lingua, oret, ut interpre-
tandi quoq; munus accipiat. Itaque ipsimet in causa
sunt, quamobrem maius nō accipiāt, ut qui maius nō
postulent. Si enim, inquit, lingua ipse loquar, nō autē
interpreter, spiritus quidem meus, hoc est, anima ipsa
per semetipsam, utilitatem capit: mens uerō mea fru-
ctu nuda reperietur, quandoquidem & alijs utilita-
tem non affert. Mentis enim fructus est, ut per ua-
rios diuersosq; intellectus ac sensus, proximis cure-
mus prodesse. Spiritus meus orat, pro, Donū meū spi-
rituale, ipsamet linguarū elocutio. PHOTII: Ora-
re, pro, aliquid boni ac studiosi linguis loqui accepit.

Enimuero & ipsa precatio, species quædam sermo-
nis est. Ait itaq;: Si quid necessariorū, bonorumq; lo-
quar, nō autem & auditoribus illud interpreter, me-
ipsum quidem utilitate afficio (id enim dixerim, Spi-
ritus meus orat: id est, ego solus necessario illo atque
bono fruor) alter uerò nulla afficitur utilitate, ut
mens inde mea fructum quoq; utilitatis illorū lucre-
tur. Mentem porrò huiusmodi fructu destitui, rur-
sumq; frui, supponit: quoniam illa magis, quàm cete-
ræ potentiarū in nobis existentium, amatrix est pro-
ximorū utilitatis, ut quæ non, sicut irascibilis seu con-
cupiscibilis, ita facile afficiatur, atq; à propria natu-
raliq; uirtute procliuè transmutetur. Atq; illa po-
tius est quæ fructu quoq; caret, cū alicui illarū as-
sentitur: & rursus propterea quòd fructus ipsius
compos effecta sit, exultat. Deinde ait: Quid igitur
est: hoc est, quid fieri opus est? quo fieri modo potest,
ut fructu non destituamur? Quomodo? Maxima per
uirtutem adhibenda cura est, ut qui linguis loquitur,
loquatur & spiritu, loquatur & mente: hoc est, ut &
causa propriæ loquatur utilitatis, & causa fruendi
intelligentia mutui fructus. Hæc autē est utilitas pro-
ximorum. Fiet autem hoc, si linguis loquendo, mu-
nus quoq; perceperimus interpretandi. Quoniā ue-
rò orationis nomen, pro quippiam honestorum stu-
diosorūq; loqui acceperat, perstitit in illius usu: & ne
putares quòd præcipuè de oratione ac prece, & non
de quouis necessario & competenti sermone per lin-
guas

quas loquente, loquatur, transilijit ad psallendum: ue-
 luti dicēs, quòd siue in precatione, siue in psalmodia,
 seu in quouis alio necessariarū honestarumq; rerum
 sermone, in omnibus similiter, tum sibi ipsi, tum pro-
 ximo prodesse oportet. Exemplum postea in mediū
 affert, declarans multis in rebus deficere, esseq; desti-
 tutam, solam linguarū absq; interpretatione elocu-
 tionem. Si enim, inquit, spiritu benedixeris, hoc est,
 tu solus cognoueris, tibiq; ipsi, ex ijs quæ benedicis,
 proderis, auditor uerò quænam loquaris nescierit,
 quid tibi responsurus est? Quomodo dicet Amen, si
 opus fortè fuerit ut ipse respondeat? quandoquidem
 nihil prorsus ex ijs nouerit quæ ipse loqueris. Nam
 tu quidem rectè, & ad tui ipsius utilitatem benedicis,
 uel (si contingat) gratias agis, siue quicquam aliud
 conueniens facis. Ab uniuersis enim sermonem audi-
 ri uult, & non à quopiam speciatim ac separatim.
 Quapropter nonnunq̄ quidem psallere, aliquando
 uerò benedicere, ac postea pro eodem quoque ponit,
 gratias agere: insinuans, quòd in uniuersum de qua-
 cunq; re necessaria & conuenienti, quæ linguis pro-
 ferri possit, & exhortatio sibi, & studium sit. Ceterò
 quòd dicebā, Tu quidem sanè, cum loqueris linguis,
 ad tui ipsius utilitatem benedicis, uel gratias agis, uel
 aliud quicquā loqueris: auscultator uerò nihil lucra-
 tur, nihil abs te utilitatis reportat: mens autem mea
 fructu uacat, hoc est, nō habuit fructum illum, qui ab
 auditoribus ei cōferretur, carpereturq;: nō est ipsum

mens lucrata loquentis, nō est huiuscemodi fructu fructu: fructu cernitur destituta, infructuosa est.

b ¶ (Quid igitur est.) Quid igitur est, inquit, quod oportet Deum postulare? Quid inquam? Ut oretur spiritu, hoc est, anima, quod ad sui ipsius tantum spectat utilitatem: & ut mente quoque oretur, quod ad proximorum quoque ædificationem pertinet, prout supra descriptū est. Et de cantu similiter. THEODORETI: Spiritum uocat, ipsum donum spirituale: mentem uero, declarationem interpretationemue eorum quæ dicuntur. Porro necessariū asserit, ut is qui alia lingua loquitur, siue ad cantilenam, siue ad orationem, seu ad doctrinam id agat, ut uel certē ipse per se interpretetur, & quidnā loquatur nouerit, ad audientium utilitatē: uel ut alter, qui doctrinæ opus pariter subire possit, id agat. **c** ¶ (Si benedixeris.) Si enim tu solus, inquit, quidnā benedixeris, hoc est, quid bene impreceris, nosti, animaq; tua spiritui id dicit: ceteri autem, dum interpretari nescis, ignorant: is qui indocti locum supplet, num dicet Amen ad preces tuas? Cū enim quid dicas ignoret, nescit quando tibi ab eo audiendum sit, Amen. **d** ¶ (Is qui locum implet indocti.) Indoctum hunc dicit, qui in populari ordine censetur. Quoniam sic quoq; eos uocare consueuerunt, qui extra militiam sunt. Hoc autem est quod dicit: Tu qui & canis & oras, interpretare etiam & tibi et cæteris quæ dicis, quò dicant, Fiat: nesciunt enim quid dicas. Id significat, psallam anima, psallam

psallam & mente: pro, nouerim & interpreter etiã auditoribus. e ¶ Nam tu quidem.) Dignas deinde linguarũ dono seruans laudes, inquit: Tu quidẽ bene gratias agis, at proximus inde nullam utilitatẽ capit. f ¶ Magis quã omnes uos.) Ne propter hoc linguarum donum extenuare, hoc est, minus facere uideretur, ut qui minimẽ illo ditatus sit, inquit: Magis quã omnes uos linguis loquor. Et tamẽ dum hoc dicit, gratias Deo præmittit, ut ipsum idem donum à Deo se percepisse demonstret. g ¶ Malo quinque uerba.) Hoc est, malo ut ipse nouerim & interpretari, & auditoribus declarare, quò inde utilitate afficiantur, quã mille uerba per linguam, illa interpretari non ualens: tunc enim in me tantum utilitas ipsa protenditur. h ¶ Mente mea loqui.) PHOTII: Mente mea, hoc est, mentis meæ causa, ne illis infructuosa sit: sed fructu illorum utilitatis fruatur. i ¶ Ne pueri.) Postquã prophetiam præstantem ostendit, mordaciorẽ deinceps sermone utitur: Ne pueri, inquit, este. Nam puerorum est admirari parua, ut linguas: & magna contemnere, hoc est, prophetias. k ¶ Sed malitia.) Quotiescunq; iniquitas, seu aliquod offertur peccatum, tunc este pueri. Id nanq; puerum esse dixerim, nec malè agere, nec peccare nosse: at mentis perfectio est, & malitiam uitare, & sectari uirtutem, & potiorũ utiliorumq; donorum discretionẽ callere. l ¶ In lege scriptum est.) Equidem Esaias hoc ait: ceterũ sanctus hic ue-

terem omnem scripturam legem uocat. Testimoniū autem citat, ut clām indicet, non magni esse momenti linguarum signum, ob id quòd infidelibus fiat.

m ¶ Et ne sic quidem.) Cur igitur loquebatur, si non audiendum se norat? Ut omnia Deus ageret, quæ sua interesset: per quæ omnia patefaceret quam de nobis habeat prouidentiam: & uincat, & omni excusatione denudet cū iudicatur. OECUMENII: Vel illud sanè, Ne sic quidem exaudient me, quasi in cōmuni sit dictum, & non omnes audisse. Fieri enim potest, ut ne unus quidē audierit.

n ¶ Pro signo.) Cernis ne quonam pacto linguis præferat prophetias? pro signo nanq; sunt. Porro signum nō penitus docet, uel prodest, quādoquidem etiam crebrò obest, ut in sequentibus ait: hic autem, An nō ebrios uos esse dicent?

o ¶ Non hīs qui credunt.) Fideles enim cū credant, signis non indigent. p ¶ Prophetia contrā.) Prophetia uerò, inquit, fidelibus confert, erudit enim eos: uerū non iam & infidelibus, utpote qui insanabili morbo laborent, præter quòd in sequentibus ait, quòd his quoq; proffit. Dum enim, inquit, ab omnibus deprehenditur, dijudicaturq;, dicet reuera inter uos esse Deum. An cernis quanta sit excellentia prophetiæ? Linguae quidem ridere faciūt infideles: dicent enim uos esse temulentos. Prophetia uerò, fidelibus quidem modis omnibus, infidelibus in credulisq; etiam quandoq; utilitatem affert, quum eos, in quā, deprehendit, & ut in faciem cadant, Deūq;

adorent

adorent, compellit. Nam id in sequentibus asserit.
 q ¶ Sed credentib.) Ad doctrinā, hoc est, utilitatē.

^a Ergo si conuenerit Ecclesia tota simul, & omnes linguis loquantur, ingrediantur autē indocti, aut increduli, ^b nōne dicent uos insanire: Quōd si omnes prophetent, ingrediatur uerō incredulus, uel indoctus, coarguitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: & sic ^c occulta cordis eius manifesta fiunt: atq; ita ^d procidens in faciem suam, adorabit Deū, denunciāns quōd Deus reuera in uobis sit. ^e Quid igitur est fratres? Quoties conuenitis, quisq; uestrū ^f canticum habet, ^g doctrinam habet, ^h linguam habet, ⁱ reuelationem habet, ^k interpretationem habet, ^l omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, fiat ^m per binos, aut ad summū ternos, idq; uicissim, & unus interpretetur. Quōd si non sit interpres, fileat in Ecclesia, ⁿ sibi ipsi autem loquatur & Deo. ^o Prophetæ uerō duo uel tres loquātur, & cæteri dijudicent. ^p Porro si alij fuerit reuelatum absidenti, prior taceat. ^q Potestis enim singulatim omnes prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant. ^r Et spiritus prophetarū prophetis subiicit. ^s Non enim est confusionis Deus, sed pacis, quemadmodum in omnibus Ecclesijs sanctorum.

^c ¶ Ergo si conuenerit Ecclesia.) Paulatim ostendere uult, ipsam linguarum elocutionem uel nomenclentiam ansam præbere. Deinde, ne donū ipsum in-

culpae uideretur, infert: Si conueneritis omnes linguas loquentes, ingrediantur autem & indocti uel increduli, ueluti in scitiæ, infidelitatisq; culpa sit, nõ gratiæ, uos ridebunt, & sic indoctis & incredulis nocu-
menti ansam præbebit: quam sanè in prophetia non inuenies. **b** ¶ Nonne dicent uos insanire.)

Quoniam propter linguarum locutionem efferebantur, ostendit ex linguis ipsis, circa opinionem hanc, non modico eos affici detrimento. Nam insaniam, inquit, suspecti habemini: quippe quod & studio uestro & operæ ualde contrariū est. Contrà uerò in prophetia, inquit. Nam & ipsos impudentes & incredulos afficit utilitate, dum eos deprehendit, dijudicat, & cordis arcana in lucem profert. **c** ¶ Et sic occulta cordis eius.) Ea, inquam, quæ animo gerit, etiam per sese prodibunt in medium, palamq; fient. Sicq; per dijudicationem uidelicet occulta illius patent.

d ¶ Atq; ira procidens.) Quod enim si sit, uel impudentissimos ad uenerationem inducet. **e** ¶ Quid igitur est fratres?) Quid igitur nobis faciendum? Ecce enim auditis munerum differentias. **f** ¶ Quisq; uestrum canticum habet.) Ex dono enim fiebant & cantica. **g** ¶ Doctrinam habet.) Hoc est, & docere, & prodesse potest. **h** ¶ Linguam habet.) Eleganter uerò linguarum mentionem fecit. Ex quo enim eas in ijs, qui acceperant, admodum deiecerat, earum in presenti quoq; meminit: alioqui linguarum donum, doni species nulla uideretur. **i** ¶ Reuelationem

nem habet.) Prophetiam, inquam: hanc enim re-
 uelationem dixerim. **k** ¶ Interpretationem ha-
 bet.) Et linguas interpretari potest. **l** ¶ Omnia
 ad ædificationem.) Ad eundem finem tendant om-
 nia, nimirum ad Ecclesiam ædificandam. Perinde
 atq; diceret: Vniuersa dona quæ recensui, canticum,
 doctrinam, linguam, reuelationē, atq; interpretatio-
 nem, ad populi utilitatem ædificationemq; exercete.
m ¶ Per binos.) Nō multi linguis loquamini, neq;
 confuse, ne dissidia oriantur: sed duo, uel ad summū
 tres, idq; uicissim: hoc est, unus post unum loquantur,
 & alius interpretetur. **n** ¶ Sibi autem ipsi lo-
 quatur.) Non est hortantis, neq; prohibentis: tanq̄
 dixerit, Nisi interpretationem habeat, sileto: si uerò
 quiescere nequit (id enim accusationis est) sibi ipsi lo-
 quatur, hoc est, sine strepitu, silenterq; ut solus Deus
 audiat, nō homines. Expende autem quomodo, dum
 hortari uidetur, dehortatur. **o** ¶ Propheta ue-
 rō.) Inter prophetas delitescabant diuinatores: id-
 circo inquit, Duo uel tres loquantur, & ceteri diju-
 dicent, hoc est, discutiāt & examinent. Ne forte quis-
 piam diuinator propheta putetur, ob id duo uel tres
 loquantur, ne (ut diximus) propter multitudinē di-
 uinatores delitescerent. **p** ¶ Porro si alij fuerit
 reuelatum.) Si te, inquit, prophetante spiritus san-
 ctus alterum excitarit, sileas, ne duobus pariter pro-
 phetantibus confusio oriatur. hac enim de causa in-
 quit: Si te prophetante alteri inspiratum fuerit, dum

Et per illū spiritus quicq̄ loqui uult, sileas. q̄ ¶ (Po-
 testis enim singulatim.) At quoniam priorem si-
 lere iusserat, eum postea consolatur. Ne, inquit, mole-
 ste feras, dum tibi silentium indicitur: uales enim et
 tu et alter, hoc est, omnes, prophetare. Si solus es, so-
 lus etiam propheta: hoc est, Non deficiet tempus, ut
 omnes qui Ecclesiam implent, et discant, et ad fidem
 alliciantur, ducanturq̄. r ¶ (Et spiritus propheta-
 rum.) Prophetarū spiritum, uocat ipsum spiritua-
 le donum. Deinde ne quis diceret, Et quomodo silere
 ualeo: ipse nanq; spiritus sanctus, dum inspirat, ue-
 lim nolim, ad loquendum cogit. Neutiquam ita est,
 inquit: nam ipsum prophetiæ donū prophetæ subij-
 citur: hoc est, de suo pendet arbitrio, et loqui et si-
 lere. OECUMENII: Contrario modo, quā in di-
 uinatoribus. Hi nanq; post inspirationem circa illos
 actam, etiam inuiti, qualia demone arrepti, que nol-
 lent, loquuntur. Si donum igitur prophetis subijci-
 tur, qua ratione absurdum non dixerim, ut uos com-
 muni utilitati non subijciamini, ut cū tempus silen-
 di sit, taceatis? s ¶ (Non enim est confusionis.)
 Commonstrat deinde, ipsi quoq; Deo hoc idem pla-
 cere, ut prior uidelicet conticescat. Quoniam non est
 confusionis Deus, sed pacis. hinc enim dissensio nasci-
 tur, et cōfusio. Verū hęc pacis lex in omnibus san-
 ctorum Ecclesijs est. Eleganter uerò ait, sancto-
 rum: erant enim et Græcorum, et ceterorum Ec-
 clesiæ infidelium.

^a Mulieres uestræ in Ecclesijs fileant: ^b non enim permissum est illis ut loquantur, sed ut subditæ sint, ^c quemadmodū etiam lex dicit. Si ^d quid uerò discere uolunt, domi uiros suos interrogent. Nam ^e turpe est mulieribus in cœtu loqui. ^f Num à uobis uerbum Dei profectū est? Num in uos solos incidit? Si quis uideatur propheta esse, uel spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quòd Domini sint præcepta: porrò ^h si quis ignorat, ignoret. Itaq; fratres ⁱ æmule mini ut prophetetis, & linguis loqui ne prohibueritis.

^a ¶ (Mulieres uestræ.) Vnde quaq; indicto silentio, ne plus quàm tres linguis loquerentur, idq; uicissim, hoc est, unus post unum, eò quòd dixerit, Qui prior prophetabat secundo cedit: deinde ad importunam quoq; mulierū petulantiam uenit, & nugas.

^b ¶ (Non enim permissum est illis.) Non modò ut fileant, inquit, uerum etiam ut subditæ sint, quod plus sanè est, quàm silentium. Subiectio enim silentiū indicat cū timore, ut quòd ab ancillis fit.

^c ¶ (Quem admodum etiam lex dicit.) Quid autē dicit lex? (legem uocat ueterem omnem scripturam.) Ad uirū Gen. 3. tuum erit conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Quòd si uiro subijcitur, longè magis spiritualibus magistris, & uniuerso Ecclesiæ cœtui.

^d ¶ (Si quid uerò discere.) Nisi loquantur, quomodo (dicit aliquis) discent quæ ignorāt? Domi, inquit, discent à uiris. Ceterū nota, quòd ne de utilibus quidē loqui eas

in Ecclesijs permittit. Sed & hoc uiros quoq; attentio
 res reddit, dum ab uxoribus se de scripturis, dogma-
 tibusq; nouerint interrogandos, de quibus tractatum
 in Ecclesia fuerit. e ¶ (Nam turpe est mulierib.)
 Deinde quoniam, ut par est, mulieres ob spirituales
 sermocinationes efferebantur, id per interdictum au-
 fert cùm dicit, Turpe enim est. f ¶ (Num à uo-
 bis.) Quasi contra aliquos, qui contradicant, sermo
 ab eo fictus est. Cur obloquimini, ait, nec rem bene
 habere ducitis, ut sileant mulieres? Soli estis fideles in
 mundo? Nec soli estis, nec primi sanè. Id enim dicit:
 Num à uobis sermo Dei exiuit? Oportet igitur ea,
 quæ totus approbat orbis, à uobis quoque teneri.
 g ¶ (Si quis uidetur propheta.) Postquam multis
 docuerat rationibus, mulieres sileant oportere, nunc
 etiam id ipsum cõprobat: Quoniam hoc, inquit, Deo
 quoq; placet. Nam si quis, ait, propheta est, uel aliud
 quoduis munus habet spirituale, ut ea quæ à me scri-
 buntur nosse queat, nouerit ea quæ scribo, Dei esse
 præcepta, & non ex me modò cieri. h ¶ (Porro si
 quis ignorat.) At si quis ignorat, inquit, Dei hæc
 esse præcepta, ignoret. hoc est, Ego dixi, qui autè uult
 credat: & qui non uult, faciat quod uult. Talia uerò
 dicere, argumentū est uiri, qui sua omnino statuere
 nolit, sed qui cõmuni prospiciat utilitati. Porro hanc
 loquendi figuram in his rebus facere cõsuevit, in qui-
 bus non magnū peccatum cõmittitur. Quid enim ma-
 gni est, si ignorant, an silentium mulierum mandatū
 sit Dei

fit Dei? i ¶ *Aemulemini ut prophetetis.*) Rur-
sus ad id redit unde exiuit: *præstantioremq; prophe-*
tiam ostendit, dicendo: Aemulemini, donum uerò lin-
guarum minus, linguis autem loqui ne prohibeatis.
Deinde quæ prius dixerat, in summam redigit: *Om-*
nia, inquit, honestè ac ordine suo fiant. Erit autè hoc,
si ij, qui loquuntur linguis, duo uel tres loquantur,
idq; uicissim: & prophetæ mutuo sibi cedant, & mu-
lieres in Ecclesijs taceant.

CAPVT XV.

NOTUM^a autem uobis facio^b fratres Euange-
lium, quod euangelizaui uobis, quod^c & acce-
pistis, in quo & statis, per quod & salutem con-
sequimini,^d qua ratione euangelizauerim uo-
bis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

a ¶ *Norum autem facio.*) In sermonem uenit
de resurrectione. Ait autem: *Nihil sanè noui peregrini*
me dicturus sum uobis, sed quod iam notum fuit uo-
bis, & obliuioni tradidistis. Siquidem, notum facio,
quasi ad memoriam reuoco, significat. b ¶ *Fra-*
tres.) Dum fratres cõpellat, & lenit sanè, & Chri-
sti donorum meminit. Per aduentũ nanq; illius in car-
ne, omnes fratres euasimus. c ¶ *Quod & accepi-*
stis.) Perinde atq; depositum quoddam. Haud enim
nudo sermone acceperant, sed & signis & uarijs uir-
tutibus. Pauli autem perpendito sapientiam. Vacilla-
bant hi, & tamen stare illos dicit, dissimulans de indu-
stria, ne redderet impudentiores. Hoc uerò lucrum

standi est, per quod Euangelium, inquit, stantes, etiam salutem assequimini. d ¶ (Quaratione.) Ut ijs, qui duntaxat claritatem quærerent, nihilq; de resurrectione dubitarêt, ita locutus est. Quaratione euangelizauerim uobis: hoc est, quo modo dicta est fieri resurrectio. Ac si diceret: De dogmate quidē nequaquā uos ambigere dico, sed huius rei rationem quærerere. Vnde inquit: Resurrectionis modum uobis ad memoriam reuoco, quonam pacto fieri dictum sit. Deinde ne segnes efficeret, testimonium eis quòd stent perhibens, ait, Si tenetis. Nam si dogma de resurrectione non retinetis, nimirum frustra credidistis, hoc est, temerè. ALITER: Ad memoriam uobis reuoco, quomodo resurrectionis sermo uobis declaratus sit, si hūc resurrectionis sermonem retinetis: si enim absq; dogmate hoc estis, frustra credidistis: si autem estis absque hoc, inanis est labor uester: quandoquidem totius fidei summa in hoc consistit.

Esa. 53. ^a Tradidi enim uobis in primis, quod & acceperam: quòd Christus ^b mortuus sit pro peccatis nostris, secundum scripturas: & quòd sepultus sit, & quòd resurrexerit tertia die, ^c secundum scripturas, & ^d quòd uisus sit Cephæ, ^e deinde duodecim: postea uisus est ^f supra quingentis fratribus simul, ex quibus ^g complures manent usq; nunc, quidam uerò ^h dormierūt. Deinde uisus est ⁱ Iacobo, postea ^k Apostolis omnibus. ^l Postremò autem omnium, uelut abortiuo

triuo, uisus est etiam mihi. Ego enim^m sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus ut dicar Apostolus, propterea quòd infectatus sim Ecclesiam Dei.ⁿ Gratia uerò Dei sum id, quod sum: & gratia ipsius, quæ est erga me, non fuit inanis, sed copiosius quàm omnes hi laboraui: at^o non ego, sed gratia Dei, quæ mecū est. P Siue igitur ego, siue illi, sic prædicauius, & sic credidistis.

a ¶ Tradidi enim uobis.) Cùm enim magnū sit resurrectionis dogma, idcirco ait: In primis uobis id tradidi, nam & ego à CHRISTO illud accepi. Nil itaq; proprij in primis attuli. Cùm igitur illud iam acceperitis, nequaquã nunc propter tempus ambigere debetis. b ¶ Quòd Christus mortuus est.) Nequaquã extemplò de resurrectione sermonem aggreditur, sed prius illud probat. CHRISTVS, inquit, propter peccata nostra mortuus est, quò nos peccatis mortuos uitæ redderet. Secundum scripturas, inquit. Nil noui accidit, sed quod longè antea & præuisum fuerat, & præfiguratū. Et quòd sepultus fuit, ad illud respicit, Secundum scripturas. At uerã fuisse mortem, & non imaginationem (ut quibusdam hæreticis uisum est) sepultus est, subdidit. Nam ueræ mortis argumentum est, quòd sepultus fuit. Porrò erubescant Manichæi, qui mortem CHRISTI peccatorum nostrorum duntaxat liberationem effutiunt. Aiunt enim, nullo modo reuera eum esse mortuū. c ¶ Se-

cundum scripturas.) Rursum addidit, Secundum scripturas, eò quòd multi impij de Domini resurrectione ambigerent. d ¶ (Et quòd uisus est.) At qui Euangelium asserit, primū apparuisse CHRIS-
 TVM Mariæ Magdalene: inter uiros autem primū uisus est Petro, utpote eximij illius discipulorū chori principi. e ¶ (Deinde duodecim.) Ceterum post assumptionē Domini subrogatus fuit loco Iudæ Matthias: quomodo igitur ait, Deinde duodecim? OECUMENII: Respondemus, uel errorem esse scriptoris: uel cū uidisset Dominus prescio suo illo oculo hunc cum undecim adnumerandū, ei quoq; apparuerit, ne in hoc etiā minus quicq; haberet à ceteris Apostolis. Tale quiddam Ioannes ostendit: non quòd undecim sanè apparuerit dicens, uerū e de Thoma loquens ait: Thomas autē unus de duodecim. Potius enim dicere possumus, quòd gratia iuxta prescientiam Matthiam cum ceteris adnumerauit, quā Iudam post ipsam traditionem, atque suspendium. f ¶ (Supra quingentis.) Afferunt quidam dictum esse hoc, nempe Supra, quasi è caelo, ut suam quoque assumptionem illis ostenderet. Alij uerò illud, plus quā, interpretati sunt, hoc est, plus quā quingentis. g ¶ (Ex quibus complures.) Testes, inquit, superstitēs adhuc habeo. h ¶ (Quidam uerò dormierunt.) Per uerbum, dormierunt, initium auspiciatus est resurrectionis. Nam qui dormit, etiā resurgit. i ¶ (Deinde uisus est Iacobo.) Episcopo
 Hieru-

Hierusalem, qui etiam frater Domini appellabatur.
 k ¶ Postea Apostolis omnibus.) Erant enim
 etiam Apostoli alij ex discipulis, ad imitationem duo
 decim: qualis fuit Paulus, Barnabas, & Thaddæus.
 l ¶ Postremo autē omnium.) Humilitatis sanè
 hoc uerbū est: at nō propterea minor Paulus quouis,
 quòd nouissimè ei uisus sit. Nec enim Iacobus minor
 fuerat quingentis illis, quòd post illos ei apparuerit:
 attamē dispensatione quadā seipsum extenuat, ne cū
 uerbū illud magnū dixerit, nempe, plus quàm om
 nes laboraui, fides sibi non adhiberetur. Est autem
 abortiuus, embryo imperfectus, atque informis. Hic
 quoq; inter omnes perfectissimus Paulus, talisq; ac
 tantus, per humilitatis redundantiam, quasi nōdum
 ab initio per fidem CHRISTI formatus, sese nuncu
 pat abortiuū. m ¶ Ego enim sum minimus.)
 Idem pronunciat de seipso. Expende autem, non mo
 dō duodecim dixit, sed Apostolorū omnium. Et causam
 prodit: Ea, inquit, de causa, quòd Dei Ecclesiam per
 secutus sum. n ¶ Gratia uerò Dei sum id quod
 sum.) Idq; cum submissione dixit. Nequaquā sanè,
 ait, res Dei gratia dignas egi: sed, gratia, inquit, eius,
 quæ est erga me, inanis non est reperta. Quomodo?
 Quòd plus quàm omnes Apostoli, inquit, laboraui.
 Et hoc quoq; loco cernas, quantū subijciat semetip
 sum: non enim dixit, Certauit, prædicauit, uel pericu
 la subij, sed, laboraui: hac etiam uia sui ipsius enco
 mium amputans. Sed ad hæc quoq; uerba compulsus

uenit: oportet enim magistrum fide dignum esse.
 o ¶ (At nō ego.) Deinde quasi ueritus, ne hoc ip-
 sum opus sibi ipsi adscriberetur, ad gratiam Dei illud
 intorquet. p ¶ (Siue igitur ego.) Consoni, in-
 quit, sumus omnes circa prædicationem. Nec ait, Si
 mihi credere non uultis, illis credatis: sibi enim auto-
 ritatem adimeret, nec fide dignum se ueritatis testem
 monstraret. Sed quid ait? Cōsoni sumus omnes. Cū
 uerō dicit, prædicamus, eorum quæ dicebantur, ueri-
 tatem comprobat. Non enim in occulto, siue in angu-
 lo de his loquimur, sed in hunc usq; diem in propatu
 lo. Sic enim prædicauimus, sicq; unā cum cæteris cre-
 didistis. Ipsam quoq; eorum fidem testem citat uerita-
 tis. Enim uero, inquit, falsis uerbis fidem adhibuistis
 atque mendacibus, nisi uera etiam esse creditis quæ
 prædicantur.

Quòd si ^a Christus prædicatur à mortuis re-
 surrexisse, ^b quomodo dicūt quidā inter uos,
 resurrectionem mortuorū non esse? ^c Si uerò
 resurrectio mortuorū non est, ^d neq; Christus
 resurrexit. Si ^e autem Christus non resurrexit,
 inanis uidelicet est prædicatio nostra, inanis
 autem & fides uestra. Reperimur uerò & ^f fal-
 si testes Dei, quoniā testificati sumus de Deo,
 quòd excitauerit Christum, quem non excita-
 uit, si quidem mortui nō resurgunt. ^g Si enim
 mortui non resurgunt, neq; Christus resurre-
 xit. At si Christus non surrexit, uana est fides
 uestra, ^h adhuc estis in peccatis uestris. ⁱ Igitur
 & qui

& qui dormierunt in Christo, perierunt. Si ^k intra uitam hanc spem habemus in Christo dun-
taxat, miserimi omnium hominum sumus. Nunc
autem Christus resurrexit ex mortuis, ^l primi-
tia eorum qui dormierunt factus est. Ex quo
enim ^m per hominem mors, etiam per homi-
nem resurrectio mortuorum. ⁿ Nam quem-
admodum in Adam omnes moriuntur, ita &
in Christo omnes uiuificabuntur, ^o unusquis-
que in suo ordine.

a ¶ Quod si Christus prædicatur.) Optimè
illos concludit. Cum enim primū ostendisset surrexis-
se CHRISTVM, ex ipsius resurrectione uniuersa-
lem resurrectionem probat: quasi omni dubio pro-
cul, & omnino partem toto, & caput reliquo corpo-
re subsequente. b ¶ Quomodo dicunt quidā.)
Expende quomodo non in omnes reprehensionē ex-
tendat, ne redderet eos impudentiores. c ¶ Si ue-
rò resurrectio mortuorum non est.) Ne dice-
rent, CHRISTVS quidem resurrexit, at non idcirco
sequitur resurrectionem futuram esse uniuersalem:
id à contrarijs adstruit. Si resurrectio, inquit, nō est,
neq; CHRISTVS resurrexit. Alterū enim alterius
demonstratiuum est. d ¶ Neq; resurrexit.) Non
dixit, incarnatus non est, sed, nō resurrexit: ostendens
incarnationem quoq; resurrectioni esse coniunctam:
atq; idcirco cum incarnatum, ut & resurrectionem
perageret. e ¶ Si autem Christus non resurre-
xit.) Ac si diceret, Vniuersa periere, & inania esse-

etia sunt, tum prædicatio nostra, tum fides uestra:
 f ¶ Reperimur uerò & falsi testes.) Neq; in-
 nis modò, sed & aliàs perniciofa, inquit, dum Deum
 aliquid feciffe calumntamur, quòd non fecit. g ¶ Si
 enim mortui non refurgunt.) Eidem rursus in-
 niitur rationi. Hac enim, inquit, de caufa refurrexit,
 ut refurrectionem faceret uniuersalem. Quòd si non
 est refurrectio, ergo nec ipse refurrexit. h ¶ Ad-
 huc estis in peccatis uestris.) Nam si & ipse à
 morte retentus est, quonam pacto ceteros uniuersos
 à morte, quæ per peccatū uenit, eripuit? Confequen-
 ter itaque nec peccatum CHRISTI cruce abolitum
 fuit. Nam si fuiffet abolitum, mors etiam, quæ per il-
 lud, obliteraretur. Si uerò id factum fuiffet, oportue-
 rat omnino ut is, qui alios à morte liberaret, primus
 ipse resurgeret, duxq; alijs fieret ad resurgendum.
 i ¶ Igitur & qui dormierunt.) Dormitionis no-
 mine refurrectionem admouit. Qui propter CHRI-
 STVM, inquit, mortui sunt, qui plurimos tulere la-
 bores, ac mille subiere pericula. Quòd reuera absur-
 dum effiet, ut ij, qui illius gratia mortem tuliffent, pe-
 rirerent. Vbiq; enim per deductionem in absurditatem
 procedit. k ¶ Si intra uitam hanc spem habe-
 mus.) Si intra uitam hanc, inquit, nostra consistūt,
 nec ultra procedunt, & in hanc tantū spes nostra ter-
 minatur, miserifumus. Nam totum amiffimus, si ami-
 ffimus futura, hisq; priuati sumus. Et quid dico, in-
 quit, quòd spem in hac tantū uita habere, miserof red
 dat?

dat? Nam si etiam in CHRISTO in hac duntaxat uita spem habemus, etiam sic miseri sumus. Siquidem post tot tantaq; discrimina & labores, intra uitam hanc duntaxat, & nō ultra, bona nostra mercedesq; erunt. l ¶ Primitiæ eorū qui obdormierūt.) Post multis rationibus demonstratam resurrectionē, deinceps enunciatiuē dicit: Primitiæ eorū qui obdormierūt factus est. Quod si CHRISTVS resurrectionis primitiæ factus est, liquet cæteros etiam pariter fore resurrecturos. Primitiæ nanq; sunt, unum quempiam ex multis fecisse hoc uel illud, quod reliqui etiā facturi sunt. m ¶ Ex quo enim per hominem mors.) Eorum quæ dicta sunt, rationem reddit. Oportebat nanq; ut eadē humana natura, quæ prius uicta fuerat, & homo qui prius damnū pertulerat, certamen rursus iniret, uinceret, ac palmam reporta- ret. n ¶ Nam quemadmodum in Adam.) Quod dixerat interpretatur. Vt enim, inquit, mors per hominē intrauit in mundum, ita & resurrectionem per hominē introduci oportuit. o ¶ Vnusquisq; in suo ordine.) Quoniam dixerat, uiuificabuntur, ne quis arbitraretur etiam peccatores fore seruandos, intulit: Quo ad resurrectionē quidem uiuificabuntur sanè omnes, quisque tamen in ordine suo erit, atq; in ijs, quibus fuerit dignus.

^a Primitiæ Christus: deinde ij, qui sunt Christi in aduentu ipsius: inde finis, ^b cū tradiderit regnū ^c Deo & patri, cū ^d aboleuerit omnē

principatum, & omnē potestātē ac uirtutem.

a ¶ Primitiæ Christus.) Primitiæ, inquit, resur-
rectionis ac uia factus est CHRISTVS: at post hunc
ij, qui sunt eius, primi resurgent. Ipsius autē, CHRI-
STI uidelicet, familiaritatis ratione iustos dicit. De-
cet enim ut iusti priuilegiū habeāt etiā in resurgēdo.
Ex quo enim in occursum Domini in aëra rapiendi
sunt, ut talem nanciscantur occursum, primi exur-
gunt. Quid enim ut primi surgerent peccatores ne-
cessitas esset, qui infra iudicem sunt mansuri? Deinde
post id, rerum omnium, ipse etiam resurrectionis ade-
rit finis, dum cæteri deinde resurgēt. Non enim quē-
admodum nunc post CHRISTVM exuscitatum suo
quæque loco res permanserūt humanæ, ita etiā tunc
erit, sed finem omnia sortientur. Primitiæ CHRI-
STVS.) Primus ad incorruptionem surrexit CHRI-
STVS ex mortuis. Quicumq; enim resurrectionem,
siue per ipsum seruatorē, siue per Prophetas & Apo-
stolos nacti fuerūt, iterum mortui sunt. Deinde ij, qui
ipsius CHRISTI sunt, in aduentu eius: hoc est, quan-
do è coelo cum gloria apparebit, fideles ac iusti pri-
mum, & qui in eum antea sperauerunt, quiq; aduen-
tum ipsius in carnem amplexi sunt, surgent.

Inde finis.) Post iustorum resurrectionem, ra-
ptumq; in nubibus obuiam Domino, tunc finis: hoc
est, eorum erit resurrectio qui à mundi constitutione
obierunt, ac iudicio statuentur. b ¶ Cùm tradide-
rit regnum.) Tradit autem, nequaquā sese illo dispo-
lians

lians. Stultū nanq; ualde esset uel suspicari, ut quod seditionibus infectum habebat, postquam suis id laboribus liberasset, illo priuaretur: sed tradit, hoc est, egregij facinoris sui patrem participem facit. Nimirum omnia sanctæ Trinitatis communia sunt. Nam etsi filius is sit qui incarnatus est, ueruntamen patris beneplacitum, sanctiq; spiritus cooperatio fuit. Communia, inquam, & ea fuere, quæ ipse filius incarnatus, crucifixus, & resuscitatus peregit. Eleganter itaque ait, Regnū tradit: hoc est, cōmune efficit, ac egregio facinore oblectatur. Sicut enim cū filius seditionis illud acciperet, nō extorsit à patre: ita etiā nunc, cū tradit, eo ipse non destituitur. Tradit autem (dicat aliquis) non ab re, neq; ut non habeat, sed ne confictetur, defaigeturq; propter illud, uel prælium ineat, neq; aliquid agat ex ijs, quæ partim quidē ante passionem, partim uerò post resurrectionem, ut filius Dei homo factus, erga nos demonstrauit. Tradit itaq; (ut diximus) non ut non habeat, sed ut nihil eorum quæ dicta sunt, rursus propter illud efficiat: alioqui & accepit non ut haberet (habebat enim non secus ac pater) sed ut proprijs laboribus à seditione eximeret ac tyrannide. ALITER: Quando hæc erunt ô Paule? Cū regnū, inquit, tradiderit Deo & patri: hoc est, cū illud correptū emendatumq; adduxerit in medium. Erit autem hoc, ubi uicti demones fuerint, suamq; cessauerint efficaciam exercere: tunc enim nobis perfectè CHRISTVS regnabit, ne-

quaquam iam Deo, ac mundi huius principi sectis:
 neq; partim quidē Deo, partim uerò passionibus mo-
 rem gerentibus. Quid ergo? regnum Deo tradet, ac
 patri? Sanè. Ostendere enim cupit, idem omnino esse
 consilium totius sanctæ Trinitatis. Neque enim, ait,
 CHRISTVS postquàm strenuè certamen compleue-
 rit, instar cuiusdam tyranni regnum possidebit, sed &
 ipsi patri, sanctoq; spiritui, id quod geritur, perficit.
 c ¶ Deo & patri.) OECVM. Propter causam ita
 locutus est. CYRILLI, circa finem quarti libri con-
 tra Iulianum. Cùm tradiderit regnū, uidelicet quasi
 à tyranno diripiens, & proprio factori suo restituēs,
 OECVMENII: Habuit quidem pater semper homi-
 num regnum, imò & angelorum: angelorū quidem
 à seditione quietum, hominū uerò seditiosum, passio-
 nibusq; obnoxium, ac demonū rapinis subactum ty-
 rannicè. Sed filius per suam ipsius passionē, quan
 incarnatus suscepit, tyrannidem omnem demolitus est,
 atq; eneruauit, eumq; qui captiuum tenebat humilia-
 uit, & duxit captiuum. Homnibus tamen in hac ui-
 ta ualde solutis, perinde atq; scintillæ quædam mali-
 tiæ ob socordiam nostram excitantur, indeq; erum-
 punt in flammās. At post finem, sedatis passionibus,
 ac demonibus supplicio traditis, iustisq; omni pror-
 sus molestia uacantibus, in paradiso uitam ducētibz,
 patri filius regnum tradit, perinde atq; qui illud à ty-
 rannide seditioneq; egregiè purgauerit. d ¶ Cùm
 aboleuerit omnem principatū.) GREGORII
 in secun-

in secūda de filio oratione. Cūm aboleuerit omnē potest.) Aboleuerit, hoc est, uicerit cōpescueritq;. Male nanq; & apostaticæ potestates nunc quidem suam efficaciam exercent: at tunc, cūm uidelicet ad supplicium tradentur, iam amplius non exercebunt.

OECUMENII: Simile quiddā inquit Dauid: In umbra alarū tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Tunc enim transiet, cūm abolitæ fuerint potestates ac principatus, inefficacesq; reddite. Psal. 16.

Nam oportet eum ^aregnare, ^bdonec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Nouissimus hostis abolebitur mors. Omnia ^cenim subiecit sub pedes illius. ^dCūm uerō subiecta esse omnia dicat, ^epalām est is excipiendus, qui subiecit illi omnia. Cūm autē subiecta fuerint illi omnia, tunc ^f& ipse filius subijcietur ei, qui subiecit illi omnia, ^gquō sit Deus omnia in omnibus. ^hAlioquī quid faciēt ij, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Quid etiam baptizantur pro mortuis?

^a ¶ Nam oportet eum regnare.) Regnare hoc in loco non simpliciter accipiendum, sed perinde est atq; dicat, Oportet eum omnia ea facere, quæ regnantis sunt: id est, expugnare hostes, certare cū suis, hos quidem fugare, hos autem tueri, donec posuerit &c. Post hæc autem nihil horum opus erit: quietum nanque ab omni posthac seditionis tumultu regnum erit. ^b ¶ Donec posuerit omnes.) Nequaquam ut regno finem imponat dixit, Donec posuerit: sed fide

dignum quod dicebatur reddens, ac securū probans, tanquam dixerit: Ne postquam audieris eum omnē principatum ac potestatem, ipsamq; mortem destruc-
turum, quasi ad hoc ille sit impotens quicq; uereare: nam donec omnia hæc per fecerit regnat. Nequaquā hoc dicens, quòd postquam egerit, regnaturus nō sit: sed quòd tanetsi non fiat nunc, omnino tamen futu-
rum id sit. Regnum, inquit, illius robustum est, neque reddetur infirmum quoadusque per fecerit omnia.

Quòd si interim, donec omnia perfecta fuerint, in suo robore perseuerat, longè magis ubi egregiè per-
fecta erūt, perseuerabit. Et regni eius, inquit, nō erit finis. Illud uerò *αἰώνος*, id est, donec, siue quous-
que, nō pro temporis complemento positum est, sed

Matth. 28. pro, semper: ut illud, Ego uobiscum sum omnibus die
Psal. 109. bus, usq; ad consummationē seculi. Et: Sede à dextris
meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum

Matth. 1. tuorum. Et: Accepit coniugem suam, & non cogno-
uit eam, donec &c. Oportet enim eum semper regna-
re, tum antea, tum posteaq; subacti fuerint sub pedes
hostes. Omnes uerò hostes, inquit, hoc est, demones,
ipse diabolus, mors, atq; infideles. Mortis autem ui-
ctoria hæc est, ut ab eo auferantur mortui per resur-
rectionem. Oportet enim ipsum semper regnare. Id
enim significat, Donec. Ponet enim inimicos sub pe-
des suos. Quòd si antequā ponātur regnauit, multò
magis postquā positi fuerint. c ¶ Omnia enim
subiecit, Quoniā hæc omnia à filio dixerat perfi-
cienda

cienda, regni uidelicet adeptionē, principatum potestatumq; exterminium, ac omnium sub pedes suos subiectionem: ueritus ne patre maior putaretur filius, ad patrem rursus omnia refert: Omnia, inquit, subiecit sub pedes illius: ostendens inde filio esse ut sit potens, à causa inquam æterna. d ¶ Cùm uerò subiecta esse.) Cùm enim dicat, inquit, Dauid. Dicit enim ille: Omnia subiecit pater sub pedes eius, o- Psal. 8.
 ues & boues uniuersas. ex quo etiam testimoniū promit. Expende autem, manifestum hunc eum timorem timuisse, ne filius, inquam, patre maior putaretur, quòd iterum illud tutatus est. Et iustus sanè timor: ad uiros quippe scribebat, qui ex Græcis ad fidem uenerant, qui Iouem in suum ipsius patrem insurrexisset, regnoq; eum exturbasse arbitrabantur. Verebatur ergo, ne tale aliquid apud nos etiam esse suspicarentur. e ¶ Palàm est is excipiendus.) Deinde ne quis diceret, quòd licet non sit pater subditus, nihil obstat quin filius præstet: addit hæc, ut æqualitatem ostendat, & quòd pater origo sit, & causa bonorum, qui talia potentem filiū genuit. Porrò cùm subiectionem audieris, prout Deo dignum est, id accipito: ne utiquam seruitutem ullam, aut subiectionem inuitam, sed ut filium Deum, Deo itidem patri subijci decet, ut qui cause honorem deferat. deinde ut dictionis illius exundantia, uidelicet subiectionis, impia illa dogmata è medio auferret, quæ filium maiorem asserunt.
 f ¶ Cùm autē subiecta fuerint illi omnia, tunc

& ipse filius.) PHOTII: Hoc est, tunc declaratur reuera, & Deo dignè subditus, ubi paternam compleuerit uoluntatem, atq; consilium: ubi regnum omnium seditione, tum tyrannide liberum constituerit.

g ¶ Quò sit Deus omnia.) Malitiæ per hæc ablationem interitumq; significat. Cùm enim ablatum fuerit peccatum, liquet etiam Deum in omnibus esse futurum omnia: quando non iam diuiserimus Deo, & passionibus. Alij uerò ita interpretati sunt. Debent, inquit, omnia ad patrem, tanquam ad causam referri. Hoc autem inquit, ne duos inter sese diuisos principatus suspicareris. Cùm enim ponuntur hostes sub filij pedes, nec à patre filius disidet, sed (ut decet filium Deum) suo patri subditus est, tunc pater reuera omnia est in omnibus. OECUMENII: Ea enim quæ sunt filij, sibi uendicat uti pater: & quicquid potest filius, ad patrem totum refertur. Hic enim causa illi est ut potens sit, qui genuit eum citra omne tēpus.

BASILII: Si diuinè patri filius subijciatur, nimirū ab initio fuit subiectus, ex quo etiam erat Deus. Si uerò subiectus non fuit, sed in nouissimo subijciatur, humane pro nobis sanè, non diuinè pro se. h ¶ Alioqui quid facient.) Iterum redit ad resurrectionis sermocinationem, & ait: Si non est resurrectio, quid faciunt ij, qui pro mortuis, id est, quasi pro ijs qui non sint resurrecturi, baptizantur. Liquet enim, quòd in mortuorum resurrectionem credentes baptizamur. Ac si dixisset: Quid faciūt ij, qui pro mortuis quidè,

quasi

qua
sacr
ab
egr
san
faci
rem
cient
in in
non
resur
gunt
etiam
cius,
opin
inqua
tuos d
nunq
tuis su
flectit,
tetigif
a Qu
dies n
habec
cund
phei,
gunt,
mur. 8

quasi pro resurgentibus baptizantur, adhibita fide, sacraque unda perfusi, frustrati uero à spe, ac diuersa ab ijs, quæ sperauerant, reperientes? Quam, inquit, egrè ferent, ac dolebunt, fidemque CHRISTI ut falsam contumelijs laceissent? Hoc enim significat, quid facient: hoc est, hæc faciet quæ diximus. Cernis quò rem euexerit? PHOTII: Alioqui quid, inquit, facient qui baptizantur, ut omnino mortui non sint, nec in inferno detineantur? Hoc est: Si resurrectio, inquit, non est, qui sub tali spe baptizantur ut post mortem resurgant, quid facient si omnino mortui non resurgunt? Si omnino, inquit, mortui non resurgunt, cur etiam, ut resurgant, baptizantur? Ipse uero mordacius, pro mortuis, inquit: hoc est, quos uos per uestram opinionem mortuos sempiternos definistis: mortuos inquam cum alijs, tum etiã uosmetipsos. Et cum mortuos definiatis æternos, cur baptizamini pro uobis, nunquam secundum uos surrecturis, sed semper mortuis futuris? Ad alias porrò personas sermonem deflectit, & non ad eos ipsos, ne forte, si plusculum eos tetigisset, ad impudentiam excitaret.

^a Quid & nos periclitamur omni hora: ^b Indies morior ^c per uestram gloriacionem, ^d quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Si ^e secundum hominem cum bestijs depugnaui Ephesi, quæ mihi utilitas? Si ^f mortui non resurgunt, edamus, & bibamus, cras enim morimur. ^g Ne erretis. ^h Corruptunt mores ⁱ bo-

nos colloquia mala. ^k Expergiscimini iuste, & non peccetis: nam ignoracionem Dei quidam habent. Ad ^l pudorem uobis loquor. ^m Sed dicet aliquis: Quomodo resurgunt mortui: quali autem corpore ueniunt. ⁿ Stultus, tu quod feminas non uiuificatur, nisi mortuum fuerit. ^o Et quod feminas, nō corpus quod nascetur feminas, sed nudum granum, exempli gratia, tritici, aut alicuius ex ceteris: at ^p Deus dat illi corpus, ut uoluit, atque ^q unicuique seminum proprium corpus.

a ¶ Quid & nos periclitamur.) Si resurrectionis, inquit, omnino non est, cur nos Apostoli in periculis semper uersamur? Id enim prae se fert, indies, id est, semper. Maximū sanè resurrectionis argumentum est, ipsos quoque Apostolos cernere ad mortem usq; periclitari. **b** ¶ Indies morior.) Tum animi promptitudine, tum ex eo quòd semper, quantum ad se pertinet, paratus sit. Vel quo ad afflictionū, tentationumq; impetum, & mortis quotidianam spem. **c** ¶ Per uestram gloriationem.) PHOTII: Vel iurat dicens, Ita per gloriationē uestram: uel morior propter uestram gloriationem. Dicit autem eorum profectum: magistri nanq; gloratio est discipulorū profectus. **d** ¶ Quam habeo in Christo Iesu.) Quoniam magnū quiddam dixerat, mox idem Christo adscribit. Ob uestram, inquit, promotionē, quam habeo per IESVM Christum. **e** ¶ Si secundum hominem.) Nimirum quo ad homines cum bestijs decertauit:

decertauit: hoc est, quantum mihi licuit. Verum quid inde mihi emolumenti, si resurrectio non est? OECUMENII. Vel sic: Si non propter futuram spem, retributionemque, sed propter humanam duntaxat gloriam cum bestiis depugnaui, quid mihi profuit? Sed depugnare cum bestiis uocat, contra Iudeos, et contra Demetrium argentarium rem habere: hi namque quid bestiis prestant? f ¶ Si mortui non resurgunt.) Si mortui non exurgunt, neque bonorum malorumue retributio est. Quod si non sit hoc, manducare ac bibere antequam moriamur oportet, ut quae sola nobis lucro sint. Obiurgantis autem est uerbum hoc ignorantiam illorum qui resurrectionem negabant.

g ¶ Ne erretis.) PHOTII: Postquam ab ijs eos absoluerat, quae illos in absurdum ducebant, ad admonitionem uenit, ac postea ut insensatos accusat. Id enim dixerim, Ne erretis. h ¶ Corruptum mores.) Laconicum, ac uetus prouerbium est, cuius etiam meminit Esaias. Dicit enim, quod bonos etiam mores, continua malorum collocutiones corrumpunt. (Nam et gutta continua petram cauat) Et propterea hortatur ut a flagitiosis deflectant colloquijs: ne uel de semetipsis confidant, ut qui minime inde, uti boni, laturi sint detrimentum, ex continua uidelicet locutione cum illis: quandoquidem pestis quae inde prodit, sensim ac paulatim inficiat. i ¶ Bonos.) Bonos honesto uocabulo dicit faciles qui decipiantur, indicans ab alijs surripi hos. k ¶ Expergiscimini.) Expergisci, quasi

de temulentis dicitur: at iuste, quasi utiliter. Fieri namq; potest, ut iniuste quoq; aliquis expergiscatur, quasi ad malum. Et ne peccetis.) Ob id enim, inquit, nec resurrectioni creditis. Nam qui malorū sibi conscij sunt, ne utiquam resurrectionē credunt, timore suppliciorū, tanquā æqualia recepturi. Hac enim de causa, inquit, ne peccetis, quò resurrectionem credatis. Ignorantem siquidem Dei habent, qui resurrectionem non credunt: non enim Dei nouerunt uirtutem. Non autem dixit, habetis, sed, quidam habēt, hoc loquendi modo conuicium amputans. l ¶ Ad pudorem uobis loquor.) Quoniam multum eos redarguerat, consolatur. Ad uestrum, inquit, pudorē loquor, non ut confundamini, sed ut rubore perfusi, incredulitatem, quam circa resurrectionem habetis, reijciatis. m ¶ Sed dicet aliquis.) Non dixit, uos dicitis, quò sic gratiorem, minusq; molestum sermonem redderet, perinde atq; alij sint, qui non credant. Porro duo quæ illi esse uidebantur dubia, quasi per obiectionē soluit. Ambigebāt enim quonā modo corpus semel dissolutū resurgat: deinde quali, hoc an alio quopiam corpore resurgatur. Ambo, inquā, per grani soluit exemplum. n ¶ Stultus.) A manifesto exemplo solutionē efficit: idcirco stultos, ut qui adeò manifesta non percipiant, uocat. Tu, inquit, corruptibilis, quod seminas nō uiuificatur, nisi prius moriatur, quid igitur de Deo ambigis? Non uiuificatur, inquit. Sed perpende, uerbis, quæ non seminibus, sed corpori-

corporibus congruunt, usus est. Nisi moriatur, inquit. Vide autem quomodo sermonem inuerterit in contrarium. Illis enim dubium uidebatur, quoniam pacto post mortem resuscitemur: hic autem contrarium dicit, quod idcirco resurgimus, quia morimur: tanquam nullus sit alius uiuificandi modus, nisi morte intercedente. Id enim frumenti reliquorumque seminum exemplum indicat. Contemplare obiter, primam hanc solutionem esse, quod mortui resurgunt. PHOTII: Si tu igitur quod seminas, et modo quodam occultas sepulchro ac mortibus, Deus idem resuscitat, datque illi proprium corpus corruptioni ac dissolutioni obnoxium: dat, inquam, iuxta quod ei placuerit, decentius atque pulchrius: quod ipse ille propria definitione in terram, et in sepulchrum deponi iussit, atque mori, hoc ipse rursum facultatem non habet et uiuificandi, et resuscitandi, et quando uoluerit, et ei placuerit? o (Et quod seminas.) Diximus supra de duobus eos circa resurrectionem dubitasse, an scilicet mortui in terram iam resoluti, omnino resurgant, et quali corpore resurgant. Resurgendi igitur demonstrationem iam diximus, ubi ait: Tu quod seminas non uiuificatur, nisi prius mortuum fuerit. En tibi secunda. Ostendit enim idem sane corpus, hoc est, eiusdem substantiae existens resurgere. Hoc dicit: Deus autem dat illi corpus, splendidius tamen ac pulchrius: quemadmodum etiam spica longe sane nudo grano pulchrior est: haud enim spicam ipsam, sed nudum seminat gra

num. p. ¶ At Deus dat illi.) Si igitur Deus est qui dat corpus, quid iam curiose perscrutaris, quali corpore resurgamus, uel de resurrectione diffidis? Deus enim resolutū sanè corpus excitat, sed pulchrius, sed spiritalius: quippe quod & in seminibus inuenire est, quòd pulchrius, quàm seminatum fuerit, exurgit. q. ¶ Atq; unicuiq; seminū proprium corpus.) Hereticorū hoc obstruit ora, qui nequaquā idē corpus, sed aliud omnino in resurrectione resurgere asseuerāt.

^a Non omnis caro, eadem caro: sed alia quidem ^b caro hominū, alia uerò caro pecorū, alia uerò piscium, alia uerò uolucrum. Et sunt ^c corpora cœlestia, & sunt corpora terrestria: sed alia quidem cœlestium gloria, alia uerò terrestrium: alia gloria solis, & alia lunæ, & alia gloria stellarum. Stella enim à stella differt in gloria: ^d sic & resurrectio mortuorū. ^e Seminatur in corruptione, resurgit in incorruptibilitate: seminatur ^f in ignominia, resurgit in gloria: seminatur in infirmitate, resurgit in robore: seminatur ^g corpus animale, resurgit corpus spirituale. ^h Est corpus animale, & est ⁱ corpus spirituale, quemadmodū etiam scriptum est: ^k Factus est primus homo Adam in animā uiuentem, nouissimus Adam in ^l spiritum uiuificantem. ^m At nō primū quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.

Gen. 2.

^a ¶ Non omnis caro.) Ne deinde audito frumenti exemplo, quemadmodum spicae surgūt omnes ^b æquales,

æquales, ita in resurrectione putares omnes pari honore futuros, ostendere uult, inter ipsos resurgentes fore differentiam, & ait: Non omnis caro, eadem caro, sed differt, inquit. Atq; obiter de peccatoribus dicit, inter eos quoq; fore supplicij differentiam. Vnde ait: Alia quidem hominũ, alia pecorum, atq; alia tantum caro: hoc pacto quenam intersit differentia explicat, ac ueluti per exemplum loquitur. tanquã dixerit: Quemadmodũ hĩc homines, pecora, piscesq; inter sese differunt, sic etiam ibi peccatores in supplicij different. **b** ¶ Sed alia quidem caro hominis. Tota differentia hæc, de peccatoribus ab eo dicta est. Nam ibi de iustis differentiam facit, cũ cœlestia corpora numerat. **c** ¶ Et sunt corpora cœlestia. Porro resurrectio ipsa, num absq; peccatorũ differentia erit? Nequaquã sanè. Sunt enim cœlestia corpora, iustorũ inquam, paracleti luce ditata. Sunt autem & terrestria quidem, peccatorũ uidelicet corpora, terrenis affectibus ac sensibus insignita, uidelicet pecorum, atq; uolucrum. Sed alia quidem, ait, cœlestium gloria erit, alia uerò peccatorũ gloria nõ iam erit: (nequaquã enim, dum dicit, Gloria iustorũ, subintelligas, & alia erit peccatorũ) pro eo ut diceret, Non erit gloria, sed statio ac diuersorium. Postea uerò iustorum quoq; differentiam exprimit, non secus ac paulò antea dixerat peccatorũ. Quemadmodum enim fulgida quidem cœlestia corpora omnia sunt, atq; splendentia, est tamen & ipsis differentia lumi-

nis, Soli, in quā, lunæ, ac stellis: modo eodem iusti quoque inter sese different. Expende autem quanta industria in hoc exemplo totum edisseruerit ac enodaerit intellectum. Verum de iustorum gloria, peccatorumq; ne utiquam per comparationem tractant, sed postquam peccatorum gloriam nullam esse monstrauerat. d ¶ Sic & resurrectio mortuorum.) Sic, quomodo? Multa cum differentia, quemadmodum adducta cōmonstrauerunt exempla. e ¶ Seminatur in corruptione.) Quādo suprā de seminibus loquebatur, ijs uerbis usus est quæ corporibus conuenirent: ut cū dixit, Nō uiuificatur nisi prius mortuum fuerit. Nunc uerò de corporibus differens, contrā uerbis seminibus accōmodis utitur: Seminatur enim, inquit, in corruptione. Hoc autem ubiq; facit, cōmodum exemplis sermonē de resurrectione cōstans. Porro sementem nunc nequaquā eam dicit quæ fit in matrice, sed depositionem corporum mortuorum, quæ in terram. tanquam diceret: Demittitur, demandaturq; terræ mortuū corpus cum corruptione, id est, ut corrumpatur. Eleganter uerò dixit, Surgit, & nō, pullulat, ne terræ operam arbitrareris. f ¶ Seminatur in ignominia.) Quid enim ignominiosius, deformiusq; caduere? at in gloria incorruptibilitatis resurgit. Seminatur, inquit, in infirmitate (nondū enim quinque prolabantur dies, & caro non ualet corruptione uacare) surgit tamen in incorruptibilitatis uirtute, nulli posthac corruptioni obnoxiiū. g ¶ Seminatur

minatur corpus animale.) Animale illud uocat, in quo anima primas obtinet partes: spirituale uerò, quod spiritus sancti efficacia datur. Quid enim? an non in presenti etiam (dicet aliquis) in quibusdam agit spiritus sanctus? Agit sanè: at nunc quandoq; auolat, dum uita permutatur: sed tunc semper cōmoratur. Seu animale, terrestre nuncupat & graue: spirituale uerò, leue atq; subtile. h ¶ Est corpus animale.) PHOTII: Corpus animale (si quis hæc uerba iuxta eorum quæ dicta sunt consequentiam accipere uelit) id in presenti dictum esse simpliciter arbitror, mortale hominis corpus. Hoc enim in infirmitate, & in corruptione, & in ignobilitate seminatur, & in terram sepelitur. Id inquam mortale corpus, animale est: quoniam animalibus obsequitur passionibus. Nemo enim à sorde purus, ne is quidem cuius uita unius diei est. Enim uero quæcunq; sunt corporis actiones, fontē habent originemq; ab anima, adeò quòd mortale hominis corpus, animale non iniuria uocatur. Seminatur igitur animale, resurgit autem immortale, quod est spirituale. Spirituale inquam, quòd non iam animalibus passionibus iustorum corpora obsecudent, imò ne ipsa quidem peccatorum. Potius igitur & magnam sanè de ijs quæ gesserint, etsi stultam & superuacaneam, poenitentiam habebunt. At quoniam, seminatur, sepius dixerat, pariq; modo, resurgit: quid uerò sit quod uel seminetur uel resurgat non expresserat, ob id postea illud

quoq; intulit, Seminatur, dicēs, corpus animale: quod dixeram, in corruptibilitate, in ignobilitate, in infirmitate feminatur. Sed corpus spirituale resurgit: quod est, in gloria, in potestate, seu uirtute, in incorruptibilitate resurget. Immortale siquidem iuxta sui rationem, & gloriosum, & honorabile, seu nobile, et incorruptibile est: tametsi peccatoribus, ob sui nequitiam, dedecoris & ignominie, siue obscuritatis occasio fiat. i ¶ (Et est corpus spirituale.) Eiusdem

- PHOTII: Ne quis diceret, Vnde nobis corpora differentia inferis, & ais, Animale, & spirituale? Inquit: Est sanè corpus spirituale, est in quā & animale. Non ego igitur autoritate mea, & opinione, hæc, inquit, dico: sed etiam adhuc ante nos dictum fuit. Vnde pla
- Gen. 2. num est? Inquit: Sic scriptū est, Primus homo Adam in animam uiuentē. Est itaq; corpus animale. Deinde: Nouissimus homo in spiritum uiuificantē. Est igitur & corpus spirituale, spiritui uiuificantī concinne. At id unde patet? Quod secundus homo in spiritum uiuificantē. Et hoc unde manifestum? Ex ipso rerum euentu. Atqui & hoc quoq; scriptum est: Ver-
- Ioan. 6. ba enim, inquit, quæ ego loquor, spiritus et uita sunt. Eos itaq; qui ea audiunt & credunt, uiuificant in spiritum. Quod si est hoc, patet quod & ipsi in resurrectione spirituale habituri sint corpus, quod minime posthac possit in animale mutari: ut ijs accidere solet, qui uitam hanc uiuunt adhuc. k ¶ (Factus est primus homo.) Et ne, inquit, diffidas, corpora nostra

stra animalia, fore tunc spiritalia, iam huius rei argumentum habemus. Siquidem Adam animale sanè corpus habebat, CHRISTVS autem spirituale, quippe quod totam sancti spiritus præsentiam amplexū est. Hoc sanè columba illa indicat, quæ mansit super eum. Ex ea enim parte, qua Dominus & est & intelligitur homo, energiam habebat paraleti: & certè cum suus ipsius spiritus ex parte illa esset, qua est intelligiturq; Deus. Notato autem sanctum esse spiritū, qui uitam conferat. Atqui cum rei nimirū consequentia exigeret, ut (quemadmodū dixerat, animale) spiritum diceret uiuentem, ipse uiuificantem dixit. **METHODII:** Corpus spirituale, nō subtile uel aëreum dicitur, ut quidam effutiunt tale corpus animas in resurrectione accepturas, ex quibus unus est Origenes: sed spirituale uocatur, quod totius sancti spiritus energię sit, societatisq; capax: ut uinarium illud olearcūm uel nūcupatur uas, quod sit taliū cōtentiū. **OECUMENII:** Iuxta proportionē itaq; illud quoque animale dixit, quod ab anima duntaxat, & non à spiritu sancto gubernetur. **ALITER:** Spirituale corpus id uocat, quod nō iam amplius corruptionis grauedinibus succūbit, sed incorruptibilitate adornatur, & gloria. Caro itaq; licet cum eadem figura exurgat, nō tamen rationem passibilem feret, sed ipsius spiritus, quasi quæ ad gloriosorem translata sit statum: tanquam dixerit, corruptionis humilitate ab incorruptibilitatis splendore abolita. ¶ In spi-

ritum uiuificantem.) Hoc profectò scriptum non est, sed consequentia quadam, ac si scriptum fuisset, factum est, inquit. ¶ At nō primū quod spirituale.) Casus nanq; transgressioq; illius quod erat animale, ansa fuit & incarnationis, & quòd uerbum Deus corpori uniretur: quē etiā spirituale dicit.

^aPrimus homo de terra terrenus, secundus homo ipse dominus è cælo. ^bQualis terrenus ille, tales terreni: & qualis ille cælestis, tales etiam cælestes. ^cEt quemadmodū gestauimus ^d imaginem terreni, ^e gestabimus etiam imaginem cælestis, ^fHoc autem dico fratres, ^g quòd caro & sanguis ^h regnum Dei hæreditate consequi non possunt. ⁱ Neq; corruptio incorruptibilitatem accipit hæreditate.

^a ¶ Primus homo de terra terrenus.) Completo sermone de resurrectione, ad admonitionem uenit optimæ uiuendi normæ, aitq;: Adam de terra erat, ergo & terrenus: hoc est, terrenus ac grauis. Secundus uerò Adam, ipse Dominus è cælo: cælestis enim est Deus uerbum. Licet enim corpus illius eiusdem substantiæ fuerit nobiscum, attamen à parte potiore, à diuinitate inquam, cælestem illum uocat.

ALITER: Nō ideo primus homo fuit terrenus, quòd fuerit è terra productus (sic enim omnes terreni essent, ac nullus de cætero culparetur quòd è terra productus esset) sed de terra, inquit: hoc est, terrenus, carnalis, & infima sapiens. Secundus uerò totus sublimis

mis atque coelestis, nullaq; macula terrena infectus. Qualis igitur fuit is, qui terrenū sese, per ea quae cogitauit & fecit, constituit: tales & ij erunt, qui ad illius imitationem uiuūt: hoc est, terreni, ac ea patientes, qualia par est eos pati, qui terrae sese affixerunt. Et qualis fuit ille qui sublimem, coelestem, ac mūdant conuersationē suam exhibuit super terra, tales quoque ij erunt qui ad illius imitationem (quoad fieri hominibus licet) coelestem illam conuersationē ac uitam duxerint: coelestes uidelicet erunt, & praemia illa reportabunt, quae illis erunt pro meritis congrua.

b ¶ Qualis terrenus ille.) Qualis, inquit, terrenus ille Adam fuit, tales etiam futuri sunt terreni omnes: hoc est, qui toti prorsus ipsius terrae sunt, atq; in ipsam, dum mortem illam intellectualem per peccatum moriuntur, reuersuri. Qui uerò CHRISTI sectantur uestigia, ut ipse Paulus, erunt & ipsi, ut ille, quantum fieri hominibus potest, coelestes. Nouimus, inquit catholice, quod si apparuerit, similes ei erimus.

c ¶ Et quemadmodum gestauimus.) Hoc est: Quemadmodum praua pereginus (haec enim terreni imaginem dixerim) imaginem quoq; coelestis gestabimus: id est, bene agentes, & quantum permittitur illum imitantes. ut alibi quoq; dicit: Imitatores mei 1. Cor. 11.

estote, sicut & ego CHRISTI. d ¶ Imaginē terreni.) Haec profectò terreni Adae imago est: Terra Gen. 3.
es, & in terram ibis. Coelestis uerò CHRISTI imago est resurrectio ex mortuis. Ita sanctus Methodius in

sermone de resurrectione. e ¶ Gestabimus etiã.)
 Verbum illud *φρσισομυ*, hoc est, gestabimus, si quidẽ
 per o scribendum est, prophetia futuri est ex conse-
 quenti accepta, & enunciationis uim simul perfi-
 ciens: hoc est, omnino gestabimus imaginem cœlestis,
 quemadmodũ gestauimus etiam imaginem terreni.
 Et esset sanẽ imago terreni, mors: cœlestis autem, re-
 surrectio & incorruptibilitas. Adam enim imaginẽ
 per mortem effinxit: nam & ipse primus autor mor-
 tis exitit. Rursusq; Dominus IESVS Christus, per
 resurrectionem & incorruptibilitatẽ imprefit ima-
 ginem: etenim ipse carne primus, deuicta morte, sur-
 rexit, atq; uniuerso hominũ generi & resurrectionẽ,
 & incorruptibilitatẽ apportauit. Quod si *φρσισομυ*
 per o legendum est, uidelicet, gestemus, adhortatio
 est & consilium ad uirtutem, & diuinam conuersa-
 tionem. Gestemus, inquit, induamur cœlestis imaginẽ,
 quò regni cœlestis assequamur hæreditatem. Et pro-
 fectò acciperentur hoc in loco pro imagine terreni,
 mala opera, carnalesq; affectiones: hæ nãq; sunt que
 peccatorem formant, atq; imprimunt, qui terrenus
 est. Imago uerò cœlestis illius, celsitudo, & sublimitas
 conuersationis, cœlestiumq; uirtutum possessio est.
 Ait itaq; simul & adhortans: Portemus cœlestis ima-
 ginem, conuersationem possideamus, que nos in cœ-
 lum exaltet. An non erubescitis, pudoreq; suffundi-
 mini, quòd terreni imaginẽ alacriter gestauerimus,
 eam inquam que etiam diuellebat nos à regno Dei,
 eoq;

eoq; indignos palam omnibus indicabat: ad imaginē
 uerō cœlestis retardamur, cunctamurq;? Hanc indui
 studeamus, hanc cœlestem sectemur conuersationem.
 Aliter enim nullo modo regnum cœlorū adipisci ua-
 lebimus. **f ¶ PHOTII.** Et illud quod ait, hoc au-
 tem dico fratres, ad differentem interpretationem
 illius quod dixerat, quemadmodum gestaui-
 mus imaginem terreni, gestemus etiam imaginē cœ-
 lestis, excipiat. Aut enim eis adhortationis consi-
 lijq; causa est: quasi dicat, Idcirco sanē uos hortor, uo-
 bisq; hæc facienda cōsulo, ut iure hæreditario regnū
 percipiat cœlorū, propterea quòd carnates homi-
 nes passionibusq; obnoxij, regni dei hæreditatē mini-
 mē nanciscētur. Haud enim naturale est, uel cōsequēs,
 ut qui seipsum corruerit, immūditijsue exposuerit,
 præmia illa hæreditate possideat, quæ ad eos, qui
 passionibus, afflictionibusq; se minimē corruerunt,
 pertinent. Aut si illud, ut interpretationis dogmati-
 ce dictæ causa sit, amplexi fuerimus, nempe quòd re-
 surrectio omnino futura sit, hunc quoq; ad modum
 plurimam habebit consequentiā. Cum enim quod di-
 xerat, hoc autem dico, magis concludat, sitq; ratio-
 nabilius, resurrectionē probare potest. Id uerò quo
 ordine fiat, in latioribus differemus. **g ¶ Quòd ca-
 ro & sanguis.)** Hac, inquit, de causa locutus sum,
 ut discatis, quòd caro & sanguis, hoc est, praua ope-
 ra, regnum Dei hæreditate percipere non possunt.
h ¶ Regnum Dei hæreditate consequi.) Illud

quod moritur, hereditate percipitur: quod autem uiuit, accipit hereditatem. Quamobrem non corpus quod moritur, incorruptibilitatis ac regni coelorum hereditatem assequitur, sed ipsummet ab his hereditate percipitur, ut & incorruptibile fiat, & regni capax. i ¶ Neq; corruptio incorruptibilitatem.) Corruptionem, malitiam dicit, ut quæ animæ nobilitatē corrumpat. Fieri enim nullo modo potest, ut corruptio incorruptibilia, & coelorum regna, quæ semper eodem modo se habēt, hereditate percipiat.

Ecce ^a mysterium uobis dico. ^b Omnes quidem non dormiemus, omnes tamen immutabimur in ^c puncto temporis, in momento oculi, in extrema tuba. ^d Canet enim tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. ^e Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, ac mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & mortale hoc induerit immortalitatem, ^f tunc fiet sermo

Osce 13. q scriptus est: Absorpta est mors in uictoriā.

^a ¶ Ecce mysterium uobis dico.) Arcanum, inquit. Præ se fert autem quam erga eos habeat charitatem, ex hoc, quòd etiam arcana illis exponit.

^b ¶ Omnes quidem non dormiemus.) Non ideo, inquit, quòd moriendum, ac corrumpendū nobis sit, de resurrectione diffidas. Nam quidam tūc reperientur, qui non occubuerint. Non tamen hoc illis ad resurgendum, nisi immutentur, ad immortalitatemq;

temq; ueniant, satis est. Et quemadmodum illis nō ob-
 iisse, ad resurrectionem nihil confert, ita neq; nobis
 occubuisse nocebit. Nonnulli uerò illud, nō dormie-
 mus, de longiore eum morte dixisse affirmant, adeò
 quòd & corruptione ac dissolutione omnino opus
 fuerit. Nam in indiuisibili, hoc est, in puncto, in mo-
 mento oculi, id est, in uelocissimo motu, & mori, &
 statim resurgere, nullo modo dormire esse dicunt.

OECUMENII: An licet & hoc modo intelligi? Pau-
 ca uerò prius narranda sunt, anteq̃ ad intelligentiam
 ueniat. Euangelista Ioannes in Apocalypsi ait, si- Apoc. 8.
 nem hominibus nequaquã sub eodem momento tem-
 poris omnibus superinducendum, sed Dei clemen-
 tia particulatim: ut primis pessundatis, reliqui pri-
 morũ terrore resipiscant. Promittit autem hoc dogma
 in solutione septimi sigilli libri illius. Quæ quum
 ita se habeant, quod dicit in puncto temporis, in
 momento oculi, sensu eodem esse dictum, & utrũ-
 que congruere intelliges, ut ita sit: Omnes quidem nō
 dormiemus, hoc est, moriemur, in puncto temporis,
 in momento oculi, eò quòd, iuxta sermonem Apoca-
 lypsis, finis inducatur per partes: omnes tamen im-
 mutabimur in puncto temporis, in momento oculi, in
 extrema tuba. Priores enim tubæ illæ, quæ secundum
 Apocalypsim sunt septem, non excitant mortuos, sed
 faciunt homines: extrema uerò & resurrectionẽ
 facit, & iam suscitatorum immutationem, in puncto
 temporis, in momento oculi, cum ipsa creatura. Nam

Et ipsa creatura de corruptione immutabitur in li-
 Rom. 8. bertatem gloriæ filiorum Dei, ut idem ad Romanos
 scribit. ALITER: Quoniã iuxta quædã exemplaria
 habetur, Omnes quidem dormiemus, sed nõ omnes im-
 mutabimur: iuxta uerò alia, contrã, Omnes quidem
 non dormiemus, omnes tamen immutabimur: hortor
 ut indagemus, utram ex his editionẽ oporteat appro-
 bare, et quidnam sibi ea uelint, quæ significantur ex
 his. Equidem reor, quòd si quis iuxta utranque edi-
 tionem acceperit (ex quo etiam antiqua exemplaria
 utranq; approbant) à scopo Apostoli non deficiet.
 Iuxta ea igitur quæ habent, Omnes quidem dormie-
 mus, at non omnes immutabimur, intelligere sic oportet:
 Omnes quidem dormitionem, quæ fit per mortẽ,
 sustinebimus, sed non omnes per gloriam et securita-
 tem immutabimur. Quod idem Apostolus ponit ma-
 nifestius, dicens: Si quidem induti, non nudi reperie-
 mur. Iuxta uerò illud, Nõ omnes quidẽ dormiemus,
 omnes tamen immutabimur: ita accipere necesse est:
 Temporalem quidem dormitionem non dormiemus,
 ita ut et sepultura, et resolutione in putredinẽ opus
 sit: sed momento eodem qui tunc supererunt mortem
 excipient, nulla temporali dormitione ob subitam re-
 surrectionem indigentes. Omnes tamen immutabun-
 tur, hoc est, induent incorruptibilitatem. c ¶ In
 puncto temporis.) Mirum sanè est, ac supra om-
 nem æstimationem, quòd tot mirabilia in momento
 temporis simul cū buccinæ sono futura sint. d ¶ Ca-
 net

ner enim tuba.) Postea, quàm sint fide digna ea quæ
 fiunt, cõmonstrans, ait: Canet enim tuba illa terribi-
 lis, & mortui resurgēt, & immutati uidelicet, & in-
 corruptibiles: & nos, qui scilicet tunc relictī uiuī fue-
 rimus (de illis enim loquitur, non de seipso) immuta-
 bimur. Eis enim qui non dormierint, nec resurrectio
 erit, sed tantummodo immutatio. Siquidem mortui,
 qui prius obierint, resurgent incorruptibiles: qui au-
 tem tunc uiuī adhuc erunt, quomodo resuscitabun-
 tur? Tantum in momento oculi ad incorruptibilita-
 tem immutabuntur. e ¶ Oportet enim corrupti-
 bile hoc.) Quid sit immutatio, explanauit. Immu-
 tari, inquã, de corruptibili ad incorruptibilitatē, ac
 de mortali ad immortalitatem. f ¶ Tunc fiet ser-
 mo.) Cũ uerò hæc fient, inquit, tunc adimplebi-
 tur scriptura Osee. Nam quoniam res dixerat quæ
 omnem excederent opinionem, & quæ reuera myste-
 ria essent & arcana, reliquũ erat ut de scripturarum
 testimonio sermonem suum confirmaret. g ¶ Ab-
 sorpta est mors in uictoriam.) In uictoriam, id
 est, in finem: hoc est, perijt, abolita est, nec spes ei ulla
 relinquitur reuertendi. Quoniam potest absorberi
 mors, in interitum absorbentium: quemadmodũ &
 pharmacum fieri potest, ut pari modo in utentiũ co-
 perniciem absorbeat: ea propter addidit, In uicto-
 riam: pro eo ut diceret, non ut absorbentem extin-
 guat, sed ut ipsa occidatur, & uicta superetur, ita ut
 posthac ne uestigium quidem pugne, uel umbra im-

portunitatis supersit. Et illud, absorpta est, etiã cum prepositione dictum, nimiam ac uehementem ipsius corruptionẽ significat et interitũ. Totã, inquit, absorpta est in uictoriã, ita ut nihil ex ea ultra relinquatur.

Vbi ^a tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? ^b Aculeus autem mortis, peccatũ: ^c robur uerò peccati, lex: ^d Deo autem gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum nostrũ Iesum Christum. Itaq; fratres mei dilecti, ^e stabiles sitis & immobiles, abundantes in opere Domini semper, ^f scientes quòd labor uester non est inanis in Domino.

¶ (Vbi tuus mors aculeus?) Ut qui hæc fieri spectet, ac ueluti humi prostratam mortem cõculcet, uisultetq; illi, Vbi, dicens, tuus ò mors aculeus? Vbi quam in omnes exercebas ò mors, ò inferne, uictoria? Periere, è medio ablata sunt, finẽ habent. ^b (Aculeus autem mortis peccatum.) Robusta siquidẽ per hoc fuit, quasi potestate hac, & aculeo utens. Ut enim scorpius paruum quidem, sed mortiferũ est animal, in aculeo autẽ uim totam habet: ita quoq; mors absq; peccato inefficax & impotẽs fuisset. ^c (Robur uerò peccati lex.) Quomodo? Quia sine lege infirmum fuit peccatum, dum per ignorantiam perpetrabatur. At cum lex illud prodidisset, magis ac magis nos condemnauit, & efficax illud & forte reddidit contra nos, non sui natura, sed malitia nostra. Ne igitur, ò homo, de resurrectione ambigas, cum mortis aculeum,

aculeum, peccatum inquam, abolitum uideas: & ro-
 bur peccati, legem uidelicet, rursus solutam. Pecca-
 to nanq; hoc est, aculeo mortis per CHRISTI cru-
 cem sublato, patet quòd & mors pariter auferetur.
 d ¶ Deo autem gratia.) CHRISTVS, inquit, fi-
 xit trophæum, nos autem coronæ participes sumus.
 Gratia uerò patri, qui ipsum genuit filium, qui ta-
 lia nobis ac tanta peregit. Aliter, PHOTII: Quo-
 niam legem ipsam peccati potentiam nuncupauerat,
 ne ulli ipsam quoq; legem, ueluti malā & infrugem,
 cessasse putarent, ac ipsum legislatorem blasphema-
 rent, appendit, Deo autem gratia: hoc est, legistato-
 ri autem Deo, & patri Domini nostri IESU Chri-
 sti, gratia: ipse enim & legem ipsam, iuxta temporis
 opportunitatem, utilem dedit, & hac nobis ad robur
 peccati usis, peccatumq; tenacius retinentibus, ipse
 rursus per filium suum Dominū nostrum IESUM
 Christum, nobis haud dubium imperium atq; uicto-
 riam largitus est. e ¶ Stabiles sitis.) Cum hæc
 igitur ita se habere noueritis, esse inquam & resur-
 rectionem, & bonorum malorumq; retributionem,
 state. Circa resurrectionis nanq; mysteriū titubabāt,
 institutumq; uitæ, tanquam non esset resurrectio, ne-
 gligebāt. Postea inquit, abundantes in opere Dei:
 non modò illud complentes, uerum etiam in bonis a-
 ctibus affluentibus. f ¶ Scientes quòd labor ue-
 ster.) Quem nunc, inquit, perfertis: sed merces illius
 erit à Deo. Quòd uerò dicit, in Domino, uel labo-

rem in Domino, uel laborem ipsum apud Dominū,
non fore inanem intellige.

CAPVT XVI.

CAeterū^a de collatione in sanctos, quem-
admodū ordinari Ecclesiæ Galatiæ, ita & uos
facite.^b Per primam hebdomadæ, unusquisq;
uestrū^c apud semetipsum ponat, recondens
quicquid fuerit cōmodum,^d ne cū uenero,
tunc collationes fiant. At ubi uenero, quoscū-
que^e per epistolas probaueritis, hos mittam,
ut perferant^f gratiam uestram Hierusalem.
§ Quod si fuerit operæ precium ut & ipse pro-
ficiscar, mecum proficiscentur. Veniam autē
ad uos cū^h Macedoniam pertransiero. Nam
Macedoniam pertransiturus sum.ⁱ Apud uos
autem^k forsitan permanebo, uel etiam hyema-
bo,^l ut uos me deducatis quocūq; profici-
scar. Nolo enim uos nunc in transitu uidere,
sed spero per aliquod tempus manere apud
uos, si^m Dominus permiserit.

^a ¶ Cæterū de collatione.) Sermone com-
pleto de dogmatibus, ad uirtutum caput, eleemosy-
nam inquam, descendit. Collationem dicit oblationē,
que simul à multis confertur. Rem ipsam ex ipsis
proœmijs leuem reddit. Quod enim cōfertur ex mul-
tis, cuilibet leue est. Ad æmulationē deinde illos ad-
ducit, dum ea que ab alijs facta sunt, recenset: Ut e-
nim, inquit, fecerunt Galatiæ. Expende autem quem-
admodum necessitatem huius rei, que fiebat, decla-
rat.

rat. Vt, inquit, ordinavi. Non enim hortatus sum, ait, uel consului: sed, ordinavi. Cùm enim quispiam cum autoritate imperat, rem ipsam cùm ineuitabile, tum necessariam indicat. **b** ¶ Per primam hebdomada.) Primam hebdomadae dominicam dicit, atq; ex ipsa die ad eleemosynam hortatur, dum mysteriorum in ea contentorum meminit. **c** ¶ Apud semetipsum ponat.) Admodum sanè prouidè non dixit, mox offerat, ne qui paucillum haberet, erubesceret: sed, prius apud semetipsum reconde, & cùm dignum fuerit collatione, tunc offeras. Reconde quicquid fuerit cōmodum: hoc est, quicquid Deus permiserit, facultatemq; habueris. **d** ¶ Ne cùm uenero.) Ne cùm tempus, inquit, oblationis affuerit, tunc incipiat congregari. Dicendo autem, Cùm uenero, promptio res ad colligendum reddit, dum quasi in sui presentia futura oblatio sit. **e** ¶ Quoscunq; per epistolas probaueritis.) Eleganter uerò ait, quoscunq; approbaueritis: unde quaq; amputans, ne cui offendiculum præberet, tanquam ipse aliquid de collationibus surripere uellet. **f** ¶ Vt perferant gratiam uestram.) Gratiã dixit: nam miserabile erat eleemosyne nomen, percepturisq; sanctis indignum. ac indicans uicariam, quòd & ipsi gratiam, orationes inquam illorum inde percepturi sint. **g** ¶ Quòd si fuerit operæ precium ut & ipse proficiscar.) Per hæc eos ad liberalitatem cohortatur. Si tanta, inquit, fuerit ut & meo egeat ministerio res ipsa, pergam.

Vbiq; tamen testes ex eis uult, quòd nihil inde surrepturus sit: idcirco ait, mecum ibunt. ^b ¶ Cùm Macedoniam transiero.) Non ait, abiero, sed, pertransiero, eos ut mox affuturus cõsolans. Sed honorem expende præcipuum: illos quidem pertransibo, uobiscum autem permanebo. Plures etenim Corinthi fideles habebantur, quare pluris etiam ab eo fiebant. ⁱ ¶ Apud uos autem.) Autem, hoc in loco redundat. Atqui solitum est hoc scripturæ diuinæ, imò etiam externis scriptoribus crebrò est hoc in usu, ijsq; maximè qui Atticos imitantur. ^k ¶ Forsitan permanebo.) Rectè dixit, forsitan. Nõ enim id certò sciebat, an à spiritu sancto ei permittendum foret, nec ne. Charitatem autem indicabat, tam permanere apud eos, quàm ab eis deduci. ^l ¶ Ut uos me deducatis.) In eorum exhortationem consolationemq; dixit illud, Ut me uos deducatis: ¶ Nolo uos nunc in transitu uidere: ¶ Spero me tempus ali quod apud uos mansurũ. ^m ¶ Si Dominus permiserit.) Hoc sanè eorum quæ antea dicta fuerant, interpretatio est: Apud uos autem forsitan ¶ permanebo. Quamobrem dixit, forsitan? quia ambigebat utrũ id Dominus permissurus esset. At certè, inquit, mea uoluntas hæc est, manendi uidelicet apud uos.

^a Commorabor autẽ Ephesi usq; ad quinquagesimum. ^b Nam ostium mihi patet magnum & efficax, & aduersarij multi. ^c Quòd si uenerit Timotheus, uidete ut absque metu sit
apud

apud uos: ^dopus enim Domini operat, quem admodum & ego. ^e Ne quis igitur illum spernat, sed ^fdeducite illū in pace, ut ueniat ad me: præstolor enim ipsum cum fratribus. ^g De Apollo autē fratre multū hortatus sum illum, ut ueniret ad uos cum fratribus: & omnino non fuit uoluntas nunc eundi, ^h ueniet autem cū fuerit opportunum.

a ¶ Commorabor autem Ephesi.) Valde amantis fuit dicere, & ubi mansurus sit, & quousq;. Ad quinquagesimū usq; diē inquit. Et quamobrem? Ostium mihi apertum est, inquit: hoc est, multi ad excipiendam fidem parati sunt. Aditus itaq; mihi est ad illos. Hoc & confidentis est de diffundenda & dilatanda fide per totum orbem terrarum. b ¶ Nam ostium mihi.) Eorum, inquit, ingenium uiget, qui ad fidem accessuri sunt, nil molle (ait) uel fictum habens. Quapropter & aduersarij multi. Quantum enim sese diabolus spoliari cernit, tantum etiam tumultuatur, & excitat aduersarios. c ¶ Quod si uenerit Timotheus.) Non ut nemo ex diuitibus uel sapientia imbutis insidiaretur, de quibus in primordijs differuerat, quod discipulos sibi uendicaret, (nam Timotheus quidem ad omnia ferenda paratus erat) sed ne insidiatores illi nocerent. Eleganter uerō ait, Ad uos. Ne, inquit, Græcos mihi memores, dum ea requiro quæ ad uos pertinent. d ¶ Opus enim Domini operatur.) Ab opere deinde, doctrina ui

delicet ac prædicatione, & quòd eadem quærat quæ ipse, uirum extollit. e ¶ Ne quis igitur illum spernat.) Erat enim tum iuuenis, tum solus, & tanti ei populi cura demandabatur: quæ omnia ansam præbebant contemnendi. f ¶ Sed deducite illū.) Neq; pugnas illi contentionesue obtendatis, neque cuiquam permittatis qui insidiari uelit. Illud autem, præstolor enim ipsum, timentis est, ne forte, cum omnia cum Apostolo relaturum nouerint, ulla in re affligant: simulq; per hoc ipsum Timotheo fidem cõciliatis, quòd Paulus alioqui reuera occupatissimus, propter eum tamē, inquit, remoratur, atq; expectat. g ¶ De Apollo autē.) Apollos maior natu erat quàm Timotheus, & uir eloquens. Ne igitur dicerēt, Quamobrem nō cum misisti? neue putarent maioris facere Timotheū, utrisq; medetur, cum eum quidem ut abiret suaserit, nec persuasit, quòd, inquit, non fuerit uoluntas Dei. h ¶ Veniet autem.) Ne putarent hæc fictionis esse, seu prætextus, ait, Veniet.

^a Vigilate, state in fide, uiriliter agite, roboramini. ^b Omnia uestra in charitate fiant. ^c Obsecro autem uos fratres, ^d nostis familiam Stephanæ esse primitias ^e Achaia, & quòd ^f in ministerium sanctis ordinarunt seipso, ut & uos ^g subditi sitis talibus, & omni adiuuanti & laboranti. ^h Gaudeo uerò de aduētū Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam id quod mihi deerat uestri, hi suppluerunt. ⁱ Refocillaue
runt

runt enim spiritum meum ac uestrum.^k Agnoscite itaque huiusmodi.

a ¶ (Vigilate.) Quasi de dormientibus, nutabundis, egrotis, ac male affectis dictum est, Vigilate, stante, uiriliter agite, & roboramini. b ¶ (Omnia uestra.) Siue quis doceat uel prae sit, uel quippiam aliud agat, charitas, inquit, dux sit. c ¶ (Obsecro autem.) Hyperbaton est. Obsecro autem uos fratres, ut uos talibus etiam subditi sitis. Quibus? Iis inquam, qui ad ministrandum sanctis ordinant semetipsos: neque iisduntaxat, sed cuilibet qui adiutorium ac laborem quoquo modo in sanctorum necessitatem impendit.

d ¶ (Nostis familiam Stephanæ.) Et uos, inquit, nostis quomodo laborent, nec opus est ut id à me discatis. Hanc uerò domum idcirco primitias dicit, quòd ipsi primi ad fidem uenerint, uel quòd primas partes ad pietatem habebant. Primitiae namque egregiam quandam selectionem prae se ferunt. e ¶ (Primitias Achaiae.) Ipsius uidelicet Graeciae: unde & Achiui dicuntur. f ¶ (In ministerium.) Ad sanctos hospitio suscipiendum, eisque ministrandum. Quòd autem dicit, Ordinauerunt, hoc est, quasi separauerunt, ac uitam eiusmodi elegerunt. g ¶ (Ut & uos subditi sitis talibus.) Ut eis auxiliemini & in pecuniarum sumptu, & in ministerio corporali, & ad omnia parere illis: id enim subiectionem dixerim. Et ne putares quòd Stephanæ gratificari uellet, intulit: Et omni adiuuanti & laboranti. h ¶ (Gaudeo uerò de

aduentu Stephanæ.) Hi sunt qui diffensionē Corinthiorum detulerant, ac per hos, familiares Cloës rem prodiderant. Quoniam igitur uerisimile erat ut Corinthij erga hos asperiores sese exhibituri essent, cōmendat illos, dicens: Nimirum quod deerat uestri, suppleuerunt hi: hoc est, pro uobis omnibus profecti sunt ipsi, ac uestri gratia tantam peregrinationē susceperunt. i ¶ Refocillauerunt.) In illorum utilitatem concedere docuit, ipsum Pauli animum con-
 quieuisse. Nam meum, inquit, spiritum refocillantes, uestrum etiam refocillarunt. Hoc est, me, qui magister sum, refocillato, uos etiam, qui discipulis estis, refocillarūt. k ¶ Agnoscite.) Illos cum honore habetote: propter uos enim subiere laborem.

^a Salutant uos Ecclesiæ Asiæ: salutant uos in Domino multū ^b Aquila & Priscilla, cum domestica eorum Ecclesia. Salutant uos fratres omnes. Salutate inuicē in ^c osculo sancto. ^d Salutatio manu mea Pauli. ^e Si quis nō diligit Dominum Iesum Christum, anathema sit, ^f maranatha. ^g Gratia Domini Iesu Christi uobiscū. ^h Charitas mea cum omnibus uobis in Christo Iesu, Amen.

^a ¶ Salutant uos Ecclesiæ Asiæ.) Membra conglutinat salutatione. ^b ¶ Aquila & Priscilla.) Apud illos mansitans, quod artis essent eiusdem, scenofactoriam artem operabatur. At eorū consideranda uirtutem, qui domum in Ecclesiam permutarunt.

^c ¶ In.

c ¶ In osculo sancto.) Hic duntaxat sanctū præcipit osculum, quoniã multas in partes essent discissi. Nam ego sum, inquit, Pauli, ego autem Apollo, ego uerò Cephæ. Porro sanctum, non simulatum, sed ex charitate, dicit. d ¶ Salutatio mea manu.) Manu propria salutationem scripserat in epistola. e ¶ Si quis non diligit Dominum.) Vnico hoc uerbo perterriti uniuersos, qui ab hominibus agnominebantur: necnon fornicarios, & eos qui ob carnum demonibus suffitarum comestionem fratribus offendiculo erant: & eos quoq; qui nõ credebant resurrectionem. Haud enim qui talia agunt, Dominũ diligunt. f ¶ Maranatha.) Maranatha, hoc est, Dominus uenit. Hoc uerò ait, quò dispensationẽ, resurrectionemq; confirmet, ac eos pudore suffundat. Dominus, inquit, pro nobis mortuus est, uos autem eum, per absurda quæ agitis, exacerbatis. Hebraica uerò dictione usus est, ut ostendat non modò se inscitiam non auersari, quin ea plurimum honestari. Hebraica enim eis, qui sapientes erant, locutio, inscitia habebatur. Hoc autem facit deijciens supercilium sapientum. OECVMENII: Nonnulli hoc non Hebræe uocis, sed Syriacæ putauerunt. Significat autẽ, Dominus uenit. Ceterũ ipsammet dictionem posuit, ut, quoniam eloquentia pollebant Corinthij, deturbaret elationem: doceretq; nequaquã eloquentiam, sed fidem illis esse necessariam. g ¶ Gratia Domini.) Hoc maxime sanè ad magistrum pertinet,

non modò uidelicet adhortari, uerùm etiam deprecari. h ¶ Charitas mea.) Deinde quoniam eos multum laceſſiuerat, nunc eis medetur, comprecaturq̃. Sit, inquit, mea uobiscum charitas. Quo uerò modo id erit? Si rectè, inquit, gradiemini. i ¶ In Christo Iesu.) Ne rursus adulationis uerbum arbitrentur, ait: In CHRISTO IESU. Nihil quippe humanum seu carnale est apud me. Nam mea uobiscum charitas in CHRISTO erit.

AD CORINTHIOS PRIOR E PHILIPPIS scripta fuit per Stephanam, Fortunatum, Achaicum, & Timotheum.

ARGV.

I
re
re
rip
di
ter
his
En
di
qu
cer
iuc
ret
qu
ip
uer
ra
fed
Cir
ten
gis
in
ſti
qua
uid
tis
refi
faci
ſeip
ſup

ARGUMENTVM IN P O.

steriorem epistolam ad

Corinthios.

HAnc è Macedonia mittit. Occasio uerò epistolæ fuit hæc. Cum priorem epistolam Corinthij accepissent, ob illius peccatum, qui rem cum nouerca habuerat, doluerunt, ac mœrore, ut qui tantū delictum nouerint, affecti sunt. Surripiebantur præterea à nonnullis, qui adeò etiam dissensionū ansas moliebantur, ut legis literæ inniterentur, & Christi gratiam uulgarem ducerent: hisq; potius adhærebant, qui in facie gloriabantur. Erant autē & collationis in sanctos admodū studiosi. Ad hæc itaq; rescribit Apostolus. Et primū quidem, quòd eum qui admiserat iniquitatem, eiecissent, plurimū eos cōmendat. Illis deinde, si dignū iudicauerint, supplicat, & iubet ut eum, si pœniteret, recipiant. Hic item de lege docet, ostendens nequaquam literas tantū legis accipiendas, sed & in ipsa litera intelligentiā perquirendam. (Non enim uerbis duntaxat constat lex, imò sensu spiritus, qui uerbis tegitur.) Item quòd Christi aduentu creatura renouata sit: neq; iam nobis sicut olim uiuendū, sed, ut in noua creatura, in omnibus renouandum. Circuncisionemq; deinceps superuacaneā. Hos autem circa ministerium quoq; cōmendat, & ut magis magisque illud augeant, hortatur. Illos autē qui in facie gloriabantur, criminatus, omnia quæ Christi gratia passus sit recenset: reuelationes quoque, quas & in Paradisum, & in tertium cœlum raptus uiderat, prodit in medium. Cum præterea à peccatis abstinere præcepisset, imò ut & qui peccassent resipiscerent, in gratiarū actionem scribendi finem facit. Omnis itaq; sermo in hac epistola hic est, De seipso, de Corinthijs, & de falsis Apostolis: atq; ex suppositione hac ad ea usque procedit, quæ ad Dei

gratiam pertinent: & ad bene uiuendi normam, iuxta conscientiam bonam, bonumque certamen, ac pecuniarum contemptum: & ad uirtutem distributiuam, & ad arrogantiam & nequitiam falforum Apostolorum.

THEODORETI.

Cur alteram epistolam scripserit, quaesitum dignum est. Quoniam in priori pollicitus erat se ad eos uenturum, sed a spiritu sancto circa alia prepeditus, & in uarias tentationes prolapsus, minime uenerat: per posteriorem hanc, & cur non uenerit rationem reddit, & ut quoquo modo ipse per epistolam uenisse uideretur. Item per priorem meliores euaserant. Consonum igitur rationi fuit, ut posteriore quoque digni haberentur, quod magis proficerent ad uirtutem.

IN POSTERIOREM

D. PAULI AD CORINTHIOS
epist. Oecumenij commentaria, Maximo Florentino interp.

CAPVT PRIMVM.



PAVLVS Apostolus Iesu Christi per uoluntatem Dei, & ^a Timotheus frater, Ecclesiae Dei quae est Corinthi, cum ^b sanctis omnibus qui sunt in tota Achaia. ^c Gratia uobis & pax a Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo. ^d Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui ^e pater est misericordiarum, & Deus omnis consolationis, qui ^f consolatur nos

in

in omni afflictione nostra, ad hoc, s ut possimus eos consolari, qui sunt in qualibet afflictione, per cōsolationem qua consolatur nos Deus. ^h Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ⁱ ita per Christum ^k abundat & consolatio nostra.

a ¶ (Et Timotheus.) In priori epistola, cū Timotheum illuc misisset, etiam nunc eum receptum sibi ipsi annectit. Sed uide, dicit eum quandoq; filium: Nam uti patri filius, inquit, mihi seruiuit. Aliquan- Philip. 2.
do uerò cooperatorem seu coadiutorem: Opus enim 1. Cor. 16.
Domini operatur sicut & ego. Nunc uerò fratrem: per omnia illum fide dignum præstans. Illud autē notato, PER, patri quoq; cōgruere. b ¶ (Cum sanctis.) Sanctos hos uocat, ostendens, quòd si quis terra fuerit addictus, ab hac etiam denominatione exciderit. At hi cōmuniter titubare uidentur, quamobrem & cōmunem medelam facit. Id ipsum quoq; cū ad Galatas scribit Hebræosq; facit. c ¶ (Gratia uobis.) His quoq; consuetam bene optat salutationē. d ¶ (Benedictus Deus.) Benedictus Deus: hīc sistendum, & pater Domini nostri Iesu Christi. Noster siquidem Deus est, Domini autem IESU Christi pater. Hanc ipsam distinctionem Dominus etiam nos docuit. In sacris namq; Euangelijs sic ait: Confiteor ti Matth. 11.
bi pater, Domine cœli & terre. manifeste docens suū quidem ipsius patrem: creaturæ autem, & creatorē, & dominum. Pollicitus quidem fuerat in priori epi-

stola ad eos se profecturum, uerum magnis tentationibus, quæ ipsum apprehenderunt, impeditus fuit. Incipit itaq; apologiæ semina iacere. Deo, inquit, gratias ago, quod nos in omni afflictione consolatus sit. e ¶ Qui pater est.) Mos est sanctis, ex beneficijs nomina Deo imponere. In bellorū quidem uictorijs:

2. Reg. 22.

Psal. 26.

2. quid
21. 702.1

Diligam te Domine robur meū. At cum à mentis caligine, tenebrisq; redemptus est: Dominus illuminatione mea. Nunc autem, Deum misericordiarum nunciat & cōsolationis. Verum sancti huius inspicito humilitatem. Ab afflictionibus, quas ob prædicationem tulerat, exemptus, non ait, Prout dignum fuit exemptus sum, sed, Dei clemētia & miseratione. f ¶ Qui consolatur.) Non ait, Qui non permisit ut affigerer (nouerat enim afflictiones plurimū conducere) sed, qui consolatur. Dicens autē, in omni afflictione, afflictiones continuas præ se fert, itemq; cōtinuas consolationes. g ¶ Ut possimus.) Expende humilitatis præstantiam. Non idcirco, ait, consolationē accepi, quod dignus ea sim: sed ut hoc consolationis exemplo ceteros afflictos consolari queam. Consolatio itaq; propter aliorum utilitatem mihi obtingit, non propter me. Seu quod consolatio, quæ erga me fit, unā mecum & alios consolatur, eos inquam qui de meis mœrebant afflictionibus. h ¶ Quoniam sicut abundant.) Ne quis suspicaretur Deum negligere Apostolos, & ob id continuas afflictionibus fastigari, uide quomodo suspicionem hanc è medio abstulerit,

stulerit, inquit: Afflictiones, & quas in nobis certis passionibus, ipsius CHRISTI sunt: hæc, inquam, etiam redundant in nos. tanquam dixerit: Non modo quæcumq; CHRISTVS pertulit perferimus, sed longè plura. Quod alibi quoque dicit: Et suppleo ea Coloss. 1. quæ CHRISTI passionibus defuere. quippe quod per se, absq; ulla consolatione à Deo, ad exhortationem cōsolationemq; sat est: scire inquam, quòd ipsæ, quas perferunt, afflictiones, ipsius CHRISTI sint: nedum quòd & consolatio CHRISTI larga in eos, & affluens, magnanimitatis eis præbeat occasiones. tanquã dixerit, Vberes quidem afflictiones sunt, sed longè uberior consolatio. i ¶ Ita per Christum.) Abundant quidem, ait, in nobis tentationes afflictionesq;, uerùm & his multò magis abundant consolationes. Quonam pacto? Quòd non solum exturbant, arcentq; ipsas afflictiones, uerùm & gaudere faciunt, & coronas cōciliant, & præmia. k ¶ Abundat.) Non iuxta afflictionum proportionem cōsolatio est, sed longè maior: redundat enim, inquit, consolatio.

^a Siue autem affligimur, pro uestra consolatione & salute, ^b quæ efficitur ^c in tolerantia eorum, quæ & nos patimur, & ^d spes nostra ^e firma est pro uobis: siue consolationem accipimus, ^f pro uestra consolatione & salute: & scientes, quòd quemadmodum socij estis afflictionum, ita quoq; cōsolationis. ^h Non enim uolumus uos ignorare fratres de ⁱ affli-

ctione nostra, quæ accidit nobis in Asia: ^k quoniam supra modum grauati fuimus, supra vires, ^l ita ut de uita etiam desperauerimus. Sed ipsi in nobis ^m responsum mortis accepimus, ut ne fidentes essemus in nobis ipsis, sed in Deo, qui ⁿ excitat mortuos.

a ¶ Siue autem affligimur.) Siue affligimur, inquit, propter uestram & consolationem & salutem affligimur. Quomodo? Quoniam liceret nobis, derelicta prædicatione, cum quiete ac securitate uitam ducere: uerum & affligi & periclitari maluimus, ut uobis per prædicationem salutem conquireremus, incitaremusq; ad fidem. Ob uestram itaq; salutem, quæ in uobis ex uirtute uidelicet spiritus sancti, qui signa hæc operatur, efficitur, afflictiones patimur.

b ¶ Quæ efficitur.) Videlicet in uobis. c ¶ In tolerantia.) Efficitur inquam in uobis salus, dum per patientiam easdem, quas nos, passiones fertis. Vt enim nos affligimur in prædicando, ita quoq; uos in discendo. At magnæ illis uirtutis testimoniū perhibet, quod scilicet cum tentationibus exceperint prædicationem.

d ¶ Et spes nostra.) PHOTII: Quenam spes? Quod salus in uobis efficaciam suam expressura sit: quanquam à nobis non minus quam à uobis, eadem passiones fuerint toleratæ. Et quomodo? Dum consolationem accipimus, pro uestra salute accipimus: argumentum, inquit, indubitatumq; notionem hinc sumentes, uos quoq; consolationem fore accepturos. Igitur

non modò propterea quòd ipsi à tentationibus liberamur, consolationem accipimus, sed modo quoq; eodem: quòd certò scimus, & hac spe freti sumus, quòd uos etiam consolationem accepturi sitis. Vnde uerò manifestum hoc? Hinc sanè: quemadmodum enim socij estis tentationum, afflictionumq;, ita & consolationis eritis. e ¶ (Firma est.) Hoc est: Quanta-
 cunq; sint ea quæ patimini, confidimus nunquã uos ab itinere deflexuros, uel descituros, nec propter ea quæ uel ipsi patimini, uel nos pati uidetis. f ¶ (Pro uestra consolatione.) Cùm prius dixisset, pro uestra salute affligimur: ne quidam esse uideretur impostor, nunc ait, Ob uestri salutem consolationẽ accipimus, ne desponso scilicet animo, uestram negligere mus salutem: seu quò consolationem accipiatis, cùm nos à Deo consolatione affectos uideritis. Vt enim, inquit, socij passionum estis, sic per consequens oportet ut etiam consolationis sitis. g ¶ (Scientes.) Hoc sanè scimus, quòd quemadmodum tentationum socij estis, ita quoq; necessariò oportet ut & consolationis sitis. PHOTII: Videntes enim quòd nos consolationem accipimus, uos quoq; bonæ spei eritis: quòd licet contingat ut uos etiam tentationibus circumuallemini, consolationem sitis & ipsi accepturi, non secus atq; nos. Vt enim, inquit, passionũ consortes estis, ita etiam eritis consolationis socij. Consolatio enim esset sanè, uel si tentationes è medio auferrentur, ac præter spem à circumstantibus molestijs erueremini:

uel certè si in ipsis medijs periculis uersantes, æquo animo ac generose quæcunq; contingentia, futurorū spe robustiores effecti, ferretis: quod fieri nunquam posset, nisi CHRISTVS, uerus ille Deus noster, manus ipse porrigeret. h ¶ (Non enim uolumus.) Deinde quoniã indifferenter afflictionis meminerat, nūc qualem putet afflictionem dicit. Vt nihil eorum quæ circa me sunt, ait, ignoretis: quippe quod ad charitatem spectat: ne, dum ea quæ mihi cōtingunt ignoratis, mœrore afficiamini, eò quòd minimè ad uos iuxta pollicitationes perrexerim. i ¶ (De afflictione.) Id in priori quoque epistola præfatus fuerat: Ostium mihi apertum est, & aduersarij multi.

h ¶ (Quoniam supra modum.) Nimirum magna fuit tentatio, & quæ uires meas excederet. Fieri nanq; potest, ut & magna sit, & generose feratur à quoptiam. l ¶ (Ita ut de uita.) CHRYSOSTOMI: Desperauerimus, inquit: nulla iam nobis uiuendi spes remāserit: sed intra nosmetipfos putauerimus, quòd omnino mortē subituri fuerimus. Id enim est, ipsi in nobis responsum mortis accepimus. Id enim nobis res ipsæ responsum edebant, quòd morituri omnino effemus. Et quamobrem ad tanta usq; uenire pericula permisit nos Deus? Ne de nobis fidentes sumus. Quod autem dicit, tale quiddam est: Vt ne modestiã, inquit, excederemus: ne rectis efferremur facinoribus. Quod in sequentibus sanè manifestius dicit: Et ne excellentia reuelationum extollerer, datus est mihi an-

hi angelus satanæ. eos qui & affligebant, & tentabāt ipsum dicens: quemlibet hominem ex his satanam uocans. Tentationes, inquit, ut ferrem permissus sum, quatenus arrogantia mea exturbaretur, disceremq; modestiam. Idcirco cū Deum poposcissem, petitionem assecutus non sum: sed perseueraui, iugiter humilitatis pharmacum, afflictionem uidelicet, tenens. Atq; adeò magna, inquit, fuit, ut omni uiuendi spe penitus destitueremur. Quod sanè Dauid portas inferni, dolores partus, mortisq; umbrā uocat. in ¶ Responsum mortis.) Responsum, hoc est, decretum, atq; sententiā. Quod autē dicit tale est: Ad nos usq; ait, & ad mentem nostram, mortis expectatio obfirmata fuit: Deus autem in opus procedere non permisit: nos instruens, ne proprijs uiribus & consilio innitatur, sed ipsi soli, cui ea quoq; quorū nobis spes nulla est, quæq; fieri nullo modo possunt, facilia sunt. Ait autem id Deum fecisse, non quòd ipsi Paulo disce re opus esset (quis enim illo unquam plus nouit in solo Deo sperare?) sed ut per nos alij discant, OECUMENII. Vel sic: De nobis ipsis, inquit, omnino desperauimus, ut in solo deo spem habeamus. Qui enim de seipso desperat, quonam pacto cōsilio suo, uiribus, seu apologia salutem sperabit? Quasi ex consequenti totum, quod suimet ipsius est, Deo ascribit. IOANNIS: Responsum, decretum, expectationem, atque sententiā. Talem res ipsæ uocem edebant, tale dabant responsum ea quæ tunc accidebant, quòd omni-

no morituri essemus: uerùm id ad experimentũ usq;
 non processit, sed intra suspicionem nostram cõstitit.
 Ipsa siquidem rerum natura hoc præ se ferebat: sed
 Dei potentia non fuit sententiam prodire in opus,
 uerùm intra cogitationem nostram duntaxat id acci-
 dere. quãobrem & in nobis, inquit, excepimus mor-
 tis sententiam. PHOTII: Quemadmodũ dicimus,
 Respondit morbus ad sanitatẽ, uel, respondit ad mor-
 tem, hoc est, euasit, terminauit, finiuit: ita & nunc re-
 sponsum mortis, finem ipsius atq; euentum intelli-
 oportet. Dubitauimus enim, inquit, de uita, & cum
 mortuis deputati fuimus: nõ ab alijs quidem, sed ipsi
 intra nos ipsos extremitatem, ac finem mortis cõtẽ-
 plati, ac firmiter arbitrati. Hic autem neq; arbitrati
 inquit, sed excepimus: mortis asserens ac indicans cer-
 titudinem. Adeo modum excessit, adeo uires, ut Pau-
 lus ipse, quo ad suas ipsius uires, iam obierit. Hoc au-
 tem, inquit, accidit, ac præter spem mortem euasimus,
 ut nulla in re de nobis fidamus, sed de ipso Deo, qui
 mortuos excitat: qui suscitatur, inquit, qui nos iam etiã
 mortuos modò excitauit. Enimuero, inquit, mortis
 sententiam excepimus intra nos, idq; non alijs de no-
 bis suspicantibus, sed ipsi intra nos ipsos. Et neutiquã
 suspicati sumus, imò excepimus: quippe quod immu-
 tabilis, ac firmi iudicij est. Manifestum est igitur, in-
 quit, quòd nisi resuscitasset Deus, mortui profectò
 fuissimus. Quòd si hæc Paulus ille, qui in afflictioni-
 bus dilatatur, qui ueluti coronis, theatricisq; præ-
 conijs

conijs, afflictionibus honestabatur: si hæc ille, in quã, profert, omnemq; salutem Deo adscribit, quid nos facere debemus? Vel quomodo, si de nobis ipsis fidere sinuerimus, non meritò à Deo ipso, qui nos & seruat & protegit, derelinquemur? n ¶ Qui excitat mortuos.) Simul quidem periculi intimat magnitudinem, tantum non dicens, quòd eos qui mortui erant, excitarit: simulq; resurrectionis sermonem ad memoriam illis reuocans, quem in priori epistola prolixiorẽ fecerat.

Qui ex^a tanta morte eripuit nos, & eripit: in quem spem nostram fiximus, quòd adhuc quoq; ^b eripiet, simul ^c adiuuantibus & uobis precando pro nobis, ^d ut ex multis personis, propter donum in nos collatum, per multos gratia agantur pro nobis. ^e Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ, quòd ^f in simplicitate & synceritate Dei, ^g non in sapientia carnali, sed in ^h gratia Dei conuersati sumus in mundo: ⁱ abundantius autem erga uos. Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoscitis. ^k Spero autẽ quòd usq; in finem quoq; cognoscetis, quem admodum & cognouistis nos ex parte, quòd gloriatio uestra sumus, ut & uos nostra, ^l in die Domini Iesu.

^a ¶ (Tanta morte.) Non ait periculo, sed morte: quippe quod periculorum excessum præ se fert: rursusq; asserit resurrectionem. Ac si dixisset: Cur

quidam resurrectionem non credunt? En Deus exhibet rei huius argumentū. Nos enim, qui omni ex parte morti addicti eramus, excitauit. **b** ¶ Quod ad huc eripiet.) Hoc uitā talem significauit, quæ semper in afflictionum expectatione sit. Nam, eruet, illius erat qui semper se nouerit tentationes habiturū. Verūm humilitatem inspicio. Paulus precis auxilio, Corinthiorum eget. Et hoc illius est, qui precum necessitatem doceat. **c** ¶ Simul adiuuantibus uobis.) Eruet autem nos Deus, etiam uobis per preces adiuuantibus, ut cōmane, inquit, tum mihi, tum uobis donum exhibeat: ut ex multis inquit, personis, hoc est, per multas personas, uestras inquam, gratie propter donum in me collatum agantur Deo.

d ¶ Ut ex multis personis.) Ut ex multis personis, hoc est uestris, preces suscipiens, adhuc etiā eruat nos, ac simul dignas gratiarum actiones donum illius collatum in nos, assequatur. Non autem dixit, gratia eius, auxiliū me erga me gratiarū actiones habeat, sed donū: quippe quod dicere consueuimus circa eximia, & mira, hominisq; naturam transcendentia. Dixit autem donum illius gratiarum actionibus prosequendū, cū prius dixerit, ex multis personis. Quid tum? An forte, quod per id quidem quod ait, Ex multis personis, debitores ad gratias agendas insinuet? per illud uerō, Per multos, modos, secūdum quos gratias agere oportet? Haud enim uno duntaxat modo gratias agere sat est, sed pluribus: ita gratus est, ac ita
magnum

magnum nouit beneficium sibi præsitum, imò uerò, ut ipse ait, donum, quòd nec per seipsum idoneum se ad gratias agendas arbitratur, sed nec multos secum, nisi etiam id multis modis fiat. Deinde, pro nobis, inquit. Aliter, PHOTII: Hoc est, quamobrem precibus te adiuuabimus? quamobrem gratias agemus? Sane, & quòd ereptus fuerim, quodq; eripior, inquit, non meum duntaxat auxilium est atq; solamen, sed nihilominus & uestrum. Precibus igitur adiuuastis, gratiasq; egistis, tanquam pro nobis hæc ipsa patientes. Mea siquidem consolatio, mea q; salus, uestra est. Et neutiquam, inquit, hoc in præsentia adhortationis gratia dico: sed in hoc ipso, quòd ita sitis affecti erga me, ut salutem meam & consolationem, uestram ducatis, gloriator semper. Nostra enim gloriatio, inquit, hæc est, quòd ita sitis erga me affecti, quodq; ipse ita de uobis sentiam. Quis te sic affici & gloriari ô Paulus persuasit? Testimonium, inquit, conscientie mee. Per ea profectò quæ erga uos egi: per illa, inquam, maxima beneficia quæ uobis me contulisse sum conscius: per certamina illa quæ inter uos, longè quàm inter alios, abundantius decertauit: hæc, inquam, de uobis me sentire per suadent, quòd meam consolationem & salutem, uestram ipsorum putetis. Et ea propter ego quoq; glorationem meam, hanc ipsam, quam de me patri debitam ignitam dilectionem habetis, facio. Ex hac enim id ipsum gignitur, quòd meam & consolationem & salutem, uestram ipsorum ducatis. Gloria-

tio enim nostra hæc est, iuxta testimonium conscientie meæ. Cum uerò conscientia ipsa testimonium reddidit, indubitata ueritas est. e ¶ Nam gloria nostra.) Quoniam suprà dixerat, se Dei miseratione misericordiam affecutum, ne per hoc audiuorem redderet pigriorem, asserit oportere ut etiam ex proprijs salutis occasiones habeamus à conscientia bona. Testimonium nanq; ait, conscientie nostræ. ac si diceret: Conscientia nostra, bonorum nobis testimonium perhibens, & quòd cum simplicitate conuersati in hoc mundo sumus, maximam nobis consolationis præbuit ansam: imò uerò nec cōsolationis modò, uerum & gloriationis. f ¶ Quòd in simplicitate.) Absq; dolo, sine ulla hypocrisi uel prætextu. g ¶ Non in sapientia carnali.) Nō in astutia uerfutiq; sermonis, quæ ueritatem adumbret, conuersati sumus. Expende autem: in quibus iactabant falsi illi Apostoli, hæc ipse deuitat, & fugit: sed in gratia Dei, hoc est, signis atq; prodigijs, quæ reuera gratiæ, ac muneris Dei erant. h ¶ Sed in gratia Dei.) Quoniam pacto? Quòd cum signis, idq; gratis, ac sine sumptu Euangeliū illis prædicauerat. Illud quoq; animaduertito, quòd id sanè, quod suimet ipsius erat, id ipsum gratiæ Dei adscribat. i ¶ Abundantius.) Quoniam magnum quiddam de seipso fuerat elocutus, nempe quòd absq; sumptu Euangelium prædicauerat: ne quis uerborum insolentiam operibus carentem putaret, testes illos ipsos citat, quòd uera dixerit.

Haud

Haud enim alia, inquit, scribo uobis: hoc est, non peregrina uel extranea sunt ea quæ dicimus. Prius namq; scripserat illis, se absque sumptu Euangelium apud eos prædicasse: at eadem uobis, quæ legitis, scripsimus: hoc est, quæ recordamini esse apud nos. Lectio enim memoria ipsa est, ac prior notio. Et quid, inquam, dico, quorum meministis? Ea quidem quæ nostra esse peculiaria scitis, neq; ut ea quisquã uobis ad memoriam reuocet, ob illorum certitudinem, indigetis: sed antequã uobis ad memoriã reducantur, optime nos. **k** ¶ Spero autem.) Cernis quòd nihil loquitur elatum, sed Deo ipso adscribit omnia. Spero enim, inquit, in Deum, quòd ad finem usq; cognoscetis nos tales esse, quales & ipsæ epistolæ indicant, & uita præterita manifestat, ut ex parte, inquit, nostis. Id autem dicens, modestiam præ se fert. **PHOTII:** Spero, inquit, quòd in finem usq; cognoscetis. Quid? Quòd gloriatio uestra sumus. Non modò autem nos, uerùm etiam uos mea gloriatio estis. Ut enim nunc ex parte id nostis, sic spero perfectè etiam in illa die, quando quisq; eorum quæ gesserit, mercedem inueniet, uos esse cognituros. Per ea namq;, quæ inueneritis pro obedientia credulitateq; mihi ac prædicationi exhibita, tunc perfectè cognoscetis, & non ex parte, quòd gloriatio uestra sumus: & ego etiam salutem uestram, uestrumq; profectum, meam facio gloriationem. **l** ¶ In die Domini Iesu.) Præterea, ne improbus uideretur & grauis, dum loquitur.

de seipso, facinorosa sua cōmuniā facit. Si enim, inquit, talis apparuerō, qualē dixi, in die Domini & in iudicio (haud enim præsentiā contemplari decet, ut impropria, & contumelias, quas audiuius nos Apostoli) si tales igitur apparuerimus, profectō gloriatio uestra sumus. Quomodo? Quōd tales magistros nacti estis, qui humanū docuerint nihil. Et nos etiā in tra nos gloriamur tales nacti discipulos, qui nec uacilent, nec, dum magistros malē affici cernūt, offendāt.

Et^a hac fiducia uolebā ad uos uenire prius, ut^b secundam gratiam haberetis: ac per^c uos transire in Macedoniam, & rursus à Macedonia uenire ad uos, & à^d uobis deduci in Iudæā. Hoc igitur cū deliberarem, nunquid leuitate usus sum? uel quæ delibero, ^f secundū carnem delibero? ut sit apud me, quod etiā, etiā: & quod non, non. & Fidelis uerō Deus, quōd sermo noster qui fuit apud uos, non fuit etiā, & non.^h Nam Dei filius Iesus Christus in uobis, & per nos prædicatus, per me & Sylluanū & Timotheū, non fuit etiam & non, sedⁱ etiam in ipso fuit. ^k Quotquot enim promissiones Dei, ^l in ipso etiam, atq; in ipso amen, Deo ad gloriam per nos.

^a (Et hac fiducia.) Quenam fiducia hæc? quæ inquam? Quōd propter uos gloriamur, quōd estis gloriatio nostra, quōd amamus uos, quōd nihil nobis conscius sumus mali. PHOTII: In hac, inquit, expe- ctatione, in hac spe, quæ & uos meam fore gloriatio-

nem pollicetur in illa die, & me uestram. Quòd si sub hac credulitate, hac persuasione uenire ad uos deliberaueram, planum est quòd ipsa uoluntas perualida fuerit. Non enim fuit humana, sed propter comune lucrum, & salutem animarum. Inuitus itaq; ab hac deliberatione præpeditus fui. Non igitur spontè hoc lucrum neglexi. Hoc autem posuit, quò firmam uerissimamq; ostenderet apologiam: huic studebat, ut nulli ansam præberet offendiculi. **b** ¶ **¶** Ut secundam.) Tum per priorem epistolam, tum per meum aduentum. IOANNIS: Ut geminam gratiam haberetis, literis inquam atq; præsentia. Gratiam uerò gaudium dicit. **c** ¶ **¶** Ac per uos transire.) Atqui in priori sanè epistola dixerat, Veniam autem ad uos cum Macedoniam pertransiero: hìc autem, Volebam ad uos uenire prius. Quid igitur? sibimet contrarius est? Absit. Sed hoc est quod dicit: In tantum profectò absuit à me negligentia proficiscendi ad uos, ut (quò ad uoluntatem meam) antequàm etiam uidissem Macedoniam, uenire ad uos decreuerim: at non successit mihi, ait, ad uotum. **d** ¶ **¶** Et à uobis.) Dixerat in priori: Ut uos me deducatis quocunq; perrexero: nunc autem quò sit perrecturus dicit, nempe in Iudeam. Nam tunc, quonam à spiritu proficisci iubere tur, ignorabat: nunc autem quid esset reliquum audierat. Vidés ne à spiritu quocunq; ducis? **e** ¶ **¶** Hoc igitur.) Hoc igitur, adire inquam uos, cum deliberrarem, quamobrem non ueni? an ut leuis, instabilis,

& meis ipsius uerbis contrarius? Absit. Ecquidnam
 in causa est? Quoniam quæ delibero, num secundum
 carnem delibero, ut apud me sit, quod est etiam, etiã,
 & quod non, non? quod sanè interrogatiuè posuit.
 Et quidnam uelit considera. Carnalis, inquit, homo,
 & qui secundum carnem cogitat deliberatq; , ut qui
 ad ea quæ faciendã sunt spiritus sancti energia non
 agitur, liber est, ut quocunq; uelit proficisci queat: at
 qui à sancto spiritu ducitur, potestatem non habet
 quocunq; uoluerit abeundi: hero nanq; subest para-
 cletus, ipsiq; spiritui obtemperare cogitur. Igitur nõ
 quasi leuis, instabilis, ac mendax uenire distuli: sed
 ipse spiritus, quo agor, in causa est, qui aliò, quam uo-
 lebam, duxit. Sed perspice sapientiã. Quod sanè de-
 tractores anson calumnie faciebant (uidelicet pollici-
 tum se esse uenturũ, nec uenisse) id ipsum encomij oc-
 casionem efficit, quòd sui scilicet iuris nõ sit, uerum à
 spiritu, quocunq; uisum illi fuerit, ducatur. Vel quæ
 delibero, secundum carnem delibero? PHO-
 TII: Dubitant quidam dicentes: Vtrum quæ deli-
 berat Paulus, quæq; pollicetur de fidei dogmatibus,
 secundum carnem deliberat, polliceaturq; , an secun-
 dum spiritum? Si enim secundum spiritum, neutiquã
 illius erit illud quod etiam, etiam, & quod non, non.
 Si secundum carnẽ, quomodo diuina? quomodo spi-
 ritualia? Quid igitur, inquit? Nempe de fidei ipsum
 dogmatibus nihil iam polliceri, nihilq; deliberare.
 Enimvero dominicæ sunt promissiones, magniq; il-
 lius

lius decreta consilij. Porro Paulus præco tantummodo est, atq; minister (ut ipse quoq; ait) CHRISTI mysteriorum: iure ergo de suis met rebus neq; deliberat ex sese, neq; pollicetur. At si de fidei dogmatibus, nihil, aiunt, uel deliberare ei licebat, uel polliceri. Ceterum secundum carnem opus non est ut ipse rursus deliberet: etenim hoc etiam renuit ipse, dicens: Aut quæ delibero, secundum carnem delibero? Igitur si in neutris uel deliberat uel pollicetur, quibus iam in rebus uel deliberat omnino, uel pollicebitur? Dicimus itaq;, quod & diuina sunt & humana, uel si placet, & spiritualia sunt & carnalia. Et ipsa quoq; spiritualia multum inter sese differentia sunt. Sed iam ad propositum ueniamus. Alia quidem uirtutes, alia ipse prædicationis sermo, alia rursus non ipse quidem idem est, illis tamen qui prædicationis etiam sermonem ceperint, admodum congrui, de quibus Paulo & deliberare licebat, & præcipere. Enimuero ait: Præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam à Domino misericordiam affecutus, ut sim fidelis. Ac rursus carnalium, alia quidem contraria sunt spiritui, alia uero spiritui non contraria: itemq; alia ferè cum spiritualibus eadem. Contraria quidem, ut impietas, incredulitas, furtum, fornicatio, & similia. Alia uero penè etiam contraria, ut cibus, somnus, uigilia, & cetera id genus. Postquam igitur ostensa sunt differentia, quæ ad id, quod ante proposuimus, conferant, tum spiritualia, tum carnalia, oportet & hoc

paucis addere: quòd quemadmodum inter spōsores,
 deliberatoresq; multa differentia reperitur, ita quo-
 que inter promissa atque decreta, multa differentia
 intererit. Alij nanq; de quolibet dictorū deliberantes
 ac pollicentes, siue secundum carnem, siue secundum
 spiritū, deliberationem pollicitationemq; facient. At
 Paulus de prædicatione nec deliberabit, nec pollice-
 bitur. Prædicabit enim duntaxat, administrabitq;
 prout segregatus fuerit, atq; missus. Falsi uerò Apo-
 stoli deliberabunt, pollicebunturq;: uitiant enim cau-
 ponantq; Domini uerbū. De ijs igitur quæ fidelibus
 quidem congruunt, & à Christo sancita nō sunt, quæ
 etiā spiritualia sunt, & deliberabit, & consiliū (quem
 admodū iam diximus) dabit. Et planū est, quòd etiā
 ex hoc solo dubietas omnis soluitur. Reperiuntur e-
 nim quædā, de quibus deliberet, cōsulat, legē statuat:
 & tamen adhuc etiā dicendū est, De carnalibus siqui-
 dem, quæ spiritui cōtraria sunt, etiā deliberabit: uerū
 spiritualiter, super electione, & fuga eorū: falsi uerò
 Apostoli deliberabunt quidem, sed secundum carnē,
 sanē contrario modo spiritui. Sed de carnalibus, quæ
 spiritui nō sunt contraria, deliberabit Paulus: sed casti-
 gans semetipsum, sed fame & siti decertas, & palam
 est, quòd spiritualiter: at cōtrā falsi Apostoli. Ut sum-
 matim uerò dicā, secundum carnē quidem, ut contra-
 riē spiritui, neutiquā deliberabit Paulus, in nullo om-
 nino: uerū secundum carnē, ut aliter tantū, diuersèq;
 à consilio spiritus, persæpe cōsuluit: sed nunq; in præ-
 dicatio-

dicatione, absit: nō in alijs spiritualibus, sed in carnalibus quæ spiritui nō sunt cōtraria. Vapulare siquidē noluerat, & tamē uapulauit: adire proposuit, sed fuit coercitus: noluerat egrotasse Timotheū, egrotauit tamen: & mille alia. Quōd autē ipse nunc ait, Secundū carnē, pro, iuxta arbitrij uoluntatisq; suæ libertatē, iuxta quod nulli subditus erat, accepit. Illud etiā contemplator, f. ¶ (Secundū carnem delibero.) Quam obrem cū polliceretur Paulus, nō cum energia spiritus pollicebatur, sed ignorans an pollicitationes impleturus esset? Dicimus, nō omnia præscisse Apostolum, unde & ea postulat quæ minimè conducunt, uti super stimulum carnis suæ. & rursus: Quid enim precer, ut oportet, nescio. Et in Actis Apostolorum ostenditur aliquò proficisci uoluisse, & à spiritu sancto prohibitū. Porro utiliter id fiebat, ne maiores illos quispiam suspicaretur, quàm natura portet humana. Illis enim, etsi spe sua frustrabantur, sæpe tamen, quasi dijs, sacrificare uoluerunt Lycaoniæ.

¶ (Fidelis uerò Deus.) Emergentem soluit objectionē. Si ignoras, inquit, an euentura sint quæ spondes, ac sæpius dicis in re aliqua, etiā, reperiurq; nō, ueriti sumus ne sermo quoq; tuus, nobis uidelicet de fide prædicatus, sit etiam atq; non. Ait itaque: Quōd me uenturum pollicitus fuerim, meum sanè fuit, & ideo non euenit: prædicatio uerò ipsius Dei est, unde nec suo euentu frustrabitur. Fidelis nanque Deus est, hoc est, uerax, quōd sermo noster ac prædicatio,

inquit, non fuit etiam & non, sed etiam erit, & etiã.
 Hac enim de causa uerax, quod non fuit etiam & nõ.
 h. ¶ Nam Dei filius.) Postea uerò qualis sermo
 non fuerit etiam atq; non, imò perseueret immobilis,
 dicit: Nam filius Dei, inquit, prædicatus apud uos,
 nequaquam etiam fuit & non: hoc est, haud quidem nunc
 modo hoc, aliàs uerò modo alio prædicatus fuit: imò
 etiam in illo fuit, hoc est, immobilia sanè & incõcus-
 sa fuerunt, quæ in ipsam prædicata sunt. Idcirco etiã
 multitudinem eorum qui prædicarunt recenset: Per
 me, inquit, & Sylluanum, & Timotheum. rursusq;
 Per nos, in plurali: hoc pacto fide dignam prædica-
 tionem faciēs, humilitatemq; præseferens, cum suos
 ipsius discipulos, Timotheum inquam & Sylluanum,
 socios nuncupat prædicationis. i. ¶ Sed etiam in
 ipso.) IOANNIS: Non ea, inquit, peruerti, quæ
 in prima dixeram prædicatione: neq; id modò, mo-
 dò autem differui aliud: id enim nequaquam fidei, sed
 animi plurimū oberrantis dixerim: sed in prædica-
 tione illa fuit etiam: hoc est, quod dixi, immobile fir-
 mumq; manet. h. ¶ Quotquot enim.) Multa sa-
 nè ea sunt, quæ in prædicatione promissa fuerūt: nem-
 pe resurrectio mortuorum, adoptio, & spes futuri se-
 culi. Ait itaq;: Non modò prædicatio semper eodem
 sese modo & habet, & prolata est, uerum & ipse,
 quæ in ea continentur, promissiones: Dei enim sunt.
 Vel certè promissiones ipsam dicit prædicationem.
 Nam coniunctio illa, enim, hoc insinuat. Iam enim
 multis

multis antè temporibus fides in CHRISTVM promissa fuit. l. ¶ In ipso etiam.) Quotquot enim promissiones in ipso Deo, id est, per ipsum Deum, etiam habent & amen. Habentes enim hoc, ut adimpleantur, etiam & amen habent, ad hoc ut per nos Deo ad gloriam cedant. VEL sic: Quotquot enim sunt promissiones Dei, in ipso habent etiam, atque amen per nos. ac si dixisset: Ipse profectò promissionibus etiam impertitur, idq; per nos hac de causa facit, ut Deus, qui tot facit, tantaq; per homines, dignas assequatur laudes.

^a Qui autè confirmat nos uobiscū in Christum, ^b quiq; unxit nos, Deus: & signauit nos, ^c deditq; arrabonem spiritus in cordibus nostris. Ego uerò testem Deum inuoco in animā meam, quòd ^d parcens uobis nondum uenerim Corinthum: ^e non quòd dominemur uobis nomine fidei, sed ^f coadiutores sumus gaudij uestri, ^g nam fide statis.

^a ¶ Qui autem confirmat.) Quoniam dixerat, Per nos Dei promissa cōplentur: hoc idem emendat, & dicit: Per nos quidem, ueluti per ministros agit: porrò ipse pater, qui confirmat nos, deditq; suas complet pollicitationes. PHOTII: Qui autè confirmat nos, & que sequuntur, uel per defectum, tota penitus oratione deficiente, dictum est: uel per defectum solius uerbi Est: ut ita sit, Qui confirmat nos, quiq; reliqua facit, Deus est. Verum si iuxta defectū

dictionis acceperis, ad illud uidelicet, qui unxit
 nos, subsistere, punctumq; figere oportet, ut sit deinceps
 iuxta finale punctum uox illa, quæ subinfertur,
 Deus. Hoc est: Deus est qui confirmat nos, & unxit
 nos, & signauit nos, & dedit arrabonem spiritus in
 cordibus nostris. Et planum est quod reliqua mem-
 bra, quæ deinceps uoculam illam Deus sequuntur,
 per finale punctum legentur. At si ueluti per defe-
 ctum totius dicendi ordinis accipiatur, ipsa quoque
 prima periodus usq; ad uoculam illam Deus, lege-
 tur per medium punctum, & quod reliquum est, quod
 uerò subsequitur, dubietatem habebit; subintellecto
 eo quod deficit ad finale punctum, uel quasi deficien-
 te, ad subdistinctionem terminabit. **b** ¶ Quisq; un-
 xit.) Qui in ueteri testamento ungebantur, aut sa-
 cerdotes, aut Prophetæ, aut reges fiebant. Nunc etiã,
 inquit, ut reges quidem fiamus, passionumq; princi-
 patum teneamus, ungemur. Sacerdotes uerò, ut pro-
 pria corpora sacrificemus, iuxta illud: Exhibete cor-
 pora uestra hostiam uiuam. Prophetæ autẽ, dum ma-
 gna docemur mysteria. Ungit uerò signatq; pater
 per spiritum sanctum: hæc enim, ait, unctio uidelicet
 ac signaculum, paraclæti est arrabon. Ob id non ait,
 qui dat spiritum, sed, spiritus arrabonem, spes futu-
 ras confirmans. Arrabon quippe cõmercium omne
 confirmat. Præsens igitur arrabon spiritus, fidem no-
 bis futurorum facit, quæ nec oculus uidit, nec audiuit
 auris. **c** ¶ Deditq; arrabonem.) Extrinsicus
 hoc

hoc subintelligendum est. Qui nos in CHRISTVM confirmat, qui unxit, quiq; signauit nos, & dedit arrabonem spiritus in cordibus nostris, is (inquit) est qui suas perficit pollicitationes. Inspice obsecro, qua ratione apertissime sanctam patefecit Trinitatem. Pater, inquit, est qui nos in CHRISTVM confirmat, unxitq; per spiritum sanctum: ipse quoq; est qui cōplet promissa. Illud uerò, Complet, sic est intelligendum, ut ad singulas trium personarum unius diuinitatis ipsum repetas. d ¶ Quòd parcens uobis.) Cū in superioribus dixerit, eò quòd sui ipsius potestatem minimè habebat, aliò à spiritu se missum fuisse: quomodo nunc ait, Parcens uobis non ueni? Et dicimus, quòd quando à spiritu ne iret prohibitus fuit, ut eis parceret non iuit. Vel cum interdicto, spiritus & hoc interdixit, uel etiam hac de causa prohibitus ab eo fuit. Peccauerant enim quidam, & nondum resipuerant, eorumq; resipiscentiam præstolabatur, & hac de causa dixit, parcens. Demandatū siquidem illi fuerat, ut etiam peccantes corrigeret: cuius rei testimonium perhibet Elymas magus. e ¶ Nō quòd dominemur.) PHOTII: Non quòd dominemur uobis nomine fidei: hoc est, propter fidem nequaquā uobis dominamur. ut ita sit: Non idcirco fideles effecti estis, ut à nobis uel seruitute premamini, uel puniamini. Licet enim hoc esset, ipsi, ait, fide statis, nec uenia, nec ultione fidei causa opus est. Id uerò ait, quò obiectionem illam, quæ emergere uidebatur, soluat.

Perinde enim ac quibusdam succensuris, atq; dicturis: Quid dicis, Parcā uobis? Num igitur ob id ad fidem uenimus, ut audiamus abs te, Parcā uobis? Nisi enim pepercisses, quid prorsus? punires? supplicijs daretur? Ne igitur talia per disceptationem prosequerentur, ac secum uoluerēt, occurrens ait: Non quōd, tanquam nomine fidei, potestatem acceperim super uos, cūm puniēdi, tum parcendi, parcens uobis, dixerim: sed nolens mœrore uos affici. Nam si mœrens uenissem, certō scio quōd mœrore me cernentes affectum, mœrore & ipsi afficeremini. Sed contrā, gaudij uestri spiritualis cooperator sum: quod sanē erit, si opere illo, quod tristitiæ meæ in causa fuerat, ex uobis sublato, ad uos cum gaudio ueniā. Gaudebitis namq; etiam uos spiritualiter mei causa. Deinde quasi addubitante quopiam: Quid igitur fugis, odistiq; afficere nos mœrore: rursum infert: Non semper, inquit, imō contrā, quandoq; illud & sequor & amo, ubi uidelicet propter tristitiam uestram lucrum inuenio, uestram inquam ipsorum salutem. Non autem semper mœrore uos affici, quin potius emendatos, in gaudio & exultatione esse cupio. ¶ Sed coadiutores sumus.) Quoniam id quod dixerat, Parcens uobis, non nihil arrogantiæ habere uidebatur (ijs enim quis parcit, super quos habet dominium) huic medetur, inquiens: Non quōd potestatem fidei uestræ habeam, dixi, Parcens: (uoluntatis enim, electionisq; ac liberi arbitrij est fides: & nemo inuitus credere cogitur)

gitur) sed ea de causa dixi Parcens, quoniam, inquit, gaudij uestri coadiutores sumus. Quidnam uerò sit hoc, expendite. Exultans, inquit, ego in uos, unà uobiscum laboro, ut & ipsi ob meum gaudium, quo de uobis gaudeo, gaudeatis. Si igitur uenissem, propter eos qui peccauerant, neuiquam cum gaudio uenissem, sed cum mœrore, in quem uos etiam iniecissem. A ueniendo itaq; abstinui, atq; peperci, ne ansa uobis fierem mœroris. **g** ¶ Nam fide statis.) Cùm dicit, fide statis, labâtes in cæteris indicat: quippe quod postea in epistola calce manifestat.

CAPVT II.

SEd decreui apud me ipsum, non ^a rursus in mœrore uenire ad uos. ^b Nam si ego mœrore uos afficiam, & quis est qui me lætificet, nisi is qui mœrore ex me afficitur? Et ^c scripsi uobis hoc ipsum, ne si uenissem, mœrorẽ haberem ex ijs, ex quibus lætari me oportebat: cõsensus de omnibus uobis, ^d quòd meum gaudiũ omnium uestrũ sit. Ex ^e multa siquidem afflictione & anxietate cordis scripsi uobis, per multas lachrymas: non ut mœrore afficeremini, sed ut cognosceretis ^f quam abundantiore erga uos habeam charitatẽ. Quòd si quis contristauit, non me contristauit, sed ^g ex parte, ne aggraue omnes uos. ^h Sufficit ⁱ istiusmodi homini obiurgatio hæc, quæ facta est à pluribus, ^k adeo ut e diuerso magis condonetis & consolemini, ne ^l fortè maiori absorberetur tristi-

tia eiusmodi. Quapropter^m obsecro uos,ⁿ ut ratam in illum faciatis charitatem. In hoc si- quidem scripseram,^o ut cognoscerem probationem uestri, an ad omnia obedientes sitis.

a ¶ Non rursus in mœrore.) Vocula illa, rur- sus, olim etiam iisdem de causis eum mœrore affectū indicat. **b** ¶ Nam si ego.) In hac oratione, si enim ego mœrore uos afficiā, particula illa, Si, pro ut- nam accipiatur: sicq; nihil ambiguitatis, nihilq; oc- curret obscuritatis. Medetur sanè hic sermo: ait e- nim, Tametsi in reprehendendo, fastidioq; afficiēdo, mœrorē uobis incutiam, ob id ipsam tamen & lator, quòd tantæ uobis curæ sim, ut eodem quo ego, & do- lore & tædio mœreatis. Quid enim me adeò letitia afficit, ut increpatorum sensus? Hinc enim utilitatem quandam ex increpationibus prouenisse coniectat. **c** ¶ Et scripsi.) Quando, & quidnam scripsit? In huius epistolæ calce. Scripsit autē, quò eos qui pecca- rant, reduceret ad poenitentia. Ne enim si uenissem, inquit, humiliasset me Deus, luxissetq; complures qui antea peccauerunt, nec poenitentiam admisserūt. Hoc igitur antea scripsi, inquam, ut corrigantur: & ne uidelicet de uobis tristitia, de quibus gaudiū habe- re oportebat, habeā. **d** ¶ Quod meū gaudiū.) Et cum hoc, inquit, uolo, nequaq; ut ego duntaxat gau- deam uolo, imò ut uos etiā. Cōsilius sum nanq; fratru correctionem, tam mihi, quàm uobis gaudium parti- turam. Nam gaudium meum (talisis est, inquit, amor

erga

erga me uester) gaudij uobis occasio est. e ¶ Ex
 multa siquidem.) Ex quo igitur fratrum correctio
 com̄unis gaudij conciliatrix est, plurimum ipsam di-
 ligo: quæ si non fiat, affligor diuexorq;. Accusatio-
 nes itaq; increpationesq; illæ, quas scripsi, ex affli-
 ctione & cordis angustia scripsi: haud eò studiū meū
 spectans, ut mœrore afficeremini (id namq; maximè
 etiam inutile esset) sed ut spiritualiter, & ad corre-
 ctionem tristaremini. At hoc sanè non dicit, sed eis
 mederi cupiens, ait: Vt cognosceretis charitatem er-
 ga uos meam. Quòd enim agrè feram, angerq; pro-
 pter uestra peccata, maximæ charitatis argumentū
 est. f ¶ Quam abundantius erga uos.) Plus, in-
 quit, q̄ erga cæteros discipulos meos. Etenim multi fi-
 deles Corinthi erāt, ijq; probati. g ¶ Sed ex parte.)
 THEODORETI: Maius quiddā fari uoluit, & ostēde-
 re, corpus omne ecclesiæ de tristitia participasse. Verū
 alijs omisissis fidelibus, Corinthiorū dūtaxat mētionē
 facit. Id enim uerba illa præ se ferūt, ex parte, & ne
 onerē. Paternū deinde amorē denudat, inquit: Suf-
 ficit ei, qui est huiusmodi, ipsa redargutio. h ¶ Suffi-
 cit.) Vult per hæc, ut charitas erga eū qui fornicatio-
 nē patrarat, ratificetur, cōfirmeturq;, de quo in prio-
 ri epistola scripserat: per huius nāq; præceptiones om-
 nes eū fuerat auersati. Et uide quid agat. Socios illos,
 nō secus ac qui omnes com̄uniter hac re mœrore affe-
 ctū sunt, efficit: ut et uenia, qua indulgetur, participes
 fiat. Si quis cōtristauit, inquit (eū qui fornicatus fuerat

inquiens) nō me contristauit solum, sed uos in parte. Id enim est, ex parte. In parte dixi, ait, ne aggrauem: hoc est, ne exasperem contra eum omnes uos. Vel sic cum hyperbato: Contristauit uos omnes in parte, & hoc dixi, ne amplius eum, qui fornicatus est, aggrauem, si tantū populū contristasse dicam. i ¶ Istiusmodi homini.) Hac sanè de causa neq; in superioribus, neq; hīc nomen illius ponit, ne forte denominatione eius Corinthiorum iterum indignatio ebulliret. k ¶ Ad eò ut.) Non modò, inquit, reprehensionem relaxate, uerum etiam eum consolemini, ac in priori hunc ordine habetote. Contraria sanè est increpationi consolatio. At uide: ne satis resipuisse fornicator putaret, in futurumq; fieret segnior, ait, Condonetis. Tametsi, ait, dignus non fuerit qui iuxta debitum accipiat uentam. l ¶ Ne forte.) Quemadmodum Iudas tristitiæ immoderantia: uel certè absorberetur à satana. Porrò ineffabilem huius mœrorem indicat. m ¶ Obsecro.) Non tam uti magister imperat, imò ut patronus iudices & hortatur, & orat. n ¶ Ut ratam.) Non utcunq; sed firmiter. Ceterum maximam id Corinthiorum uirtutem indicat, quòd fuerint ad eò permutati, ut eum quo antea inflarentur (& uos, inquit, inflati estis) nunc hostem ducerent sempiternum. o ¶ Ut cognoscerem.) In obedientia inquam. Ad hoc enim scripseram, hoc est, eapropter uobis hæc scripseram, ut cognoscerem, an quemadmodū mihi obtemperastis, uosq; ab eo segregastis:

gastis: sic etiam ad hoc quoque obediretis de eo admit-
tendo. Id enim dicit, an ad omnia obediētes sitis.
Non modò, inquam, salutis illius causa, ne nimio ab-
sorberetur mœrore, scripsit, uerum etiam ut eos ad
obediendum hortaretur.

^a Cui autē aliquid cōdonatis, & ego. Nam & ego si quid cōdonauī, cui condonauī, propter uos in ^b facie Christi, ^c ne circūueniamur à sarna. ^d Nō enim illius cogitationes ignoramus. Cū autem uenissē Troadem ad ^e Euange-
lium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, ^f non habui requiem spiritui meo, eò quòd non inuenerim Titū fratrem meum: ^g sed dimissis illis abij in Macedoniam. ^h Deo autem gratia, qui semper triumphat nos ⁱ in Christo, & ^k odorem notitiæ suæ ^l manifestat per nos in omni loco. Quoniā Christi bonus ^m odor sumus Deo, in his ⁿ qui salui fiunt, & in his qui pereunt: his ^o quidem odor mortis in mortem, illis uerò odor uitæ in uitam. ^p & ad hæc quis idoneus?

^a ¶ Cui autem.) Expende, priori illos loco, se uerò sequenti locauit. Ne audito deinde, cui quipiam condonatis, de suo pendere arbitrio arbitrentur, tum solucre, tum nō, se ipsum apposuit dicens, Et ego. Vestri inquam gratia donauī: noueram enim ex hoc uobis quoque gratiā me præstare. Item ne propter homines induluisse putaretur, infert, in facie Christi: id est, propter CHRISTVM hoc feci, &

tanquã præ oculis CHRISTI hoc peragens. Vel in
 facie CHRISTI, hoc est, ad CHRISTI gloriam: ut
 nomen eius ac facies, pro benignitate glorificetur.
 Etenim discipulorum humanitas, CHRISTI gloria
 est. Si igitur id quod fit, in gloriam CHRISTI cedit,
 quomodo potestis huic non indulgere, eumq; non am-
 plecti? b ¶ In facie Christi.) In facie Christi, uel ad
 gloriã Christi, uel quasi ipso Christo iubete: quod ma-
 ximè ad persuadendũ eis ualebat. c ¶ Ne circũue-
 niamur.) Hoc autẽ dico, ne à satana circũueniamur.
 Si enim ita fuerit derelictus, ex abundantioriq; tristi-
 tia absorptus, nimirũ à diabolo circũueniendi sumus.
 Tollens quippe quod suum nõ est, CHRISTI minue-
 ret gregem, corpusq; nostrũ dilaniaret: omnes enim
 alter alterius, inquit, membra estis. d ¶ Nõ enim.)
 Varij siquidem sunt doli eius, machinamentaq;: non
 enim ex eo tantum, quod in fornicationem præcipi-
 tet, decipit, uerũ etiam ex pœnitudinis mœrore in
 desperationem pessundare potest, si mensuram ex-
 cedat. Cum igitur propterea quod & pœnitudine af-
 ficimur, & peccauimus, facile ab eo capimur, quomo-
 do non circumuenimur? e ¶ Ad Euangelium.)
 Non temerè peregrinatus sũ: ceterũ ad Euange-
 lium, hoc est, ad prædicandum peregrinatus sum.
 f ¶ Non habui requiem.) Vult hoc sanè di-
 cere, quod ultra afflictiones, ipsa quoque Titi ab-
 sentia plurimum ipsum afflixit: quantum sit fra-
 tre destitui præ se ferens. Attamen nequicquam
 dixit,

dixit, Non prædicauit, uel fratrum salutem circa fidem non curauit: sed, Non habui requiẽ spiritui meo: hoc est, & mœrore & anxietate affectus sui, non tamen idcirco prædicatio præpedita fuit. At tantus, inquit, fuit mœror, quod etsi porta mihi patèret, id est, cum discipulorum copia adesset, ac sermo curreret, mœrebam tamen absentia Titi. Insinuat per hæc, quãtũ fuerit Titus utilitatis necessitatisq; quod absq; eo, & quidem aperto ostio, quoniã aberat, requiem nõ habebat. Verũm hoc ait, & ut Titum commendet Corinthijs (missurus nanq; erat illum) & ut ipsius erga eos studium indicaret: quandoquidẽ ad eõ is sibi ad prædicationẽ necessarius sit, ipse tamen utilitatem eorum præferat: idcirco hunc & misit, & mittet, licet præsentia illius plurimum ipse uteretur. g ¶ Sed dimissis illis.) Quod dixerim, dimissis, non est dixisse, retrahens meipsum à prædicatione: nequaquã: esset enim ac si propter absentia Titi prædicatio ipsa tulisset impedimentum: sed pro eo ut dicerem, Tantũ apud eos mansi, quantũ uoluerũt ipsi: id ipsum forsitan spiritu sancto permittente. Nõnihil tamen etiam Titi fecit absentia. Fortẽ etiam necessarius illi erat ad prædicationẽ Titus. h ¶ Deo autem gratia.) Deinde quoniam complures mœrores recensuerat, qui tum in Asia, tum Troade illi acciderant, nempe causas cur ad eos non uenerit: ne doctis mœrentisq; uerba hæc arbitrarentur, addit: Deo autem gratia, qui triumphat nos. Id est, gratias

Deo agimus, qui nos per mala, quae patimur, ostentat, palamq; facit: demonstrat inquam per uictorias, perq; ea quae contra diabolū dimicantes figimus trophaea. Id nanq; triumphus indicat. Dum enim mala patimur, contra diabolū statuuntur, uictoriae. Quò enim quis plus patitur, eò magis uincit. i ¶ In Christo.) Quasi, propter CHRISTVM, propter praedicationem. k ¶ Et odorem notitiae suae.) Odor notitiae duo significat: tum quòd praedicationis coelestis unguentum est, tum quòd nequaquam omnibus est uel celata, uel manifesta, ut alibi quoq; dicit: Cer-

1. Cor. 13. nimus nunc per speculum in enigmate. Sicut enim odor alicubi unguentum esse significat, spirantis uero substantiam non aperit: ita etiam notitia, quae per praedicationem: patefacit sanè Deum esse, at qualitate substantiae nequaquam. l ¶ Manifestat per nos.) Fragrantia enim sumus, inquit, coelestis huius unguenti ac thymiamatis, odorem eius quocumq; circumferentes. m ¶ Quoniam Christi bonus odor sumus.) Non modò, inquit, fragrantiam praedicamus, uerum etiam nos Apostoli fragrantia ipsi sumus, quae ueluti CHRISTO Deo, unde et originem habuit, sursum fertur. Quomodo? Vel nos ipsos sacrificantes, uel ab externis rebus quotidie morientes, computatiq; in sacrificium CHRISTI. n ¶ In his qui salui fiunt.) Et bonus itaq; odor sumus, et bonum praedicamus odorem: etsi alius ex hoc fide quidem seruetur, alius autem incredulitate pereat. Quemadmodum

dum enim sol ac mel, lippis & male affectis nõ iuxta propriam uidetur naturam, non tamen obscurus est ille, uel amarum illud: ita quoq; & prædicatio, & nos. Licet nonnulli incredulitate pereant, non ideo nõ est spirituale unguentum: imò & propter hoc mirari licet, quòd malos redarguit: quandoquidem (ut fertur) unguentum porcos suffocat, & ignis absunit spinas. IOANNIS: Siue enim, inquit, seruetur aliquis, siue percat, Euangeliũ tamen eiusdem potentie perseuerat. Haud enim perditio opus illius est, sed ipsorum incredulitatis. o ¶ His quidem odor mortis in mortem.) Non sui natura, sed malitia horũ: quandoquidem etiam CHRISTVS fuerit lapis offensionis, ac petra scandali, his duntaxat qui percunt. GREGORII Nysseni: Fragrantia hæc pro cuiuslibet dispositione uel uiuifica fit, uel mortifera, non secus ac si idem unguentũ & cantharo & columbæ apponatur, nõ idem per agit in utroq;: sed columba quidẽ unguenti fragrantia fit robustior, cantharus uerò deficit. Ita quoq; Paulus, diuinum inquam illud thymiam, si quis sanè columba fuerit, quemadmodum Titus, Syllanus, atq; Timotheus unà cum illo, boni odoris uitæ particeps factus est, proficiens in omni bono exemplis illius. Si autem Demas quis fuerit, uel Alexander, uel Hermogenes, thymiam modestiæ non ferens, is more cantharorũ, ob bonum odorem aufugit. p ¶ Et ad hæc quis idoneus? Nunquid ad tantam gratiã idoneos nos esse putatis, ut bonus Christi

odor sumus? Minimè inquam, uerū gratiæ totum est.

Non enim sumus^a ut pleriq; cauponantes uerbum Dei, sed uelut ex synceritate, uelut^b ex Deo, in conspectu Dei in Christo loquimur.

CAPVT III.

INCIPIMUS^c rursus nos ipsos cōmēdare. Num^d egemus, ut nōnulli, cōmēdatitijs epistolis ad uos, uel ex uobis? ^eEpistola nostra uos estis, ^fin scripta in cordibus nostris, quæ ^gsintelligit & legitur ab omnibus hominibus, dum manifestatis, quòd estis ^hepistola Christi, ⁱsubministrata à nobis, scripta nō atramēto, sed spiritu Dei uiuētis, nō in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnis. ^kFiduciam autē huiusmodi habemus per Christū ad Deum, nō quòd idonei simus ex nobis ipsis cogitare quicq;, tanq; ex nobis ipsis: sed id, quòd idonei sumus, ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, ^lnon literæ, sed spiritus. ^mLiteræ enim occidit, spiritus autem uiuificat.

^a ¶ Nō enim sumus ut pleriq;.) Falsos hīc Apostolos, qui gratiā Dei suū ipsorū opus dicebant, suggillat, & ait: Hac de causa dixi, Quis idoneus? & deo totū retuli. Non sum ego ut pleriq;, id est, falsi Apostoli, qui Dei munera cauponem atq; adulterem. Cum enim Deus sit qui donum largitur, dicat uerò quispiam suis id laboribus conquisisse, is nimirum gratiā Dei uitiat. VEL dicit hoc: Idcirco sanè ijs quidem qui pereunt, odor est mortis: ijs uerò qui seruantur, odor uitæ: quoniā nō cauponamur uerbū, ut pleriq;,

qui

qui illud turpis lucri gratia, & tēporibus cōmutant,
 & personis: ceterū prædicamus ueritatē, quò & ser
 uentur digni, & indigni sua ipsorū incredulitate per
 dantur. Ex sinceritate nanq; & quæ nouimus, &
 quæ ab ipso Christo audiuius, loquimur. b ¶ (Vt
 lut ex Deo.) Sed perinde ac qui ex Deo & accepe
 rimus, & didicerimus, quiq; in conspectu Dei loqua
 mur, & ut in Christo, id est, per Christum instructi ac
 docti loquimur. Papæ quantā prædicationi testifica
 tus est ueritatē. c ¶ (Incipimus rursus.) Fortē quis
 dicet, inquit, quòd recenseamus hæc, ut nos ipsos uo
 bis cōmendemus. d ¶ (Num egemus.) Interrogati
 uē legatur. An egemus cōmendatitijs literis, uel à uo
 bis ad alios, uel ad uos ab alijs? At per hoc falsos sug
 gillat Apostolos. e ¶ (Epistola nostra.) Pro, episto
 la, inquit, quæ nos cōmendare possit, uos ipsos, ac ue
 strum secundū Deū bonū nomē habemus. Bona enim
 discipulorū fama, uirtutis magistri argumentū est.
 Qui igitur in ratione cōmendationis uos ipsos habe
 mus ad alios, quomodo ad uos cōmendatione indige
 mus? f ¶ (Inscripta in cordib. nostris.) Cū uos,
 inquit, ita habeamus in mēte, ut in nobis etiā inscripti
 esse uideamini, & quòd uos indelebiles quocunq; cir
 cūferamus, & ex uirtute uestra pro cōmendatione
 ad alios habeamus. Quod sanē in priori quoq; episto
 la dixit, Signaculū, sigillū meū Apostolatus uos
 estis in domino. g ¶ (Quæ intelligit.) Dum quocunq;
 uos in memoria circūferimus. Lectiōne itaq; cognosci

mini. At lectionē uocat suā, de illis tū elocutionē, tum memoriā. h ¶ Quòd est is epistola Christi.) Quo modo? Quandoquidē lex eius mandataq; apud uos, perinde atq; literę, manēt, custodiūturq;. i ¶ Subministrata à nobis.) Porrò scientię prædicationisq; ministri erga uos ipsi fuimus. Et sicut Moses legis, ita & nos prædicationis ministri fuimus: & quemadmodum ille tabulas, sic nos corda uestra cælaumus. Deinde ex hoc ad ueteris ac nouę legis comparationem uenit, & ait: illa quidem atramento, hæc autem spiritu scripta fuit: illa in lapidibus, hæc uerò in tabulis carnis, hoc est, in cordibus. Quantò autem spiritus atramento, & cor lapidibus, tantò etiam, inquit, nouum testamentum ueteri præstat, ac legi, k ¶ Fiduciam autem.) Atent, quontā quòd ostensum fuerit nouum testamentum ueteri, ac legi præstare, subaudiebatur per consequens, Mosi ueteris instrumenti ministro præstare Apostolos (eadem enim de causa præstant ministri, qua & res) totū id Deo adscribit, & ait: Fiduciam talem habemus. Hyperbaton est, quòd idoneitas (ut ita dicam) nostra ex Deo est, & quę per medium sequuntur. Audemus, inquit, ac fiduciam ad Deum habemus, quòd per CHRISTVM nobis audere liceat: quòd nos quidem non solum idonei nequaquā sumus qui tali fungamur officio atque ministerio, uerum etiam ne uel qui mente quidem concipiamus tantę rei magnitudinem, uel quicquam omnino in eo cogitemus: sed quòd ipse approbauit nos,

ut tan-

ut tantam ad rem idonei simus. I ¶ Non literæ, sed spiritus.) Lex nanq; gestabat literas: CHRISTI autem prædicatio, spiritus ministracionem. Erat sane lex spiritus, at spiritum non elargiebatur: quod quidem efficit prædicatio. Ac si dixisset: Nequaquam nobis, ut Mosi, creditæ literæ sunt: imò ut etiam spiritum demus. Per impositionem quippe manuum Apostolorum, immisio fiebat spiritus sancti. m ¶ Litera enim occidit.) Lex profectò, ait, occidit: si enim eum, qui deliquit, apprehenderit, extinguit. Si quis enim, inquit, legem Mosi fuerit prætergressus, omni posthabita miseratione, sub duobus uel tribus testibus trucidatur: at contra spiritus, eos quoq; quos peccatis mortuos assumit, in bapismate uitæ reddit.

Quòd si administratio mortis in literis, in lapidibus deformata, fuit in gloria, b adeò ut non possent oculos intendere filij Israël in faciem Mosi, c propter gloriã uultus eius, quæ aboletur, d quomodo non magis administratio spiritus erit in gloria? Si enim e administratio damnationis gloria, longè magis administratio iustitiæ exundat in gloria. f Nec enim glorificatum est, g quod glorificatū erat h in hac parte, propter i eminentem gloriam. * Nam si id quod aboletur fuit per gloriã, mul-
tò magis quod manet est in gloria.

a ¶ Quòd si administratio mortis.) Cum in superioribus docuisset noui testamenti differentiã ad

uetus, dicendo, illud quidem in saxis & atramēto, hoc autem in cordibus & spiritu: nunc monstrare conatur, quòd per gloriam quoq; præstantius fuerit nouum. Et quoniam uetus illud sensibilem gloriam habuit in facie ipsius Moſis, nouum uerò intelligibilem, per conclusionem præstantiam rationibus probat. Et uide, mox illud mortis administrationem dixit, tum literis, tum lapidibus deformatam. tanquam diceret: Nullum ibi auxilium, nulla remiſſio (ut in baptiſmate) fuit, ſed literæ duntaxat, & ſupplicium, utpote ſaxiſ impreſſum, immutabile. Mortis adminiſtrationē, legem inquit. Expende autem: non ait, mortis effectiuam (non enim urgebat ipſa, uel ad peccatum, uel ad mortem) ſed, adminiſtrationem. Lex nanq; & legiſlatori adminiſtrabat, morteq; dignos trucidabat.

THEODORETI: Legis miniſterium idcirco mortis adminiſtrationem dixit, quoniam tranſgreſſores puniebat. Si igitur in lege ſupplicium habebatur mors, ac literæ ſaxiſ deformatæ, is tamen qui hanc adminiſtrabat tantam in facie gloriam nactus eſt: longè magis qui diuino adminiſtrant ſpiritu, uberiori gloria fruuntur. **b** ¶ Adeò ut non poſſent.) Vt magis magiſq; noui teſtamenti gloriam cumulet, legis gloriam attollit. Vel hoc ipſum ludæorum accuſatio eſt, qui adeò, inquit, craſſi fuerint, ut ne ad ſenſibilem quidem gloriam ſpeculandam idonei eſſent. **c** ¶ Propter gloriam.) Legis gloriam prius elatam, nunc paulatim deſtruit. Haud enim lex, uerùm Moſes gloriam,

riam habebat. Porro nec Moses hanc habebat manentem, sed talem quæ aboleretur, hoc est, quæ desineret. Ex quo enim in superioribus ea euexerat quæ ad legem pertinent, nunc eadem destruit, quò simul Iudæica quæque destruat. d ¶ Quomodo non magis.) Quemadmodum legem, mortis administrationem dixerat, ita per consequens nouum testamentum, uitæ administrationem dicere debuit: sed hoc siluit, maius uero dixit. Hanc enim spiritus administrationem uocat, qui uitam etiam præbere habet potestatem. Sed spiritus administrationem hanc, propter spiritus sancti immisionem dicit, quasi quæ immisionem spiritus sancti pareat. e ¶ Si enim administratio.) Ex syllogismo rationabili comparationem facit. Si enim, inquit, gloria in lege est, & quidem quæ mortis damnationisquæ ministra erat: longè magis eadem consequentia non modò gloria in nouo testamento est, imò uerò exuperat: etenim exundat. Nam lege quidem peccatores & capiente & puniente, prædicatio peccatores in baptisinate acceptos non solum emittit liberos (quippe quod etiam sat esset) uerum etiam iustificat, sanctificat, & in adoptionem uocat, ac futura eis pollicetur bona: quamobrem etiam iustitiæ administrationem hanc uocat, quasi impios iustificantem. f ¶ Nec enim glorificatum est.) Et quid, inquit, compositionem facio inter legem & nouum testamentum? Tanta siquidem est noui testamenti tum præstantia, tum gloria, ut in cõparationis parte (id enim est

quod ait, in hac parte, hoc est, in parte comparationis) ne gloriam quidem habere uideatur uetus testamentum, si ad nouum comparatur, tametsi glorificatum fuerit. THEODORETI: Tanta siquidem, ait, ministris gratiæ gloria est affutura, quòd ne gloriã quidem eam quisquam diceret, quæ aderat Mosi: nec iniuria sanè, si ad hos respiciat. In nocte siquidem lucernæ lumen lucidissimum esse uidetur: porrò occultitur in meridie, ac ne lumen quidem esse putatur. At legem dixit, quæ aboletur, hoc est, quæ CHRISTI aduentu esse desit: donum uerò gratiæ uocauit manens, ut quod finem habiturum sit nullum. Quòd si illa quidem gloriam nacta est, patet quòd hoc longè latius assequetur. g ¶ Quod glorificatū erat.) Lex nimirū, quæ gloriam per Mosi faciem habuit. h ¶ In hac parte.) In comparationis, inquam, parte nulla gloria est Mosi, quãuis fuerit glorificatus. Nam si nouo cum testamento componas, nequaquam fuit glorificatus. i ¶ Propter eminentem gloriam.) Quam uidelicet nouum testamentū habet. k ¶ Nam si id quod aboletur.) Differentiam item ex immobilitate monstrauit. Nam si lex, inquit, quæ fuerat abolenda, cessareq; debuerat, per gloriã data fuit, quantò magis nouum testamentum, quod semper est, & erit, in intelligibili futurum est gloria?

Habētes igitur^a eiusmodi spem, ^b multa fiducia utimur: & ^c non quemadmodū Moses ponebat uelamen super faciem suam, ad hoc ^d ut

non

non possent intendere filij Israël in faciē eius, quod aboletur. ^c Sed obcæcati sunt sensus illorum. Nam usq; ad hodiernam diem idem uelamē in lectione ueteris testamenti manet: nec ^f tollitur uelum, & quod in Christo aboletur: sed usq; in præsentem diem, cum legitur Moses, ^h uelamen cordi eorum impositum est. At ⁱ ubi conuersus fuerit ad Dominum, auferetur uelamen. Dominus ^k autem spiritus est. Porro ubi spiritus Domini, ibi ^l libertas.

^a ¶ Habentes igitur huiusmodi spem.) Quoniam audientium imbecillitas gloriam noui testamenti non uidebat (non enim sensibilis erat) sed uertigo hæc oculorum ad futurum tempus remittit, eapropter spei quoq; meminit. Eiusmodi, inquit, spem. Eiusmodi: quamnam? Quod maioribus præstantioribusq; digni facti sumus, quam uetus ille Israël. ^b ¶ Multa fiducia utimur.) Ex quo igitur nos uoui testamenti ministri potioribus digni sumus habiti, cum fiducia prædicamus, nihil uel occultantes uel peruerentes: neq; ueriti ne prædicationis absurditate uestram conscientiam uerberemus, quemadmodū Moses Iudeorum percutiebat obtutus. Nam uos pulchritudinem, quæ in prædicatione est, uidere potestis, & neq; mentem, neq; intelligibiles obtutus, dum cernitis, obtunditis. ^c ¶ Et non.) Cur (quasi dixerit quispiam) nō uelati prædicatis, nec quasi uelamine teſti loquimini? cur inquam? Primū quidem cōfidentes de prædicationis puritate; deinde, quod pulchritudi-

nem illam, quæ in prædicatione est, cernere ualeatis. Non enim sicut Iudei cæcutitis. Quanto enim nouū testamentū præstantius, tanta etiam addiscenciū præstantia est. d. ¶ (Ut non possent.) Ita ut intendere, inquit, non possent in faciem eius, quæ abolenda, desitur aque à gloria erat. Porro ostendere cupiens gloriam illam exiguò duraturam, si ad illam, quæ in nouo est testamento, perpetuam comparetur, ait: In finem illius quod aboletur. Ac si dixisset: Cùm non potuerint Israël ite in gloriam illam deinceps intendere, finem habuit, cessauitq; gloria illa. Adeò fragilis fuit, [quòd simul & cœperit, & finierit: attamē ne in illam quidem aspicere, ita infirmi erant, potuerunt. e. ¶ (Sed obcæcati.) Id est, obcæcata est enim eorū mens, idq; in tantum, quòd nedum Mosis gloriā tunc spectare nequiverunt, imò ne in præsentem quidem ea, quæ in lege sunt, ut oportet, cernere possunt. Nam in hunc usq; diem, inquit, idem uelamen apud eos lectio legis retinet (ut enim quando lectio uelata est, quænam in illa sint, nec uideri possunt, nec sciri) quòd in CHRISTO lex ipsa & aboleatur, & desinat. At ubi nam (dicat quispiā) lex habet, quòd in CHRISTO, ac per IESVM ipsamet abroganda sit? Et ipsa eadem Deut. 18. quidem lex ait: dicens enim, Suscitabit uobis prophetam: intulit, Ipsum audietis in omnibus quæcunq; dixerit, etsi contrarium legi locutus fuerit: de ipso sanè CHRISTO loquens. Nam ipse quidē & sabbata soluit, curans in illis, & alia quædam imperabat: ut il-

lud,

lud, Audistis quòd dictum fuerit antiquis hoc, ego au **Matth. 5.**
 tem dico uobis. Et, quòd uxor neuitquam odio dimit
 tenda sit: & alia plurima. Porrò cum illis iusserit
 Deus, ut in templo tantum sacrificarent, & intra hoc
 còcluserit hostias: eo destructo, nonne patet, quòd om
 nes pariter hostias aboleuerit, & reliqua legis sacri
 ficia: ita ut lex tam sensibiliter, quàm intellectualiter
 suam ipsius contineat abolitionem. f ¶ Nec tolli
 tur uelum.) Nec tollitur uelum, quò sciri possit,
 quòd in CHRISTO aboletur lex. g ¶ Quod in
 Christo aboletur.) CYRILLI: Christus enim ue
 lum aufert. ipse siquidem cum sit ueritas, umbram le
 gisq; pallium cessare facit. Sic enim ait in centesimo
 trigessimoprmo libro còmentarij super Lucam.

PHOTII: Datum mandatum ijs fuit qui erant in Pa
 radiso: sed cessauit, uacauit, & quasi abrogatū fuit.
 Datum fuit Noë, idq; cessauit similiter, atq; desinit.
 Datum fuit Abrahæ, uerum & huius complura lex
 aboleuit, mille additionibus innouans, & statuens a
 lia. Data fuit per Mosen lex, & hæc quoq; abroga
 tur, & cessat: non quòd alia fuerit superinducta, eaq;
 rursum abolita: sed quòd alia, euangelica inquã, fue
 rit introducta, quæ maneat in eternū. Quotquot igi
 tur præcesserunt, abrogatæ sunt. Caterū lex ipsa fi
 nis est abolitionis, quandoquidem posthac nulla iam
 supererit abolenda. Quòd si lex finis est abolendi, id
 etiam quòd huius inducit personã, profectò illius est
 finis, quòd aboletur: non secus ac etiam ipsius Euan-

gelij dator in seculum seculi regnum obtinet, ac imperium. h ¶ (Velamen.) Deinde, quoniam dixerat, uelamen super lectione ueteris testamenti positum est, ne quis putaret legis obscuritatem esse in causa cur non intelligatur, id ipsum manifestius dicit, ostendens delictum non legis, sed esse illorum. Siquidem uelamen, inquit, super cor eorum positum est, & idcirco legis intellectum comprehendere nequeunt. Si enim intellexissent, ab ea utiq; desciuissent, & in CHRISTVM credidissent. Id enim uult lex. i ¶ (At ubi conuersus fuerit.) Etenim & Moses, quando alloquebatur Iudæos, uelum habebat: quando autē ad Deum se conuertebat, tollebat uelum. Typum itaque gerebat eorum Moses. Nam & ipsi quando legi quidem incumbunt, uelamen habent, quod eos legem ipsam uidere non sinit: at cū ad Dominū conuersi fuerint, uelamen eorum auferetur. Sed tunc conuertentur, si lege dimissa in CHRISTVM crediderint, & à spiritu gratiam acceperint in baptisate. k ¶ (Dominus autem spiritus est.) Deinde, ne quis ex audientibus imbecillioribus, postquā audierit quod Moses, cū ad Dominū conuertebatur, uelamen aufereret, diceret: Ego uerò, cū me ut ad spiritum conuertar hortaris o Paule, ad Dominum non conuerto? intulit, Dominus autem spiritus est. Ne uereare, inquit, etiam te ad spiritum conuertens, ad Dominū conuerteris: nam Dominus est ipse spiritus, & eiusdē maiestatis, & æquē adorandus, & consubstantialis est patri

patriae filio. I ¶ Ibi libertas.) Quasi ad legis
 comparationē positum est hoc. Ibi enim iugum erat
 & seruitus: in fide autem CHRISTI, libertas.

^a Nos autem omnes reuelata facie gloriam
 Domini speculo exprimentes, secundum ean-
 dem imaginem transformamur à ^b gloria in
 gloriam, tanquam à Domini spiritu.

CAPVT IIII.

PROpterea ^c cum ^d ministerium hoc habea-
 mus, prout misericordiā affecuti sumus, ^e non
 defatigamur, sed ^f reiicimus & occultamēta de-
 decoris, nō ambulantes in astutia, ^h neque do-
 lo tractantes uerbum Dei, sed ⁱ manifestatione
 ueritatis, commēdantes nosmetipsos ad ^k om-
 nem conscientiam hominū in conspectu Dei.

^a ¶ Nos autem omnes.) Tantū, inquit, intra
 nos & libertatis & generositatis habemus, quòd om-
 nes nos reuelata facie sumus (haud sanè inueniro erit
 uelamen ullum apud fideles.) Dum gloriam Domini
 eeu in speculo representamus, transformamur, in-
 quit. Ut enim argentum si solaribus opponatur ra-
 dijs, radios etiam ipsum quosdam cōtra illos, qui à sole
 emittuntur, remittit: ita & nos per spiritum in bap-
 tismate purificati, eiusq; illustrati radijs, splendorem
 quendā spiritualem emittimus ex aduerso. Hos quo-
 que in Apostolorū ordinē adducere uult: idcirco ait,
 Nos omnes gloriam Domini in speculo exprimentes:
 hoc est, spiritu fulgentes. ^b ¶ A gloria in gloriā.)
 In eundem, inquit, transmutamur splendorem à glo-

ria ipsius spiritus, ad gloriam nostrā, transformatione intercedente: & eam, inquit, gloriā assequimur, quam cum assequi par est, qui & à paraclete illustretur, & stabilem glorię ipsius imaginem exprimat. Quid ad hæc spiritus impugnatores effutiant?

THEODORETI: A gloria, inquit, diuini spiritus, in gloriam nostram: pro eo ut diceret, Inde recipimus. c ¶ Propterea.) Hyperbaton est: propterea nō defatigamur. Propter ea. Quenam? Quòd talibus, inquit, digni facti sumus. d ¶ Cū ministerium.) Quoniam multa magnaq; de Apostolis locutus fuerat, quando dixerat, Gloriam Domini in speculo representamus, ac transformamur (quāuis enim sermonem cōmunem fecerit, dicendo, Nos autem omnes: attamen in Apostolos præcipuè, ea quę dicta fuerant, prolata sunt) sermonem deinceps qui peculiariter ad eos pertinet, producit. Quum enim, inquit, ministerium hoc habeamus: hoc est, quum nos nihil amplius habeamus, quàm quòd ministri sumus prædicationis. Deinde, prout misericordiam nacti sumus: insinuans, quòd eodem quoque ipso, nempe quòd ministerium habeamus, indigni fuimus: cæterum & hoc Dei misericordie habemus. e ¶ Non defatigamur.) Hoc est, Non diffidimus, animò uel consternamur ad afflictiones, tentationes, atq; pericula. f ¶ Sed reijcimus.) Haud sanè reijcimus afflictiones, sed abnuimus reijcimusq; occultamenta dedecoris: hoc est, talia elam patrare,

patrare, quæ si ad lucem prodierint, dedecus afferat. At falsos clam tangit Apostolos, qui in figura quidem & habitu pietatis erant, sed in occulto prauis. At quomodo reijcimus occultamenta dedecoris? Synce-
 re, inquit, & candidè uiuendo. Qui uerò ita fue-
 rit conuersatus, reijcit admittere quippiam interdi-
 ctum. g ¶ Occultamenta.) Et reijcimus, in-
 quit, occultamenta dedecoris: hoc est, nihil etiam in
 occulto dedecore dignum patramus. Imò nec affli-
 ctionibus (ut ipsi cernitis) defatigamur, neque per
 cogitationem aliquid concipimus dedecore dignum.
 Quasi, nihil uel negligentiae, uel dubietatis, uel
 ambiguitatis, seu ingratitude, seu aliis cuiuspiam
 id genus mente percipimus. Sed sicut in propatu-
 lo non defatigamur, sic etiam in occulto dedecore di-
 gnum cogitamus nihil: imò dedecoris occultamen-
 ta omnia reijcimus. Deinde, Non ambulantes in
 astutia, & quæ sequuntur. Astutiæ quippe ac do-
 li est, alia quidem foris præ se ferre, alia uerò men-
 te uersare. h ¶ Neque dolo tractantes.) Nec
 solùm, inquit, uitam conuersationemq; astutia secta-
 mur uacantem, sed neq; uerbum Dei ac prædicatio-
 nem dolo tractamus, seu lucrū ex ea querentes, uel
 temporibus personisq; nos ipsos accommodantes, & mo-
 dō quidem hoc, modō autē illud docentes: quod reue-
 ra falsi agebāt Apostoli. i ¶ Sed manifestatione.)
 Nihil, ait, occultū apud nos, ut id quidē cælemus, hoc
 autem loquamur: sed per ueritatis ostensionē quales

sumus cōmendamus, exhibemusq; nosmetipsos cuilibet hominum conscientie. PHOTII: Falsi Apostoli, non ueritatis ostensione, sed sub ornatu ac tegmine personæ ueritatis, qua sese cōmendant: non utiq; coram Deo, sed ad hoc tantum, ut ijs placeant quos deceperint. k ¶ Ad omnem conscientiam.) Omni hominum, tam fidelium quàm infidelium, conscientie nosmetipsos cōmendamus ex ipsa, inquit, conuersatione. Et quoniam fieri potest ut homines lateat, & decipiantur, Deum ipsum conuersationis suæ inspectorem & iudicem statuit.

^a Quòd si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est: ^b in quibus Deus seculi huius ^c excæcauit sensus incredulorum, ne ^d illucesceret illis ^e lumen Euangelij gloriæ Christi, ^f qui est imago Dei. ^g Non enim nos ipsos prædicamus, sed Christum Iesum Dominum: ^h nos ipsos autem seruos uestros, propter Iesum. ⁱ Quoniam Deus, qui iussit è tenebris lumen fulgere, qui fulsit in cordibus nostris ^k ad illuminationem cognitionis gloriæ Dei, in facie Iesu Christi.

^a ¶ Quòd si adhuc uelatum.) Quoniam dixerat, quòd ad omnem hominum conscientiam per ueritatis manifestationem, hoc est, prædicationis, commendaret sese: uerum id ei opponitur quod ait, Non omnibus esse manifestam prædicationem, (et patet, quòd nõ crediderunt) inquit: Nequaquam nostræ culpæ est, uel obscuritatis Euangelij, sed illorum tam perditionis

ditionis, quàm cecitatis. *b* ¶ In quibus Deus seculi.) Ex his qui erant extra gregem CHRISTI, alij quidem à principio, uerbo prædicationis fidei abnuerunt præstare: alij autem crediderunt sanè, sed cum altitudinem terræ non haberent, à fide iterum sunt auulsi: quos omnes pereuntes Apostolus uocat. Interim uerò sermo illi est de his qui ab initio quidem non admiserint (his namq; omnino celatum est Euangelium) & ait: Illis hominibus qui pereunt, quorum nimirum infidelium sensus excæcati sunt, ad hoc sanè, ne omnino fidei acciperent incrementum. At Marcionem quidem Marcionesq;, Deum seculi huius inquirunt malum dici Deum. Duo nanque apud eos dii erant. Nos autem hunc super omnia esse dicimus. Sed quemadmodum dicitur Deus cæli & terræ, ac Deus dei huius, & Deus Abraham, Isaac, & Iacob, & nõ propterea reliquorum Deus non est: ita mihi significare uidetur, Deus seculi huius. VEL sic cum hyperbato: Infidelium seculi huius Deus excæcavit sensus. Hic enim infideles sunt, nam tunc genu omne flectetur, & omnis lingua CHRISTO confitebitur, cum uenerit in gloria patris. CYRILLVS uerò dicit Deum seculi huius hunc, qui ab infidelibus putabatur Deus, hoc est, satanã, (hunc enim colebant) in primo libro contra Iulianum. IOANNIS: Hoc est: Infidelium seculi huius Deus excæcavit sensus. Futurum namq; seculum nullam habet incredulitatem. ¶ Excæcavit sensus.) Non ipse id faciens, ne-

- quaquam, sed per liberum arbitrium id permittens. Ut alio quoque loco ait: Tradidit illos in passiones ignominie. quasi dicat. permisit. Ex quo enim à CHRISTO descuerunt, fuit illos. Volentium namque salus est, nemoque compellitur: nedum quod infideliter affecti maius quoque, dum à CHRISTI lumine illustrabantur, dannū ferebant, non secus ac languidus oculus ex radio solari. d. ¶ (Ne illucesceret.) Expende: nō ait, Obcaecauit ad hoc ut nō crederent: sed, ne illustrarentur: ostendens eos in primis abuisse fidem, deinde indignos illustratione effectos. Nam & ipse
- Matth. 7.** Dominus ait, non projiciendas margaritas ante porcos. Eleganter uerò positū est, illucesceret: nunc enim tenuem exilemque ueræ cognitionis habemus influxū, ac ueluti à sole omnia illustrante per tenuem radiū.
- 1. Cor. 13.** Id ipsum etiā alibi declarat: Videmus nunc, inquit, per speculū in ænigmate. & : arrabonē spiritus. & : cognitionis fragrantiam. e. ¶ (Lumen Euangelij.) Gloria enim CHRISTI Euangelij est. Gloriosus quippe per millia Christus, quod creauit, quod creata cōtinet, quod uiuificat omnia, maxime per crucem, cuius præco Euangelij est. f. ¶ (Qui est imago Dei.) Quasi in transcurso, & obiter, quænam sit infidelibus Euangelij adumbratio dicit: quod Deus, inquit, ipse est qui cruci affixus fuit. Imago siquidē patris est, nulla in re differēs. Quod enim Apostolus per imaginē, exactissimā æqualitatē & similitudinē nobis
- Heb. 10.** uerit, uide quidnā dixerit alibi: Vmbra namque habens futurorum

futurorū honorū lex, nō ipsam rerum imaginē. ALI
 TER: Imaginem Dei nūcupauit Christum, tanquā de
 Deo Deum. In seipso enim patrem demonstrat. Idcir
 co ait: Qui uidit me, uidit & patrē. g ¶ Nō enim Ioan. 14.
 nos ipsos.) Suprà dixerat, Non ambulantes in astu
 tia, nec uerbū Dei dolo tractantes. Quomodo? Quo
 niam nequaquā nosmetipsos prædicamus, inquit, sed
 Christū Dominū. h ¶ Nos ipsos autē.) Hoc autē
 dicens, magistrōs illorū clam percutit, de quibus scri
 pserat eos dicere, Ego quidē sum Pauli, ego autē A
 pollo, ego uerō Cephæ: quiq; in eos tyrannidem exer
 cebant. i ¶ Quoniā Deus qui iussit.) Quamob
 rem seruū nostrū te ipsum dicis? Cur inquā? Quia di
 lecti estis à Deo meo. Nam ipse est, qui in initio creatu
 ræ, lucē de tenebris illucescere iussit: qui luxit, hoc est,
 ipse in cordibus nostris illuxit. Luxit autē, inquit, il
 luminans nos, suamq; ipsius & cognitionē & gloriā
 in faciē Iesu Christi, id est, per faciē Christi reuelans.
 Per filium siquidem uera nobis patris cognitio obti
 git, prout ipse in Euangelijs ad patrem dicit: Mani- Ioan. 17.
 stauī nomen tuū hominibus. & : Glorificauī te super
 terrā. ac: Nobis manifestatū est per Iesum, quod pa
 ter sit. & : quod nō per nidorē & sanguines adorari
 uelit. & : quod in Trinitatis cōsubstantialitate, æqua
 liq; potentia colitur Deus, unde etiam magni consi
 lij angelus dicitur. k ¶ Ad illuminationem.)
 Sanctæ Trinitatis æqualitatem, honorisq; parilita
 tem animaduerte quomodo Paulus insinuet: lucem,

& lucem sanctam nuncupans Trinitatem. In superioribus de spiritu sancto loquens, ait: Gloriam, hoc est, lucem Domini in speculo exprimētes, in eandem imaginem transformamur. Rursus de filio: Ad hoc ut eis lux Euangelij glorię CHRISTI non illucesceret. Nunc de patre: Ad illustrationem, inquit, scientię glorię Dei.

^a Habemus autem thesaurum hunc in testaculis, ut excellentia uirtutis sit Dei, & ^b non ex nobis, dum ^c in omni affligimur, at non anxij reddimur: ^d laboramus, at non destituimur: ^e persecutionem patimur, at non in ea desermur: ^f deijcitur, at nō perimur: ^g semper mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Semper enim nos, qui uiuimus, ^h in mortem tradimur propter Iesum, ut uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. ⁱ Et ita mors quidem in nobis operatur, uita autem in uobis. ^k Habentes autē eundem spiritum fidei, secundum quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, idcirco & loquimur, ^l scientes quod is qui excitauit Dominum Iesum, nos quoque per ^m Iesum excitabit, & statuet uobiscum.

psal. 115.

^a ¶ Habemus autem thesaurum.) Pręsentia quoque superioribus concinunt. Quoniam nos, inquit, Apostoli ministri sumus prædicationis, & cum tanta eius gloria sumus indigni, non secus ac aurū in testaculis

testaceis uasculis ferimus. b ¶ (Et non ex nobis.) Ut nemo, inquit, sibi ipsi arroget, ut qui pro sui dignitate accepturus sit: sed totum uirtutis Dei sit, qui lutea uasa auri susceptione idonea fecit. c ¶ (Dum in omni affligimur.) Atq; adeò, inquit, gratiæ Dei totum est, quod, tametsi fictiles simus, & inter tot uerse mur tentationes, non tamen frangimur, thesaurum uero in nobis reconditum effundimus. In omni, inquit, & loco & re. Quod non anxius, qui premitur, reddatur, profectò gratiæ Dei est. d ¶ (Laboramus.) Perplexi sumus, quid contra omnium pugnam persecutionemque facere oporteat: at non adeò, ut destituamur: hoc est, cadamus, seu uincamur. e ¶ (Persecutionem patimur.) Nimirum homines persequuntur, at Deus non derelinquit. Non enim ut uincamur, sed ut resistamus, hoc nobis permittitur. f ¶ (Dei ieiunamus.) Et, quo ad magnitudinem quidem tentationum, iam cecidimus: gratia autem Dei non perimus. THEODORETI: Pro eo ut diceret, in rebus dubijs exitum uiamque salutis inuenientes. g ¶ (Semper mortificationem Domini.) Et nos, inquit, mortificationem Domini ubique terrarum circumferimus, dum singulis quibusque diebus ubique morimur. Quotidie namque, ait, morior per uestram gloriationem, ut & Domini resurrectio, inquit, per corpus nostrum manifesta fiat. Nam qui Domini non credit resurrectionem, ubi nos quotidie mori intuebitur, quotidie uero reuiuiscere, non iam amplius (si rationem sequatur) non credet. h ¶ (In mor-

tem tradimur.) De eodem rursus sermocinatus est. Propterea nanq; ait, permittimur à Deo ut in mortem tradamur, quò manifestū fiat resurrexisse Christum. Qui enim quotidie nos excitat, seipsum quoq; absq; dubio excitauit. VEL sic: Idcirco nosmetipsos in mortē singulo quoq; die tradimus, ut uita Domini manifesta, & in nobis efficax fiat. Quando? Sanè in mundo futuro. Nō secus ac dixerit: Nos quidem pro CHRISTO in mortē tradimus nosmetipsos, ut Christus ab intelligibili morte, damnatione inquam, tunc nos eripiat, ad uitamq; illam intelligibilem ducat.

i ¶ Et ita mors.) Quasi ex consequenti, inquit, hoc accidit, ut mors uidelicet uim habeat in nobis & efficaciam, in uobis uerò uita. quasi dicat: Nos propter prædicationem occumbimus, ut uos in Christū credentes, per illam eam uiuatis uitam, quæ nunquā senescit, sed sempiternò manet. PHOTII: Passiones, inquam, afflictiones, ac mortiferae calamitates: hæ sanè in nobis nunc operantur, suamq; in nos efficaciam exercent: fides autem ac pietas (hæc enim uerā dixerim uitam) in uobis. Vita autem est pietas, quòd nunquam senescentem uitam, indissolubilem, eternamq; in cælis conciliet.

k ¶ Habentes autem eundem spiritum.) Eundem, inquit, spiritū quem & Dauid habentes, eadem quoq; cum ipso proferimus, nempe: Credidi propter quod locutus sum. Superius nanq; cum resurrectionem rationibus cōprobasset, nūc eam ex fide ingerit.

l ¶ Scientes quòd
is.)

is.) Hoc autem est quod loquimur: Scientes quòd pater, qui Dominum suscitauit, nos etiam suscitabit. Vnde scientes? Ex fide, inquam. *m* ¶ Per Iesum.) Ipse enim in nube ueniet, in uoce archangeli, & tuba, & mortuos excitabit, & suo eos statuet tribunali.

^a Omnia enim propter uos, ut gratia, quæ exundauit per plurimorum gratiarum actionem, abundet in gloriã Dei. ^b Propterea non defatigamur, sed licet externus homo noster corrumpatur, tamẽ internus de die in diem renouatur. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, excellenter secũdũ excellentiam æternum pondus glorię operatur nobis, ^d nõ spectantibus nobis ea quæ uidentur, sed quæ non uidentur. Quæ enim uidentur, temporaria sunt: quæ autem non uidentur, æterna.

CAPVT V.

SCimus enim, quòd si^t terrenum nostrum domicilium tabernaculi huius destructum fuerit, & ædificationem ex Deo habemus, domicilium non manufactum, ^h æternum in ⁱ cœlis. Etenim ^k in hoc ^l gemimus, ^m domicilio nostro ⁿ quod è cœlo est, superindui desiderantes: ^o si tamen induti, non ^p nudi reperiemur. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, ^q gemimus ^r grauati, ^s eò quòd nolumus exui, sed superindui, ut absorbeat^{ur} mortalitas à uita.

^a ¶ Omnia enim propter uos.) Erudit eos in hoc loco, & pro resurrectione, & pro reliquis bonis,

hominum quidem nemini, sed soli Deo gratiã nosse. Nam falsi Apostoli sibiipsis gratiã uendicabãt, quasi ob suas in Deũ adhortationes, cum Deus sit qui hæc largiatur. Omnia enim, bona uidelicet, propter uos: non propter hunc, uel illum, sed propter communem utilitatem. Hoc autem, inquit, factum est, ut Dei gratia, dum à multis exhibetur, augeatur: hac uerò crescente, actio quoq; gratiarum pariter augebitur.

b ¶ Propterea non defatigamur.) Cùm igitur omnia, quæ erga nos facta sunt, in gratiarum Dei fieri actionem nouerimus, non defatigamur, nec diffidimus, animũ uel ad tentationes despondemus. Externum hominem, corpus uocat, quòd dum flagellatur, dum persecutiones patitur, dum constringitur uinculis, corrumpitur. Internũ autem, animam dicit, quæ de die, inquit, in diem pullulat, ac reuiuiscit spe, gaudioq; ac sciendo se pro Deo pati. c ¶ Nam momentanea leuitas.) Perspice adhortationem ad suam mendam cõtra tentationes audaciam. Momentanea, inquit: hoc est, breuissimo tẽpore duratur a celeritas finiendæ afflictionis. At non ei sufficit ut diceret, momentanea, sed etiam leuitas dixit. Aeternũ pondus, inquit, gloriæ operatur: neq; simpliciter, uerũ excellenter, et secundũ excellentiã id ipsum faciens. Mercedis etiam cumulũ animaduertas, et aggerem: momentaneam namq; æternitatem remensurus est: at leuitati pondus: afflictioni quoq; gloriam. Neq; intra hæc duntaxat retributionũ cumuli continentur, imò excellenter,

excellenter, ac secundum excellentiam. d ¶ Nō spe-
 ctantibus nobis.) Quoniam leuem dixerat affli-
 ctionem, quæ reuera grauis est, exponit quoniam mo-
 do præsens afflictio leuis sit. Si non reputauerimus,
 inquit, quæ uidentur, sed quæ nō uidetur. Si enim ea
 quæ illic sunt, præsentibus rebus comparauerimus, le-
 uia sanè præsentia apparebūt: temporaria nāq; sunt,
 illa uerò æterna. e ¶ Scimus enim.) Quoniā
 sermonem de resurrectione ciet, in hoc, circa quod
 Corinthij imbecilliores habebantur, insisit. Præoccu-
 pat illos dicendo, Scimus: quasi & ipsi sciant, nullaq;
 circa resurrectionē ambiguitate laborent. Aliter,
 PHOTII: Multa in superioribus profecutus est, indi-
 cans tentationes, & corporis corruptionem, ad no-
 stram cedere utilitatem: nunc uerò plus quiddam ad-
 struit, quòd absolutissima uidelicet corporis nostrè
 per mortem corruptio, maximum afferat emolumen-
 tum. Nam de corruptibili, inquit, incorruptibile illud
 accipimus. Sed uide quantam comparatione hac præ-
 stantiam cōmonstrarit. Hoc terrestre est, illud coele-
 ste, hoc est, è cælo accipiens incorruptibilitatem. Hoc
 domicilium tabernaculi est, quod perfacilem indicat
 dissolutionem, illud uerò æternum. Item illud nuncia-
 pat etiam nō manufactū: nō idcirco sanè, quòd præ-
 sens hoc corpus manufactum sit, sed ut illius encomia
 eumulet. f ¶ Quòd sit terrenum.) Terrestre
 quippe domiciliū hoc in loco breuem dicit uitam: ta-
 bernaculum autem animarū, nostrum corpus. Aliud

enim domicilium est, & aliud tabernaculū, cuius est domiciliū: itemq; aliud nos, quorū proprium est tabernaculum. Si domiciliū, inquit, tabernaculi nostri dissoluatur, hoc est, breuis hæc uita, habebimus domicilium non manufactū, hoc est, uitam æternam, quippe quæ nulla nostra opera indiget, nec manibus nostris, ad hoc ut subsistat. Eleganter uerò tanq̄ ad præsentis uitæ differentiã, futurū dixit nō manufactum. Nam præsens à manibus quidem stabilimentū habet, à pane, inquit, potu, & indumento. Itã sanctus Methodius in sermone de resurrectione ait. THEODORETI: Terrestre domicilium, uitæ huius diuersorium uocat: tabernaculum autem, corpus. Si finem igitur præsentia nacta fuerint, domicilium nō manufactum habemus, æternam inquam, cœlestemq; uitam. ALIUD: Terrestre domicilium tabernaculi, corpus dicit. g ¶ Aedificationem.) Id est, renouationem, ac resurrectionē. h ¶ Aeternum.) Hoc est, requiem, ac resurrectionē. i ¶ In cœlis.) Hoc est, paratū incorruptibile, per cœlestem uidelicet gratiam. k ¶ In hoc.) Pro eo ut diceret, propter hoc. l ¶ Gemimus.) Vos, inquit, ut par est, ingemiscitis, cum propter afflictiones uestrū dissoluitur corpus: at nos, quibus resurrectionis fides perspicua est, quia nō penitus corrūpitur, ingemiscimus. Quamobrem? quòd optamus incorruptibili corpore nostro superindui. Rectè uerò dixit, superindui. Nam corpus hoc nostrum mortale, incorruptione superinduitur.

m ¶ Do-

m ¶ Domicilio.) Nō dixit, tabernaculo, sed domici-
 lio: manifestā in illo mansionē significās. THEODO-
 RETI: Domiciliū hoc in loco incorruptionē dixit. Ve-
 rū nō ait, indui, sed superindui: quoniā nō alio corpo-
 re induimur, sed hoc ipsum, quod nūc corruptioni ob-
 noxiū est, incorruptibilitatē superinduet. n ¶ Quod
 ē cælo.) Non iam quod ē cælo descēdat, sed quod à
 Deo accipiat incorruptibilitatē. o ¶ Si tamē indu-
 ti.) IOAN. Hoc est, licet posuerimus corpus, nō tamē
 absq; corpore illic assistimus: sed cū illo ipso, factō iam
 incorruptibili. Quidā uerò aiūt: Siquidē et induti, nō
 nudi reperiemur. Ne enim de resurrectione cōsiderēt
 omnes, ait: Siquidē et induti, incorruptione uidelicet,
 et corpore incorruptibili percepto, nō gloria nudi re-
 periemur. Nam resurrectio quidē cōmunis est omni-
 bus, at nō item gloria equalis: sed alij quidē in hono-
 re, alij uerò in ignominia erūt. p ¶ Nō nudi.) Ne
 ex sola resurrectione, corporisq; immutatione, totū
 peragi arbitrarētur, addit: Siquidē et incorruptibilita-
 te illa induti, nō nudi gloria & honore reperiemur.
 Incorruptibilitas enim alijs quidem in bonū, alijs au-
 tem in offendiculum erit, perpetuos faciens tum ho-
 nores, tum poenas. g ¶ Gemimus.) THEODO-
 RETI: Gemimus, inquit, nō quia corpore expediri cu-
 piamus, sed ab illius passionibus optemus nos liberos.
 Haud enim corpore exui, imò incorruptione quæri-
 mus superindui. r ¶ Grauari.) Quoniā cōmunis ho-
 minum opinio ei obstabat, Quid, inquit, ingemiscis?

ut corpus absorbeatur? At qui omnes homines ne moriatur ingemiscunt, ait: sed nos nequaquam ingemiscimus ut corpus deponamus, eoque exuamur, imò ut incorruptione superinduemur. Non enim corpus in causa est, inquit, quòd grauemur, sed quòd mortale & corruptibile sit. s ¶ Eò quòd nolumus exui.) Eò quòd, pro, quoniam: ut à uita mortalitas absorbeatur. Vt superinduemur, inquit, curæ nobis est: ut mortale hoc corruptibileque corpus ab incorruptione & immortalitate absorbeatur.

Porro qui parauit nos in hoc ipsum, Deus est, b qui etiam dedit nobis arrabonem c spiritus. Còfidentes igitur semper, scièntesque, quòd d uersantes in corpore peregrinamur à Domino. e Per fidem enim ambulamus, nò per speciem. Confidimus f autem, & s probamus potius peregrinari à corpore, & uersari apud Dominum. Idcirco h etiam contendimus, siue simul uersantes, siue peregrinantes, bene illi placere. i Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut k reportet quisque ea que per l corpus gessit, iuxta quòd fecit, siue bonum, siue malum. m Scientes igitur terrorem illum Domini, n hominibus suadeamus: at o Deo manifesti sumus. p Spero autem nos & in conscientijs uestris manifestos esse.

a ¶ Porro qui parauit.) Quis nã, inquit, hanc corporis immutationem faciet? quis inquam? Nempe Deus, qui nos in hoc ipsum parauit, ut & incorrupti
bilitate

bilitate & immortalitate donaret. Demonstrat autē
 hoc modo, nequaquā recentem circa hoc opinionē esse:
 imò ad immortalitatem sanè creatos nos esse: at po-
 steaquā liuore diaboli mors introiuit in mundum,
 alteram rursus uiam Deus adinuenit immortalitatis.
b ¶ Qui etiam dedit.) Et quòd ad hoc, inquit, ut
 immortales fiamus, finxit, ex hoc uel maxime patet,
 quòd spiritum impartitus est. Neutiquam sanè, in-
 quit, hunc eis fuisset elargitus, qui ita futuri non es-
 sent. Vbiq; uerò arrabonem spiritus dicit, debitorem
 illum faciens impertiendi etiam quod perfectum est.
c ¶ Spiritus.) Extrinsecus ipse immutationē, in-
 quit, ad incorruptibilitatē faciet. Id enim iuxta subau-
 diendū est. **d** ¶ Scientes, quòd uersantes in cor-
 pore.) Eleganter dixit, uersantes, quasi ad exte-
 ras: hospites enim sumus, et peregrini. Id enim dixisse
 uult: Confidenter scientes, quòd præsens huius ui-
 tæ corporalis permansio separat nos à manendo cū
 Deo. Malimus sanè peregrinari à corpore, & esse
 cum CHRISTO. **e** ¶ Per fidem.) Ne quis dice-
 ret, Quamobrem in corpore existentes à CHRISTO
 sumus extorres? addit: Per fidem siquidem ambula-
 mus, & nō per speciem. Ac si dixisset: Eapropter di-
 xerā, peregrinamur à Domino, quòd ipsum nūc fide
 uidemus: per ipsam siquidem ambulamus, ac ueluti
 ad ipsius cognitionē manuducimur: sed tunc per spe-
 ciem, hoc est, ipso aspectu. quod etiam alibi dixit: Vi-
 demus nunc per speculum in enigmate, tunc autē fa-

1. Cor. 13.

cie ad faciem. f ¶ Confiditrus autem.) Confi-
 dimus autē. Vocula illa, autem, redundat. g ¶ Et
 probamus.) Quoniā igitur nouimus quidnā illud
 sit, quod peregrinationē à Domino gignit, audenter
 approbamus à corpore peregrinari, idq; concupisci-
 mus, inquit. h ¶ Idcirco etiā cōtendimus.) Quod
 autē dicit, Cōtendimus, seu studemus, uel gloriamur,
 ita intelligito: Ad hoc sanē, ut ei placeamus. Ne enim
 arbitrarētur sat sibi esse tantū apud Christū manere,
 infert, Placentes illi. Id enim uel beatam facit mansio-
 nem apud ipsum, uel miseram, si non ei placeamus.
 i ¶ Omnes enim nos.) Quod superest etiā à tri-
 stioribus terrorē incutit. Veruntamen quoniā pauen-
 di illius tribunalis mentionē fecerat, nō tristia modō,
 uerūm & mitiora, quæ illic, dicit. k ¶ Ut reportet
 quisq;.) Quæ, inquit, per corpus ab ipso gesta sunt.
 Reportabit autem prout fuerit operatus, siue bona,
 siue mala. Ex quo enim corpus tum ad bona, tum ad
 mala ipsi animæ inseruiuit, mercedes quoq; unā cum
 ea recipit. Hoc illorum ora obstruit, qui corpus aliud
 effutiūt surrecturum. Haud enim cum aliud corpus
 peccasset, puniretur aliud: neq; si hoc rectē gessisset,
 coronaretur illud. l ¶ Quæ per corpus gessit.)
 Nō enim nuda anima, sed reportabit hæc per corpus.
 hoc est, prout gessit unā cum sibi cōiugato cōiunctoq;
 corpore, & cōpatiētur, & cōglorificabitur. Ita S. Me-
 thodius in sermone de resurrectione. m ¶ Scientes
 igitur.) Tribunal, inqt, illud, ac dignā retributionē.

n ¶ Hominibus suadeamus. Idcirco, inquit, suadeamus, quò uestrū nemini offendiculo sumus. Nō modò enim mali cuiuspiam admissionē damnat, uerūm etiā admittendi cogitationē punit, si cūm talem possimus suspicionē submouere, cōtēpserimus. ALITER: Cōsiliij exhortationisq; est illud *αὐτοῦ μὲν*, hoc est, suadeamus: quamobrem & per *αὐτὸν* scribendum. o ¶ At Deo manifesti sumus. Deo nanq;, qui optimè callet, suadere nō est opus. p ¶ Spero autē nos. Spe ro autē, inquit, quòd neq; uobis offendiculo erimus: sed quales reuera sumus, tales et in uestra cognitione sumus. Hoc est enim quod ait, In conscientijs uestris.

^a Non enim iterum nos ipsos commendamus uobis, sed occasionem damus uobis gloriandi de nobis, ^b ut habeatis aduersus eos ^c qui in facie gloriantur, & non in corde. ^d Siue enim insanimus, Deo: siue sani sumus, uobis. ^e Charitas enim Christi coarctat nos, ^f iudicantes illud: Quòd si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt: & pro omnibus mortuus est, ut & qui uiuūt, nō iam si bñspis uiuant, sed ^h ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Itaq; nos ⁱ neminem posthac nouimus ^k secundū carnem. ^l Porro si etiam cognouimus secundū carnem Christum, at nunc non amplius nouimus. Itaq; si ^m quis in Christo, noua creatura est. ⁿ Vetera trāsierunt, ecce facta sunt noua omnia. ^o Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum

Christum,^p & dedit nobis ministerium reconciliationis: ¶ quandoquidē Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, nō^r imputans illis peccata eorum,^s & posuit in nobis sermone[m] reconciliationis.

a ¶ (Non enim iterum.) Nunquam non suspicionem arceat, expurgatq; se, ne gloriari uideatur, et ait: Ad tales sermones deuenimus nequaquā ob id, ut nos ipsos commendemus, hoc est, extollamus, laudemusq;: sed ut uobis, inquit, ansam gloriandi de nobis contra falsos Apostolos præbeamus. Ex quo enim de nobis illi obloquuntur, ut uos de nobis non nihil gloriari possitis, in hos sermones prolapsi sumus.

b ¶ (Ut habeatis.) Extrinsecus aliquid, quo defendi, dicere, ac gloriari ualeatis. c ¶ (Qui in facie gloriantur.) De falsis Apostolis loquitur, qui omnia, & ut hominibus placerent, & ambitione quadā agebant: & personam quidem pietatis ac sobrietatis habebant, bonis uerò factis uacui, ac desituti erant (id enim est quod ait, Et nō in corde) propterea quòd intus bonum haberent nullum. d ¶ (Siue enim in sanimus.) Tamei si magna, inquit, locuti fuerimus, (hoc enim est, Insanimus: insanorum quippe est magna & immensa loqui) propter Deum, inquit, hoc facimus. Quomodo? Ne uos, si nos uiles, exilesq; arbitraremini, nostram etiam contemneretis prædicationem. Siue modestum quippiam protulerimus, uestri gratia id facimus, quò uos humilitatem doceamus.

VEL sic: Si quis profectò nos insanire putat, à Deo
 mercedem accipimus, propter quem tales existima-
 mur. Si autē sobrios esse, ipse utilitate huius sobrieta-
 tis fruatur. VEL hunc ad modum: Siue insanimus,
 inquit, propter Deum sumus insani: propter uestrā
 inquam salutem, quam Deus magnificat, hæc loqui-
 mur: ut cum quinam sumus cognoueritis, salutē cre-
 dendo per ea assequamini, quæ ipsi prædicauimus. at
 si sani sumus, ac sobrij, credatis. Aliter, PHOTII:
 Quòd ait, Siue insani sumus, & quæ sequuntur, pul-
 chre ijs congruit quæ iam dicta sunt: nempe, Spero
 autem etiam in conscientijs uestris nos fore manife-
 stos. Non enim nos ipsos iterum cōmendamus. Non e-
 nim, inquit, egemus erga uos cōmēdatione. Siue enim
 insanos nos quispiam asseueret, ad Deū hoc spectat,
 eiusq; iudicio indiget, non uestro: quippe quod alibi
 quoq; dixit, Mihi autē pro minimo est, ut à uobis di- 1. Cor. 4.
 iudicer: qui autem iudicat me, Dominus est. Siue igitur
 insani sumus, inquit, ad Deum spectat tale iudi-
 cium, nō ad uos. Siue cuipiam sani omnino esse uide-
 mur, uobis magis quàm alijs uniuersis sani esse uiden-
 di sumus. Sigillum nanq; Apostolatus mei, inquit ali- 1. Cor. 9.
 bi, uos estis in Domino. Oportet igitur uos ita de no-
 bis sentire & cogitare: & non modò id, uerū etiam
 ad eos, qui in facie gloriātur, hæc pro nobis & loqui,
 et enixè defendere. e ¶ Charitas enim Christi.)
 Charitas enim CHRISTI, inquit, nos coarctat, cōpel-
 litq; nec segnes esse ad labores pro uobis ferendos si-

nit. Ob id sanè talia loquimur, ut fide dignos nos arbitriati, seruemini. Nimirū uirtute præditus magister, discipulis persuadere nouit. f ¶ (Iudicātes illud.) Coarctat nos, inquit, cōpellitq; Christi charitas, quòd hoc uerū esse iudicauerimus. Quodnā? Nempe quòd unus pro omnibus mortuus fuit. Ex quo omnes homines morti erāt obnoxij, & propter etiā pro omnibus mortuus fuit. g ¶ (Ut qui uiuunt.) Si ergo nō oportet ut nobismetipsis uiuamus, iurè studemus & nos atq; satagimus: iurè itidem & uos imminētes contemnetis tentationes. h ¶ (Sed ei qui pro ipsis.) Tres sunt utilitatis occasiones, ob quas studiosos nos esse, & omnia propter Christum facere oportet. Prima, quòd ipse nos fecit. Secunda, quòd pro nobis mortuus fuit. Tertia, quòd primitias nostri, hoc est, suam ipsius carnem excitauit, & in cælos assumpsit, ut ubi primitiæ tui sunt, te quoque assumat. Perpende quòd sermonē extulerit. Quæ enim omnino necessitas fuit, ut humanam naturam assumeret Deus uerbum, ut incarnaret, nisi hoc reformatio, resurrectioq; dispensasset? i ¶ (Neminem posthac nouimus.) Ex quo igitur & peccato mortui omnes erant, & per CHRISTVM uiuunt, neminem uiuere nouerimus secundum carnem, id est, iuxta ueterem normam uiuendi, quam in peccatis tenebat: id enim mortem dixerim, non uitam. At qui nunc uiuunt, secundum spiritum uiuunt: renati nanque in baptisate sunt, & idcirco nouam uitam, non ueterem habent.

k ¶ Se-

k ¶ Secundum carnem.) Hoc est, uiuentem.
 Atque adeo posthac, inquit, nemo secundum carnem
 uiuit (illa enim non uita est, sed mors) quod etiam
 CHRISTVS, ut ostenderet uitam illam, quæ secun-
 dum carnem est, explosam esse, & quod nunc secun-
 dum spiritum uiuamus, à secundum carnem uiuen-
 do ipse desinit. Quomodo? num abiecto corpore?
 Nequaquam (cum ipso enim ueniet, cum proprio in-
 quam, omnium iudex) uerum à naturalibus passio-
 nibus liber, ut à fame, siti, somno, & fatigatione.
 Nunc enim & impassibile, & incorruptibile corpus
 habet. **l** ¶ Porro si etiam cognouimus.)
 Quemadmodum cum de nobis dicitur, Secundum car-
 nem, in peccatis significat: & extra hæc, non secun-
 dum carnem: ita etiam cum de CHRISTO dicitur, se-
 cundum carnem, significat naturalibus cedere, & pa-
 rere affectionibus: non cedere autem, non secundum
 carnem, sed ut ille, inquit, liberatus est, ita & nos.
 Sic Clemens in quarto hypotyposcôn. **m** ¶ Itaque
 si quis in Christo.) Si quis, ait, in CHRISTO ui-
 uit, hoc est, in fide illius, is noua creatura est: ad no-
 uam siquidem uitam uenit (supernè etenim per spi-
 ritum nati sumus) ut uitam non illam uiuat, quæ in
 peccatis, sed quæ in spiritu est. **n** ¶ Vetera
 transierunt.) Quænam sunt uetera? Profectò pec-
 cata, inquit, & impietas, & quæq; Iudaica. ALI-
 TER: Quo autem modo uetera præterierunt? Ani-
 ma & corpus nouum nobis est (est enim in baptisate

emundatum ac purificatum) & testamentum nouū.
 Pro terrena illa Hierusalē, cœlestis: pro sensibili tem-
 plo, templum spirituale: pro lapideis tabulis, tabule
 carneæ: pro circumcisione, baptismum: pro manna,
 corpus Dominicum: pro aqua de petra, sanguis Do-
 mini: pro uirga Mosaica, crux: pro terra promissio-
 nis, regnum cœlorum: pro mille iuxta legem sacer-
 dotibus, unicus pontifex Christus: pro immaculata o-
 ue, Dei filius: pro nuda & exili adoptionis nuncupa-
 tione, uera adoptio. Noua enim creatura, etiam uelut
 ti ad uitæ illius, quæ in peccatis fuerat, legisq; consue-
 tudinum ac mandatorum comparationem dicta est.
 o ¶ (Omnia autem ex Deo.) Hæc autem, inquit,
 omnia ex Deo donata sunt nobis, qui filio suo inter-
 cedente nos sibi ipsi reconciliauit. Haud enim nos ad
 illum cucurrimus, cæterum ille nos per sui ipsius fi-
 lij iugulationem uocauit. p ¶ (Et dedit nobis.)
 O humanitatis profunditatem. Non enim postquam
 filium suum ad reconciliationem legatum miserat, et
 ille iugulatus fuerat, de cætero nos neglexit: sed mor-
 tuo filio, reconciliationis ministerium nobis Apostolis
 iterum credidit. q ¶ (Quandoquidem Deus er-
 rat in Christo.) Etenim, ait, etiam prius, hoc est,
 ante crucem, Deus erat, pater inquam, qui per Chri-
 stum intercessorem mundum sibi reconciliabat.
 r ¶ (Non imputans illis.) Hoc enim modo, nec
 alio omnino, reconciliatio fieri poterat, prius suppli-
 cijs relaxatis: quasi si ultionem quidem peccatorum
 exposcisset,

expofiffet, nullus sanè qui reconciliatiõne faceret, fu-
perfuiffet. s. ¶ (Et pofuit in nobis.) Erat igitur
pater, qui etiã ante crucem, per filiũ, inquit, fuũ mun-
dum fibi reconciliabat, quiq; nunc uerbum recõcilia-
tionis nobis iniungit. Nam quoniã filius, inquit, eius
cruci fuit affixus, nos ad mortales reconciliandos, re-
conciliatores reliquit. Vidés ne ineffabilis bonitatis
magnitudinem? Nihil itaq; graue uobis illaturi ue-
nimus, fed ut amicos erga Deum uos efficiamus.

^a Pro Chrifto itaq; legatione fungimur, tan-
quam Deo exhortante per nos, ^b Rogamus
pro Chrifto, reconciliemini Deo. ^c Eum enim
qui peccatũ non nouit, pro nobis peccatum
fecit, ut ^d nos fiamus iuftitia Dei in ipfo.

CAPVT. VI.

ADiuuantes ^e autè etiã obsecramus, ^f ne in ua-
cuum gratiã Dei recipiatis. Ait enim: Tẽpore Esa. 49.
accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.
^g Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nũc dies
salutis: ^h neq; ullam in aliquo demus offensio-
nem, ut non uituperetur ministerium.

^a ¶ (Pro Chrifto itaq;) Quò rem extulit? Pro
CHRISTO enim, inquit, legatione fungimur. Eiusdẽ
met opus fufcepimus. Pro Chrifto itaq; legatione fun-
gimur, perinde atq; per nos roget pater. Haud enim
per Chriftum tantũmodo rogat, uerũm cruci illo affi-
xo, per nos etiam nunc precatur. ^b ¶ (Rogamus
pro Chrifto.) Cũ igitur pro Chrifto legatione fun-
gamur, uos etiam pro Chrifto rogamus, reconcilie-



mini Deo : uos enim hostes estis. Et osti uos, inquam, reconciliemini. c ¶ Qui peccatum non nouit.) Artificium, sapientiamq; illius animaduertas. Deinde ut legatus causam etiam, ob quam suadeat, dicit. Ut enim, inquit, nihil priorum dicam, quòd contumeliosi fueritis, quòd beneficentiam impenderit, quòd non exegerit ultionem, quòd prior ipse reconciliationem postularit : saltem ob id, inquam, quod nunc fecit, nunquid reconciliatione digni estis? Quale hoc? Eum nanque, qui peccatum non nouerat, inquit, hoc est, qui suapte natura est ipsa ueritas ac sanctificatio, filium inquam suum, peccatum effecit : hoc est, quasi peccatorem quempiam & iniquum, ut crucifigeretur, fuit. At non ait peccatorem, sed peccatum : quippe quod maius omnino est. Mortuus est autem, inquit, CHRIS TVS, nec temere, nec nihil uobis utilitatis afferens, sed ut iustos efficeret. OECVMENII: Alij hoc quod dixit, peccatum, ita interpretati sunt. Peccatum dicitur hostia pro peccato, ut etiam

Osee 4. ait Propheta, Peccata populi mei edunt : hoc est, uictimas pro peccatis. Hostiam igitur pro peccato filium pater facit : hoc est, ut peccatoris instar condemnaretur. d ¶ Ut nos fiamus.) Non dixit, iusti, sed ipsa iustitia, & quod reuera fuit maius, etiam Dei iustitia. Porro hanc dixerim iustitiam Dei, ut non ex operibus, sed per Dei miserationem, in ipso, per ipsum iustificemur. e ¶ Adiuuantes autem.

autem.) Hæc sanè, inquit, per filium suum Deus effecit: & nos quoque coadiuuantes, & obsecrantes perficimus: obsecrantes quidem uos, adiuuantes autè Deum. Hoc enim studio illi est, salus nempe uestra: quod etiam alibi dixit, Dei adiutores sumus, per 1. COR. 3. ea quæ perficimus, inquit. f ¶ (Ne in uacuum.) Obsecramus autem nos Apostoli, ut Dei liberalitatem recipiatis, & ne illam reiciatis, nèue in uacuum, inutiliterq; gratia ueniat, seu recipiatur. Eos enim, qui Deo per fidem reconciliati sunt, & in pristina uiuendi norma perseuerant, nihil est aliud quàm uacuum facere, & inanem gratiam Dei: & nulla inde, dum accipiunt, affici utilitate. Si enim ille peccata indulserit, nos autem his iterum repleamur, quid lucris? quid erit emolumentis? g ¶ (Ecce nunc tempus.) Et quodnam dixerim acceptabile tempus, salutisq; diem? Doni, inquam, & gratiæ tempus. Præsens nanque tempus est, in quo remissio quidem proponitur peccatorũ, sanctificatio autem donatur. Ex quo igitur nunc gratiæ tempus est, iurè, inquit, in hoc exaudiui te. Tanquã dixerit: Tempus quidem iudicij cum aduenerit, non iam facile exauditur. Igitur qui, dum gratiæ tempus adest, bene uiuendo operam dat, facile præmijs donabitur, cumulabiturq; necnon à Deo exaudietur. Quoniam & hos etiã, qui uel millies iam errauerint, corũ peccatis relaxatis, recipiet. h ¶ (Neq; ullam.) Ita sensus cõsonus est. Adiuuantes uerò, inquit, obsecrãtesq; perficimus,

nullā cuiquā offensionē dantes. Consiliū autē in narrationis ordine animaduertito. ac si dixerit: Ita per omnia uitam meam conuersationemq; moderor, ut, ne dicam accusationis, sed ne notæ quidem locū culpam dem: ne quis, inquit, ministerium nostrum, aut opus carpat. Nam si errassent ipsi, non iniuria nota ipsa in prædicationem recurreret. Dicere nanq; Apostoli potuissent: Nisi bonum quoddam prædicationis esset, prauis etiam homines credidissent. Hoc autem cum dicit, ferè illis ait: Vos quoq; uitam rectam procurare oportet, ne ipsa nota in fidem redundet. Ex fructibus enim eorum, inquit, cognoscetis eos.

Sed in^a omnibus commendantes nosmet ipsos, ut Dei ministri, in^b patientia multa, in afflictionibus, in^c necessitatibus, in^d angustijs, in plagis, in^e carceribus, in^f seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in^h puritate, in scientia, in longanimitate, inⁱ bonitate, in^k spiritu sancto, in^l charitate non simulata, in^m sermone ueritatis, in uirtute Dei, perⁿ arma iustitiæ dextra atq; sinistra, per^o gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam: quasi^p seductores, & ueraces: quasi^q ignoti, & noti: quasi^r morientes, & ecce^s uiuimus: ^t quasi correcti, & non mortificati, quasi^u dolentes, semper autē gaudentes, quasi^x pauperes, multos uerò ditantes: quasi^y nihil habentes, & omnia possidentes.

a ¶ Sed in omnibus cōmendantes.) Non solū,

lūm, inquit, accusationibus ac notis expurgati esse studeamus, uerum etiam in omnibus comprobauimus, exhibuimusq; nos tanq̄ Dei ministros. Quo autem modo hoc fiat, & qua ratione se ipsum quispiam Dei ministrum ostendat? Sanè per ea quæ in conuersatione gerit, ac uita. Expende autem: nō dixit, apparentes, sed cōmendantes, hoc est, demonstrātes. Id uerò per operam & ueritatē, demonstratiōnē habet. **b** ¶ In patientia mult.) Omnia generose ferentes quæ ferenda sunt. Idcirco ait, in multa. & deinde exponit: in quibus uersantes, generoseq; transigētes, nosmetipsos Dei cōmendemus ministros. **c** ¶ In necessitatibus.) Tribulationis uehementiā necessitates patefaciūt, quando quidē mala sunt inuitabilia. **d** ¶ In angustiis.) Maxima, inquit, fuit euadendi difficultas. **e** ¶ In carceribus.) Et hoc etiam intolerabile quiddam est. Cū uerò omnia simul etiam cōcurrerint, certamen inspicito. **f** ¶ In seditionibus.) Quandō exagitabatur, & ne ubi quidem consisteret reperiebat. **g** ¶ In laboribus.) Ea quidem quæ diximus, ab hostibus ei ingerebantur: itemq; ea quæ à semetipso sufferrentur, edicit, tanq̄ ea non fuerint satis. Labores quoq; ait, & operationes propriarū manūū, erumnas etiam, quæ illi prædicationis causa obtingebant. **h** ¶ In puritate.) Puritatem dicit, tum castitatem, seu temperantiam, tum Euangelium absque sumptu, atque in omnibus munditiam. Porrò illud, in scientia, in sapientiā Dei significat, quæ reuera scientia

est, & nō ut falsi Apostoli humana duntaxat sapiētia subornati. THEODORETI: Ut dicat, & erga sciētes & erga inscios longanimes esse studemus, atq; benigni. Quod autē dicit *ἡ ἀγνότης*, hoc est, in puritate, *ἡ ἀγνεία*, hoc est, in candore significat: non autē *ἡ ἀγνοία*, id est, in ignorantia. EIVSDEM: Puritatē uocat pecuniarū contemptum, quōd ne necessarios quidem usus acceperit à Corinthijs. Scientiam uerō (ut reor) doctrinā dicit. i ¶ In bonitatē.) Ad amanti no animo opus est, ut cū quispiam undiq; impugnetur, nō modō patientiā teneat, uerū etiā benignitatē. Cōtumelijs enim, inquit, affecti benedicimus. k ¶ In spiritu sancto.) Ostendit præterea undē talis euaserit. In spiritu, inquit, existentes operati sumus. Tunc uerō spiritus posuit auxiliū, cū sua ipsius adduxit in medium. l ¶ In charitate.) Bonorū omnium causa hæc est: hæc, inquam, talem ipsum effecit: hæc ut spiritus merneret cōegit. m ¶ In sermone ueritatis.) Quod alibi dicit, Verbum Dei nō dolo tractantes. Rursum quoq; In uirtute Dei, inquit, per quā cuncta peregrinamus. Deo nanq; omnia refert. n ¶ Per arma iustitiæ.) Si quidē, inquit, discere cupitis, undenam hæc tam egregiē peregerimus, audite: Per arma, inquit, dextra & sinistra: quæ tametsi contraria sibi esse uideantur, iustitiæ tamen sunt arma. Porro dextra ea dicit, quæ prospera uidentur, honores inquā, & gloriam ab hominibus, quibus nec intumimus, inquit, nec in gloriam elati sumus inanem: idcirco enim

enim arma iustitiæ facta sunt. Sinistra uerò ea, quæ his contraria sunt: uti sunt tentationes, persequutiones, contumeliæ, quibus nec cessimus, nec quicquam inde pertulimus nocementi. Ac si dixisset: uidem semper durauimus, neque in prosperis elati, neque in aduersis effœminati. IOANNIS: Sinistra ea uocat, quæ iniucunda uidentur. Atqui hæc sunt, quæ mercedem habent. Cuius uerò rei gratia sic ea dicitur? Vel iuxta uulgi opinionem, uel quòd Deus ipse iusserit: Orate ne intretis in tentationem.

Matth. 26.

o ¶ Per gloriam & ignominiam.) Rursum sinistra dicitur & dextra. Et uide, honores qui ab hominibus ei offerbantur, ad proprium suum apposuit opus. Nouerat enim magnum quiddam esse, honoribus non intumescere. p ¶ Quasi seductores.) He nanque & bonæ famæ, & infamiæ sunt. q ¶ Quasi ignoti.) Id enim gloriæ & ignominie est. Nonnullis nanq; & noti erant, & magno studio habebantur: alij autem ne agnoscere quidem eos dignabantur. r ¶ Quasi morientes.) iuxta uehementiam, studiumq; eorum qui nos impugnabant. s ¶ Et ecce.) Per uirtutem Dei, atque potentiam. t ¶ Quasi correcti.) Porro hæc, inquit, permittebat Deus, castigans quidem, attamen ad mortem usque non derelinquens. u ¶ Quasi dolentes.) Apud externos quidem, per ea quæ patimur, moerere putabamur: ceterum semper, & in qualibet re absque intermissione gaudebanus. Sanctam inspicio animam:

non modò tentationes ferebat ingenuè, uerumetiam cum propter CHRISTVM sese pati calleret, in eis gaudebat. x ¶ Quasi pauperes.) Quasi mendici euasimus, at multos diuitijs, tum spiritualibus, tum carnalibus, reddidimus locupletes. Habebant enim omnium domos apertas, quæ faciebant quæcūq; ipsi uellent. y ¶ Quasi nihil habentes.) Nihil habens, omnium res habebat. Vniuerso quippe imperabat orbi. Si enim, inquit, fieri posset, & uestros oculos erutos dedissetis utiq; mihi. Possunt hæc de spiritualibus quoq; intelligi. Nam qui arcana uerba audiverat, qua ratione non esset ditissimus omnium?

Gal. 4.

of. 11. 11.

^aOs nostrum apertū est ad uos o Corinthij: ^bcor nostrū dilatātū est. Nō estis angusti in nobis, ^cangusti uerò estis in uisceribus uestris. ^dEandem autem remunerationem ut ^efilij dico. Dilatemini & uos, ^fne † ducatis iugū cum infidelibus. ^gQuæ enim participatio iustitiæ cum iniustitiâ? Quæ uerò cōmunio luci ad tenebras? ^hQuæ autem cōcordia Christo ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? ⁱaut quæ comparatio templo Dei cum idolis?

† Aliàs, ne in alteram partē inclinemini cū incredulis.

a ¶ Os nostrum apertum est.) Cū sua certamina exposuisset, ad sermonem de conuersatione ac norma uiuendi deflexit: atq; in primis persuadere conatur, quòd cū eos diligit, minus ametur ipse: & ait, Os nostrum apertum est: hoc est, silere ad uos non possumus, semper uobiscum differere cupimus. quod

reuera

reuera amantium, eorumq; qui nullo metu uel submissione loquantur, est. Aliter, PHOTII: Pro eo ut diceret: Facultatem nobis praeuistis aperiendi ad uos oris. Cum enim quisquā seruenter quidem amat, qui uerò sic ab eo amantur non aequè redamant, facultatem contra se multarum iustificationū amanti prae bent. Apertum est, inquit. Multitudini enim iustificationum ac fortitudini, nobis etiam silere cupientibus, ipsum tamen, dum scaturiunt transfluntq; ab illis aperitur os, ac labia ad loquendum laxantur. Rursumq; iustificationes adoritur: Supra modum, inquit, amamus, ac uelut in ipsis medullis habeamus, dilatamur, gaudemus habendo, & ipsi primi dilectioni initium dedimus. At uos perinde atq; angusti estis, si nos in uisceribus uestris perceperitis, non habetis nos in illis: sed nec ueluti remunerationē adimplentes erga nos, qui dilectioni initium dedimus, amorem ostenditis: imò quod est grauius, infidelium potius dilectionem, quam nostram, qui uos supra modū diligimus, praesertis. Ego autō uobis uti filijs loquor: saltem ueluti retributionem ac remunerationē implentes, dilatamini & ipsi, nosq; in uisceribus uestris, ut ipsi uos in nostris suscipimus, suscipite atq; diligite, ab infidelium uos ipsos amore excutientes ac sequestrantes: quemadmodum naturaliter seiuncta, atq; ab inuicem separata est fides & incredulitas, iustitia & iniustitia, lux à tenebris, Christus ab Antichristo, fidelis ab infideli, templum Dei ac templum idolorū. Si igitur

iustitie estis, lucis, CHRISTI, fideles, ac Dei templū,
 discedite ac seiūgamini à tenebris, ab iniustitia, ab An-
 tichristo. Infidelium enim, & eorū qui templum se-
 se idolorum effecerint, hæc sunt: à quibus oportet
 uos esse separatos ac seiunctos. Tunc enim & Domi-
 nus uos accipiet, & inhabitabit, & inambulabit in uo-
 bis, calles omnes, gestusq; dirigens. VEL etiam sic;
 Os nostrum apertum est, pro eo ut diceret, parati su-
 mus, nosq; ad omnia uos docendos cum simplicitate,
 cordisq; latitudine præparauimus. Quare uos quo-
 que alacri nos animo suscipite. b ¶ Cor nostrum
 dilatatum est.) Quemadmodum sanè caliditas di-
 latare cōsueuit, ita etiā charitas. Calidū enim quod-
 dam est charitas. ac si dixisset: Non modò ore, sed etiā
 corde diligo: omnes intus habeo. Quapropter, inquit
 ne angusti sitis in uobis, eò quòd desiderium animam
 dilataret illius. Cor nostrum dilatatum ad hoc est, ut or-
 nia uos doceamus: at uos in uisceribus uestris, hoc
 est, in charitate erga Deum, qua me amare debetis,
 angusti estis. Sic CLEMENS in quarto hypoty-
 seon. c ¶ Angusti uerò estis.) Ego, inquit, ne-
 quaquam sanè angustus sum, dum intra me uos omnes ha-
 beo: uos autem, dum intra uestra me uiscera habetis,
 estis angusti. Haud enim pari me, inquit, modo ama-
 tis. Habetis quidem, sed estis angusti. Infrà enim ait:
 Quanquam uos plus amo, minus tamē amor. d ¶ Eandē
 autē remuner.) Eandem uerò mercedem, hoc est,
 retributionem, & amoris æqualitatem impendite ut
 filij

filij, uosq; etiã dilatemihi quemadmodũ ego. Turpe
 nanq; est, ut cum equidem uos omnes intra me ipsum
 capiam, uos autẽ omnes simul ne unũ quidem me ca-
 piatis. **Aliter, PHOTII:** Eandem uerò remu-
 nationem.) Per defectum dictum est: deest enim
 uel, demonstrate, uel, in mediũ afferte. Potest sanẽ
 absq; defectu accipi, ut coniunctio illa, uerò, redun-
 det. Multa siquidem apud diuum Paulum, & coniu-
 ctionũ redundantia est, multiq; defectus. Sensum au-
 tem huiusmodi habebũt uerba, si iuxta cõiunctionis
 redundantiam accipiantur: Angusti estis in uisceri-
 bus uestris: & tum ad quid? ad eandem uidelicet re-
 muneracionem. Enim uero iniquum est, ut ad eandẽ
 quoque remuneracionem sitis angusti: quam obrem
 uti filijs loquor. Adhuc enim quasi filiorũ dilectionẽ
 inquirõ: dilatemihi & uos ad eandẽ remuneratio-
 nem, nosq; amate, ut & nos uos. **e ¶** Ut filijs di-
 co.) Ostendit pr. eterea etiam debitam esse charita-
 tem: debent enim parentibus filij. **f ¶** Ne ducãtis
 iugũ.) Ne putarẽt deinde, quòd sui duntaxat causa
 illorũ uellet beneuolentiã, ostendit quòd propter ip-
 sorum tantũ utilitatem ab eis charitatem exigat. ait
 enim: Hoc sanẽ est quod aio, ut me ametis: ad infide-
 les ne declinate, neq; cum illis habete cõmercium, ne-
 ue ab illis contaminemini. A metaphora momenti bi-
 lancium sumptum est quod ait, In alteram partẽ de-
 flectentes, seu inclinãtes. **g ¶** Quæ em̃ particip.)
 Pro personis res posuit ipsas. *Que, inquit, societas*

nobis & infidelibus quemadmodum etiam iustitie atq; iniustitie nihil comune, nec luci ad tenebras, neque Christo ad Belial, hoc est, apostatam & satanam. Belial enim Hebræorum uoce, apostatam significat. h. ¶ Quæ autem concordia.) Modis omnibus arce eos, ac sequestrare ab incredulis cupiens, non dixit, iustos & iniquos, sed quod erat maius. Non dixit lucis & tenebrarum operarios, sed quod plus erat. Non ait ministros CHRISTI & ministros satanæ, sed quod fuerat terribilius. Deinde ne nudarum rerum comparationes facere uideretur, ad ipsas descendit personas, Fideli, inquit, cum infideli. VER sic. Ut ijs, ait, que supra diximus, mutue communionis nihil est, sic neq; fideli cum infideli. ¶ Aut quæ comparatio.) Comparatio, hoc est, similitudo. Illi, ait, templum idolorū sunt, uos templum Dei: que igitur uobis societas? Quod autem templum Dei sitis, inquit, conuenit ut Hieremiā prophetā audiatis.

Leuit. 26. Vos enim estis templum Dei uiuētis, quem admodum dixit Deus: ^a Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. **Esa. 52.** Quapropter ^bexite de medio illorum, & separemini, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis, & ^cego suscipiam uos, & ero uobis in patrem, & ^duos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

CAPVT VII.

HAs ^eigitur habentes promissiones charissimi, emundemus nosmetipsos ab ^fomni inquinamen

quinamento carnis & spiritus, & perficiētes sanctimoniam in timore Dei.

a ¶ Inhabitabo in illis.) Inhabitabo quidem, uelut in templis. Inambulabo uerò, habitum ad nos indicantis est. b ¶ Exite de medio.) Ab infidelibus uidelicet, qui immundi sunt. Quòd uerò ait, separemini, quasi soli est, quantum ad illos. Ceterum uideas: non ait, ne immunda facite: sed, ne attingite quidem. c ¶ Et ego suscipiam uos.) Si enim, inquit, ab illis recesseritis, mansionē habebitis apud me. d ¶ Et uos eritis.) Præcinuit Propheta hanc ipsam, quæ nobis per fidem & lauacrum donata est, adoptionem. e ¶ Has igitur habentes promissiones.) Quas? Et ut templa simus Dei, & ipsum tum habitantē, tum inambulantē habeamus: atq; ut filij Dei simus, ac populus. f ¶ Ab omni inquinamento.) Sunt quidem peccata quædam, ut fornicatio, & adulteriū, quæ sordidant corpus: sunt quæ spiritū, hoc est, animā, ut immundæ cogitationes, memoriæ iniuriarū, & contumeliæ. THEODORETI: Spiritus hoc in loco inquinamenta, animæ dicit sordet. Spiritus quidem inquinamenta dicens, societate cum idolis indicat, carnis autem peccatum in facto. g ¶ Perficientes sanctimoniam.) Et nequaquā sanè ab immunditijs inquinamentisq; abstinere sat est, sed & boni etiam nonnihil peragere. quare inquit: Perficientes sanctificationem, hoc est, operantes. Porò sanctificatio & castitas intelligitur, & ab omni

passione munditia. Deinde ait, In timore Dei. Fieri nanq; potest, ut quis laudabile quippiam peragat, ut hominibus placeat, per simulationē, & inanem gloriam, seu propter timorem Dei. Enimuero Dei si adsit timor, facile sanctificatio adipiscitur.

^a Capaces estote nostri: neminem læsimus, neminem corrupimus, neminē fraudauimus. ^b Non ad condemnationem dico. ^c Prædixi enim quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum, & conuiuendū. Multa ^d mihi fiducia erga uos: ^e multa mihi gloriatio de uobis. Impletus sum ^f cōsolatione; uehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra. Etenim cum uenissemus in Macedoniā, ^g nullā habuit relaxationē caro nostra, sed in omnibus affigebamur: foris ^h pugna, ⁱ intus terrores.

^a ¶ Capaces estote.) Iterū sermonē de charitate ciet. Ex quo enim eos percusserat, dicēs, quòd ab eo auellerentur, adhererent uerò infidelibus atq; immundis: nunc eis medetur, & ait, Capaces nostri estote: hoc est, nos ipsos accipite, ac uerba nostra. Nunc enim à uestris mentibus elapsi ferè sumus. Falsos dein de etiam Apostolos clanculò uerberans, dicit: Neminem profectò læsimus, uel dogmatibus corrupimus impijs, uel circumuenimus per sermonem, seu prædicationē, pecunias cumulantes. Vel certè, Capaces estote dixit, pro, Suscipite nos intra uestros animos.

^b ¶ Non ad condemnationē dico.) Nō ut uos, inquit, cōdemnē, hæc dico. Vnde manifestū est: Nempe
ex cha-

ex charitate: quoniã in cordibus nostris ad cõmori-
 endum, & ad conuiuendũ estis, inquit. c ¶ Prædixi
 enim.) Fieri siquidem potest, ut quispiã & amatus
 sit, & in alicuius corde: at non adeò, ut & ad cõmo-
 riendum sit, & ad cõuiuendum: uerũ ita à me amami
 ni. Et quænam hæc species amicitie est, & conuiue-
 re? Sanè inquit. Sunt enim qui amicis malè quidem
 agentibus condoleant, prosperè autè currentibus in-
 uideãt: at nos minimè. d ¶ Multa mihi fiducia.)
 Pondus alio item modo, grauedinemq; increpationis
 leuat. Nequaquã hæc dico, inquit, ut uos condemnem,
 sed quoniam multa mihi erga uos fiducia est. Quip-
 pe quod etiam quædam species est charitatis. Aliter,
 PHOTII: Si nos, ut ais, & in præcordijs habes, & ita
 amas, ut & ad cõmoriendum, & cõuiuendum, cur in-
 crepas: cur reprehendis? Ob id ipsum, inquit. Ex miro
 enim, quo erga uos amore afficior, multã in uos fidu-
 ciam habeo, nullum suspicor offendiculum, ne quo
 fiat ut sim asperior, ut molestiam inferam, ut ad de-
 sperationem, seu (quod omnino contrarium est) ad
 elationem impellam. Qui enim reuera diligit, omni-
 prorsus circa eos, quos amat, mala suspitione abest,
 & quod reliquũ est, audacter omnia & facit & dicit.
 VEL etiam sic: Vnde patet quòd non sim ad conde-
 mationẽ locutus? Ex eo uel maxime, quòd uos in no-
 stris habeamus præcordijs, & quæ sequuntur. Hoc au-
 tem unde manifestũ? Ex eo quod in uobis audeamus,
 & fiduciam habeamus erga uos. Verũ & hoc unde

planū est: Gloriamur, inquit, in uobis: id enim aliunde non proficiscitur, quam ex multa confidentia, & fiducia. Quare etiam ait: Repletus sum consolatione &c. e ¶ Multa mihi gloriatio.) Iis quidē quæ prius dixerat, hæc contraria esse uidentur, ubi eos uituperarat increparatq; ut qui absurdis adhæsisent: attamen nulla contrarietas inest. Laus enim quæ fit per hæc, efficit quò utilitas illa, quæ ex increpationibus prouenit, facilius percipiatur, utpote ab amico procedens illud ipsum quod dicitur. Ac si dixisset: Num quæ dixi, quasi condemnans uituperansue dixi? Neutiquā: imò ut ad uirtutem crescatis. Aliter, PHOTII: Obiurgat prius, quòd ad infideles dilectione declinauerāt: nunc uerò collaudat, quòd quæ in priori epistola eis obiecta fuerant, studio correxerint. Id enim arbitri incorrupti est, et peccata uituperare, & rectè facta laudare. f ¶ Impletus sum cōsolatione.) Quæ: Quòd cū in priori epistola increpasssem, inquit, uos, correcti emendatiq; per ipsa opera, ne mœrerē, cōsolati estis me. Neq; id modò, inquit, ueruetiā me gaudio replestis: a deò uelox ac cita correctio fuit, & efficax. Id enim dixerim, uehementer exundo gaudio: idq; tantū est, inquit, ut satis pro qua libet afflictione nobis fuerit. g ¶ Nullam habui relaxationem.) Exponit deinde afflictionem ipsam, eamq; sermone attollit, quò & gaudium, quod per eos emerfit, maius ostendat: quippe quòd talem ac tantam, per ea quæ fecimus, afflictionem obnubilare

lare quiuerit. *h* ¶ (Foris pugnae.) Ab infidelibus, quos externos uocare consuevit. *i* ¶ (Intus terrores.) Propter fideles, ne forte tentationibus labefactarentur.

¶ Sed ^a qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi. ^b non solum autem in aduentu ipsius, uerum etiam in consolatione, ^c quam ille accepit de uobis, cum ^d annuntiaret nobis uestrum desiderium, ^e uestrum fletum, uestrum pro me ^f studium, adeo ut ^g magis gauisus fuerim. ^h Nam etiam si contristauis uos per ⁱ epistolam, non me poenitet, tametsi poenituerat. Video enim quod epistola illa, tam etsi ^k ad tempus, contristauit uos: nunc ^l gaudeo, non quod fueritis contristati, sed quod contristati sitis ^m ad resipiscentiam. Nam ⁿ contristati estis secundum Deum, sic, ut in nulla re ^o detrimento affecti sitis per nos. Nam ^p qui secundum Deum est dolor, is poenitentiam ad salutem ^q haud poenitentiam parit: at mundi dolor mortem affert. ^r Ecce enim ipsum idem quod secundum Deum contristati fuistis, quantum uobis genuit sollicitudinem, ^s imo satisfactionem, ^t imo indignationem, imo timorem, imo desiderium, imo uindictam: Siquidem in ^u omnibus comendastis uosmetipsos, quod puri sitis in eo negotio.

¶ *a* ¶ (Sed qui consolatur humiles.) Quis ille est, qui humiles consolatur, ac desitutos? Deus inquam. Nos hic, inquit, per Titi aduentum consolatus est. Ma

gnum quiddam facit aduentus illius. Vult enim eis fi-
 de dignum, & amicum hominem comprobare.
 b ¶ Non solum autem.) Non modò aduentus il-
 lius letitia me affecit, sed propterea quòd & consola-
 tionem ipse, & letitiam à uobis acceperit. Postquam
 enim correcti estis & emendati, ipse quoq; de uestra
 hac mutatione solatium sumpsit, nosq; etiam pariter
 consolatione affecti sumus. Vidésne quantum eis Ti-
 tum familiarem reddat? Hic est enim, qui cum prio-
 ri epistola missus ad eos fuerat. c ¶ Quam ille ac-
 cepit.) Non dicit, à uobis, sed de uobis. De uestra e-
 nim mutatione habuit ipse consolationē. d ¶ Cùm
 annuntiaret nobis.) Itemq; ipsam quoq; consola-
 tionem edicit. Letitia etenim affecit nos, inquit, cùm
 uestrum desiderium, quo me profectò uidere cupitis,
 nobis annuntiaret. e ¶ Vestrum fletum.) Ne-
 quaquam dicit, lachrymas duntaxat emisistis: sed, fle-
 uistis super increpationem illam meam, quæ in prio-
 ri epistola habebatur. f ¶ Vestrum pro me stu-
 dium.) Haud iram, uerùm quod erat maius, stu-
 dium, inquit, quo in eum, qui fuerat fornicatus, inq;
 detractores meos, falsos inquã Apostolos, inuecti fui-
 stis. g ¶ Adeò ut magis gauisus fuerim.) Neuti-
 quam sanè ob meas, quas dixi, afflictiones mœrore
 affectus fueram. Aliter, PHOTII: Quonam ma-
 gis gauisus sum? Vel mœrore magis gauisus sum, quẽ
 in tentationibus & angustijs, quas diximus, pertuli:
 uel mœrore quem sustinui propterea quòd uos per
 epistolam

epistolam cōtristaueram. At familiarius germaniusq; est posterius: huic enim magis reliqua, quæ deinceps subsequuntur, aptantur uerba. Attamen potest etiā utrunq; stare. Ait igitur, quòd plus letitiæ gaudium, quàm mœror tristitiæ attulit. Deinde, quòd licet uos, inquit, mœrore affecerim per epistolam, ueruntamē tristati ad resipiscentiam estis. quod est, secundū Deū tristatos fuisse. Et is quidem iuxta seriem intellectus est: intermedia autem periodi sunt, & causarum red ditiones, repetitionesq; eorum quæ dictæ sunt. Mos enim diuo huic uiro est, periodis periodos copulare, & plenam ac pinguem reddere orationem, & hac de causa repetitione indigere: quemadmodum dictæ con tinuationi contextus huius uerba illa interseruntur, non me pœnitet. Deinde, tametsi pœnituerat. Rursum huius causa, uideo nanq; quòd epistola illa. Et neq; hæc ipsa periodus simplex est, sed inter ferta: ait enim, Tametsi ad tempus uos cōtristauit: & non dixit, Tametsi cōtristauit uos: sed, tametsi ad tem pus. Porrò quòd ait, Nunc gaudeo: illius repetitio est quod dixerat, Ita ut magis gauisus fuerim. Ex quo enim periodorum densitate orationem compleuerat, uidebatq; obscuritate conclusam, usus est repetitione. Deinde hoc pacto illud reddidit, Sed quòd ad resipi scentiam contristati estis: quippe quod, ut etiam dic tum est, superioribus copulatur, uidelicet, Ita ut ma gis gauisus fuerim, quòd tametsi contristaueram uos per epistolam: at certè, quòd ad resipiscentiam con-

tristati fuistis. Et tamen hoc quoque interseritur. Simplicius uero est atque germanius: Ita ut gauisus sim, quod ad resipiscentiam contristati fueritis. Hæc uero minutie non idcirco à me subtiliter disputantur, quod his iactaret Paulus, uel quod nos ipsum de his iactabundè locutum nouerimus: imò ut externos, qui idiotismum atque inscitiam probro Ecclesiæ dant, rubore suffundamus. Per hæc enim ostenditur, ob id ipsum, ob periodos inquam, ac uerborum amplexus, pro-

Demosthenem
& Thucydide
intelligit.

pter quos supini homines Pæanica, Olorique; filium penè demirati adorant, longiori hos Paulus interuallo, quam hi alios, obnubilare, & obscuros reddere. Et horum quidem uita hoc in labore contrita fuit, is autem ne oculos quidem in ea inuertere, uel negligenti usu, dignabatur. Et millicies in huius uerbis tale quiddam uidere licet: quippe cum ipsa Dei gratia, ea quæ alij curam adhibentes non assequuntur, suis cultoribus, ad illorum redargutionem, etiam non querentibus, reuelet, doceatque; multò magis tum ocium seu uacationem, tum laborem contemnere in huiusmodi. Per quæ enim (ut illi dicerent) idiotismus ea, quæ ad eloquentiam spectant atque facundiam, & quando uult, & feliciter accipit, & subdita habet plusquam illi, qui in his operam ac uitam coterunt: per hæc eadem, studium atque labor superuacuis deprehenditur, atque futilis, dum ipsa gratia auxilium non impendit.

h ¶ Nam etsi contristauim. i ¶ Per epistolam

lam

lam.) Tameſi ea, quæ in priori epiſtola ſcripſimus, talia ſint, ut modum exceſſerint increpationis, & ob id efficiant, quòd me pœniteat: magnũ tamen lucrũ, quòd inde obtigit, nõ ſinit ut de cætero mœrore afficiar. Hæc autem non idcirco dicit, quòd modum increpando exceſſerit, ſed prætextum aſſert, poſtquã rem ipſe perfecerat. k ¶ Tameſi ad tempus.) Ad tempus uos, inquit, mœrore affecit, at lucrũ perpetuò manet. l ¶ Nunc gaudeo.) Conſequens fuerat ut diceret, Sed magnas apportauit utilitates: non autem hoc ait, ſed ad ſuam ipſius prouidentiam, eorumq; laudes deflexit. m ¶ Quòd contriſtati ſitis ad reſipiſcentiã.) Quodnã, inquit, lucrũ mihi obuenit de ueſtra triſtitia? Expende autẽ: quòd contriſtati fuerint, epiſtolæ adſcribens, pœnitentiã neutiſſimam ex ea, ſed ex uirtute illorum prodiſſe fatetur. Non enim dixit, Contriſtauit uos ad reſipiſcentiam: ſed, ad reſipiſcentiam contriſtati eſtis. n ¶ Nam cõtritiſtati eſtis.) Nam triſtitia hæc bona eſt, non ſecus ac ea mala, quæ eſt ſecundũ hominẽ. o ¶ Detrimẽto affecti ſitis.) Si tacuiſſemus, inquit, nec obiurgauiffemus, damno, anſam uobis reſipiſcendi non præbentes, affeciſſemus uos. p ¶ Nam qui ſecundũ Deum eſt dolor.) Deinceps de mœrore ac dolore, qui ſecũdũ Deum eſt, philoſophatur, ab eo ipſum diſtinguens qui eſt mundi, & ait: Qui enim ſecundũ Deum dolor eſt, is pœnitentiã haud pœnitendam gignit: perinde atque is nimirum qui mundi

est, mortē, quādo quidem propter pecunias, propter
 gloriā quis mœrore afficitur. Ex quo enim mœroris
 pharmacū ad tristitiā inferendam duntaxat propter
 peccata paratū fuit, ad hoc solū etiā prodest: in cæte-
 ris uerò etiā plurimū obest. Præter naturā enim eo u-
 timur. Aliter, PHOTII: Pœnitentiā, inquit, haud pœ-
 nitendā, adeo quòd si secundū Deū cōtristati fueritis,
 ostendetis utiq; per id, quòd minimè posthac à bona il-
 la pœnitētia descueritis, nec in cōtrariū fueritis circū
 acti, nec huius rei uos pœnitebit. Quod sanè adhortā-
 tis est, ne unq; à recto declinēt iudicio. q ¶ Haud pœ-
 nitendā.) Nunquid enim fieri potest, ut eum qui se-
 cundū Deū tristatus est, pœniteat unq; ? uel semetip-
 sum coërceat, quāobrem contristatus sit: quod reuera
 propter mundi huius dolorē cōtingere sæpenumero
 solet. r ¶ Ecce em.) Ac deinde per ea quæ contige-
 runt, dictorū infert demonstraciones. En (inquit) illud,
 quòd secundū Deum cōtristati fuistis, quantū studij
 operatum est. Non enim solū ad pœnitudinē, quòd
 contristati fuistis, non uenistis, sed magis magisq; stu-
 diosos reddidit. Atq; indicia studij in medium affert.
 s ¶ Imò satisfactionem.) Quòd ait, Imò, in om-
 nibus hisce capitibus pro etiam ponitur. Et satisfā-
 ctionem operatus est erga me, tum quòd per pœniten-
 tiam satisfeceritis, tum etiā quòd eum à uobis, qui for-
 nicatus fuerat, separaueritis. t ¶ Imò indignatio-
 nem.) Et indignationē, inquit, in eum qui fuerat for-
 nicatus, & timorē erga me: tanta siquidē emendatio
 ac dest-

ac desiderium, dum timeret, emerfit. Nam quoniam id quod dixerat, imò timorē, non nihil in se molestiæ habere uidebatur, addit, imò desiderium. Amātes nanq; me, inquit, ac ne me cōtristaretis ueriti, emēdati estis. Et studium inquit, uel pro Deo, uel pro me in detractores falsos Apostolos. Imò uindictam.) Leges enim Dei, ab eo qui fuerat fornicatus, cōtumelijs affectas, uli estis. u ¶ In omnib. cōmendastis uos.) Non modò, ait, nihil tale, quale fornicator ille, ausi fuistis, sed ne cibum quidem cum eo sumpstis. Ex quo enim dixerat in priori, Et uos inflati estis: quippe quòd eos participes illius, qui deliquerat, faciebat: nunc ait, Et ipsam suspensionem abstulistis.

Proinde tametsi scripserim uobis, nō id feci eius causa qui blasphemauerat, nec eius qui fuerat læsus: sed ut manifestet sollicitudo uestra pro nobis apud uos in cōspectu Dei. Idcirco cōsolationē accepimus ex cōsolatione uestra: abundantius autē magisq; gauisi sumus ob gaudium Titi, quòd refocillatus sit spiritus illius ab omnibus uobis: quòd si quid apud illum de uobis gloriatus sum, & non fuerim pudefactus, sed quemadmodū omnia in ueritate locuti sumus uobis, ita & gloriatio nostra, qua usus fueram apud Titum, ueritas facta est. Et uiscera illius abundantius erga uos affecta sunt, dum recolit omnium uestrum obedientiam, quæadmodū cū timore ac tremore exceperitis ipsum. Gau deo quòd in omnibus confidam in uobis.

a ¶ Tametsi scripserim.) Quisnam ille qui affectus, quisue qui iniuria est affectus? Qui fuerat fornicati. Iniuria enim affecterant semetipsos, atque affecti pariter fuerant à semetipsis. Hoc uerò est quod ait: Tales ac tantas, inquit, increpationes nequaquã eorum potissimũ causa, qui fuerant fornicati, literis uobis demandauit: sed propter uos ipsos fulciendos, ne id malum serpens, ad uos etiam perueniret. Modicum siquidem fermentum totam inficit massam. Sed tunc quidem sic: nunc autem, inquit, ut ostendam quanto uos studio, quantaq; sollicitudine prosequar, quippe quod modo, quem dixeram prius, adamusim coit. Rem uerò, quæ mirum præ se fert amorem, dicit.

b ¶ Non id feci eius causa qui læsit.) Nequaquã id est quod ait, Causa eorum non scripsi: sed, nequaquã gratia eorũ in primis, sed tum propter uos, tum propter illos. c ¶ Sollicitudo uestra pro nobis.) Erat sanè charitas apud me, uerũ in lucem prodire eam, inquit, perinde atq; Deo spectante, querebã: quòd scilicet ueritatem dico. d ¶ Idcirco consolationem accepimus.) Postquam meum etiam in uos studiũ præ me tuli, totum quoq; nobis rectè succedit. e ¶ Ex consolatione uestra.) Duplici se ab eis consolatione fatetur affectum. Prima quidem, quòd nequaquã frustra eos per epistolam increpasset, atq; illi contra per increpationem sint emendati. Altera uerò, quòd Titũ recreauerint. Nam ipse ait, Ob gaudium Titi: ostendens, quòd multam eis Titus gratiam

tiam fateatur. Ex gaudio namq; illius, refocillationis redundantiã, gratiarumq; actionũ eius in illos abundantiam, indicat. Quapropter etiam consolationem hanc priori præfert consolationi: atque hæc dicit, ut magis eos magisq; ad Titi beneuolentiam trahat. Missurus enim illum ad eos fuerat iterũ cum epistola. Que uerò Titi refocillatio, ob quã gaudere ipse debuerit, extitit? Vel ipsa eorũ correctio, pro qua Paulus ipse consolationem acciperet: uel eorum obedientia erga omnia, necnon hospitalitas cum reuerentia et fide. Maximum enim pietatis argumentũ est, honor ac reuerentia erga illius nuncium. Mirũ, inquit, in modum ob uestri emendationẽ sumus cõsolatione affecti: magis uerò ob gaudium Titi gauisi sumus, quòd propter uestram correctionẽ animus eius refocillatus sit. f ¶ Quòd si quid gloriatus sum.) Discipulorũ sanè uirtutis argumentũ est, cùm de illis magister gloriatur: itemq; magistrorũ demonstratio charitatis. g ¶ Non fuerim pudefactus.) Nequaquam enim repertus fui mendax. PHOTII: Si quid gloriatus sum, non fuerim pudefactus. Vel circa eandem sermonis particulam due accipiendæ sunt dictiones: et ea, quæ in priori superinducitur, ad causam est referenda, ibi punctum figentes, ubi ait, Gloriatus sum. Vel (quod mihi quidẽ uidetur) utraq; potius lectio, uti proprium constituens intellectum, per finale punctum pungentes, legenda est: essetq; profectò utriusq; lectionis perfectus talis intellectus.

Gloriatuſ ſum, inquit: hoc eſt, rectè conuenienterq; gloriatuſ ſum. Gloriatuſ ſum, inquam: perfectam reperi gloriationē. Deinde, Non fuerim pudefactuſ: nō ſim ſpe defraudatuſ: nō ſim ob id pudefactuſ, quòd talia expectauerim. Porro hæc dicens, & per lectionū tyrum, & earum prolationē, gaudiū præ ſe tulit, & quam haberet conſolationē. Ita potens erat, qui manifeſte perfectèq; per ſermones ſententiā ac uoluntatem ſuam exprimeret, & exhiberet. Poſtea, Noſtra quoq; pro Tito, ſiue de Tito gloriatio erga uos facta. Hoc enim id, quod prius appenſum fuerat, oſtendere uidetur, nempe: Sed quemadmodū omnia in ueritate loquuti ſumus. Nam quemadmodum omnia, inquit, eundem ad modum & de Tito. Vel potius (ut nobis magis quoque placet) gloriatio noſtra pro uobis ſuper hac re: hoc eſt, coram Tito facta. Hunc ſiquidem intellectum expetunt antedicta, Refocillatuſ eſt ſpirituſ illiuſ: Gloriatuſ ſum: Non fuerim pudefactuſ. Porro illud, Sed omnia in ueritate, nequaquam contrariabitur. Vt enim, inquit, uobis ea quæ diximus, in ueritate locuti ſumus: ita etiam quæ de uobis Tito ſumus locuti, ad ueritatem uenerunt: atq; in tantum nihil eorum, quæ dixi ei de uobis, per mendacium dixi, quòd uiſcera quoq; ipſiuſ abundantius quàm aliorū, hoc eſt, plus quàm aliorum, erga uos ſunt affecta: & quæ ſequuntur. h ¶ Sed quemadmodū omnia in ueritate.) Multa ſanè de Tito ſcripſerat, quæ nunc quaſi obiter rata facit. Vt enim illa, inquit, uera ſunt

sunt, ita etiam quæ de uobis gloriati sumus. i ¶ Et uiscera illius.) Quasi affectus ipse. Id uerò illius dixerim, qui Titum eis nimium amantem, deuinctum, atque adglutinatum commendet. Idcirco uiscera, & non dilectionē dixit. Viscera enim plus quiddam insinuant. k ¶ Dum recolit.) Deinde ne uerba hæc assentationi darentur, causam quoq; affectionis apponit, maiorem eos in modum adhortans. Hoc autem etiam Titum, ut qui Corinthios semper gestet in mente, atque eos etiam, quòd ita habere potuerint Titum, honestat. l ¶ Cum timore ac tremore.) Obedientiæ præterea uehementiam dicit, quòd non modò fuerit obedientia, sed timor ac tremor, ne in aliquod rursum impingerent, quemadmodù super eum olim qui fuerat fornicatus. m ¶ Gaudeo quòd in omnib.) Et si corrigere fuerit opus, ueritus nõ sum ne fortè desciscatis: & si pro uobis gloriari, neq; sic ueritus sum ne uidear mendax. Hoc autē dicens, sermone de eleemosyna uiam sternit. n ¶ Confidā in uobis.) Siue in præsentia Titi, siue aliis cuiuspiā gloriari oporteat, uel in omni re: seu redarguere, ac ei qui fuerat fornicatus, necesse fuerit aduersari: siue suscipere, ac reuocare pœnitentem, uel quicq; aliud peragere, in quouis horum gloriari audeo in uobis.

CAPVT. VIII.

CERTIORES autem uos facio fratres de^a gratia Dei,^b quæ data fuit in Ecclesiis^c Macedoniæ: quoniā^d in multa probatione afflictionis exu

berantia gaudij illorū, & e profunda paupertas eorundem exuberavit in diuitias simplicitatis ipsorū. ^f Nam pro uiribus (testor) & supra uires prompti fuerunt, cum multa obsecratione rogantes nos, ^g ut gratiam & societate ministri in sanctos susciperemus: ^h & non quatenus sperabamus, ⁱ sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde etiam nobis, per uoluntatem Dei, in hoc ^k ut adhortaremur Titum, ^l ut quemadmodum ante cepisset, ^m ita & consummaret quoque erga uos beneficentiam hanc.

a ¶ De gratia Dei.) Admodum artificiose sermonem de eleemosyna parat. Non enim de increpatione ad admonitionem uenit (sic enim ingratum sermonem reddidisset) uerum a laudibus. Porro sermonem de eleemosyna cedere illis cupit, & ait, Gratiam Dei: gratiam donum uocans. Dei siquidem donum est, esse misericordem, non secus ac exequi curationes.

b ¶ Quae data fuit.) Solertiam Apostoli animaduerte. Non enim statim dicit, Eleemosynam date: sed egregia aliorum circa eleemosynam facinora prius exponit. Dum enim illos collaudat, magis hos ad simile hortatur & incitat studium. c ¶ Ecclesijs Macedoniae.) Non dixit, in parte: sed integram cum omnibus partibus suis gentem illam laudibus effert, Ecclesijs inquit Macedoniae. d ¶ In multa probatione.) Adeo, inquit, afflicti fuerunt, quod etiam ex patientia ipsa euaserunt probati: & forsitan mirabile hoc nondum fuerit, sed quod ex tanta afflictione,

tantum

tantum gaudij in illis pullulauit. Gaudium nanq; eorum ex eo auspiciari licet quòd ait, Exundauit.

e ¶ (Et profunda paupertate.) Et quemadmodum afflictio, inquit, gaudium peperit, sic etiam profunda, hoc est, multa eorum inopia (etenim direpti à cōtribulibus fuerunt) in diuitias simplicitatis, id est, largitatis ac liberalitatis exuberauit. Quasi dixerit: O rem omnium excedentem opinionem. Paupertas nō modò in largas diuitias excreuit, uerum etiam exundauit. Non enim iuxta eorum, quæ dabantur, mensuram, imò iuxta præbentium consilium iudicatur. Ita ¶ uidua illa, cuius duo minuta pluris habita sunt.

f ¶ (Nam pro uiribus.) Testor enim illis, quòd pro uiribus, ¶ quid pro uiribus dico? etiam supra uires prompti quidem fuerunt ac uoluntarij. Altera laus: Non enim hortati illos sumus, ipsi uerò nos, multa cum adhortatione. Tertia laus: quòd nequaquā nos eos rogauerimus, at contra nos illi. Deinde exhortationem augens, inquit: Rogantes nos, ad hoc ut acciperemus. Aliud, PHOTII: In accisione refecatio neq; huius orationis, sex quædam egregia Macedonibus facinora testificatus est. Primū quidē, Quòd pro uiribus. Magnū profectò est, si quispiam, etiam quantum potest, eleemosynam fecerit: at is maius quoque adhuc ait, quòd etiam supra uires: hoc est, seipso ijs priuantes. Et tertium infert, Quòd prompti fuerunt: hoc est, nequaquā ad hoc exhortatione indiguerunt aliena, imò ex sese bonum aggressi sunt. Quartum,

Quòd cum multa exhortatione: quippe quod & fer-
 uentis est, & effundentis eleemosynā animi alacritat-
 is. Non enim perinde atq; ipsi gratiā alijs cōferrent,
 sed quasi ipsi magna lucrarentur, hortati sunt, roga-
 runt, nec rogantes lassati sunt. Rogantes enim nos,
 inquit. Quintum, Quòd etiam præter Pauli spem.
 An uides quò rem ipsam ascendere fecerit? Etiā me
 ipso magnanimiorem me reddiderunt. Non enim ip-
 se, inquit, tantum eleemosynæ illos abundanter susci-
 pios sperabam. At hīc neq; his cōtentus fuit, sed ad pe-
 riodi complementū, quod maximū erat omnium, po-
 suit. Quid enim, inquit, fuit, quod pro uiribus, & su-
 pra uires, & prompti, & adhortantes, & rogantes,
 & præter spem fecerūt? O uirtutis magnitudinē, atq;
 eleemosynas Pauli laudibus dignas. Quid, inquā, fuit
 quod fecerūt? Dederūt, inquit, se ipsos primū Domi-
 no, deinde etiā nobis, per uoluntatē Dei. Non partē
 quandam dederūt, partemq; apud se ipsos seruarūt:
 uerū se ipsos Domino totos, hoc est, nullas sibi ipsis ui-
 uendi occasiones reliquerūt: sed datis omnibus, om-
 nem sui prouidentia, curā, sollicitudinēq; Domino
 cōmiserunt. Quapropter etiā egregij huius facinoris
 magnitudinem recogitans Paulus, infert: Per uolun-
 tatem Dei. pro eo ut diceret: Ne mireris o homo, Deū
 habui adiutorem, per horum animi alacritatem,
 promptitudinēq; allectum. Vbi porrò Deus est au-
 xiliator, nihil non fieri potest. Perpende autē quo id
 modo gratiam cōmunicationemq; uocans, in fine tan-
 dem

dem declarauit, quòd omnino dederint semetipsos.
 g ¶ Vt gratiã.) Ex quo homines emulabantur, gra-
 tiam ac munus rem ipsam ut accurrant uocat. Cõmis-
 nicationẽ uerò eleemosynã dicit, insinuans hos quidẽ
 pecunias impertitos, illos autẽ accipientes à Deo illis
 auxiliũ contulisse. h ¶ Et nõ quatenus.) Hoc
 tum ad afflictiones, tum ad earũ quantitã referen-
 dum est. Nõ enim sperauimus, inquit, quòd cùm in tan-
 ta afflictione uersarentur, uel darẽt, uel tanta darẽt.
 i ¶ Sed semetipsos dederũt.) Non Domino qui
 dem per partẽ, itemq; per partẽ rebus mundi huius,
 sed totos per omnia Domino seipsos dederũt, & no-
 bis etiã: nõ temerè sanè, sed per Dei uoluntatem: hoc
 est, propter uoluntatem ac beneplacitũ Dei agentes.
 k ¶ Vt adhortaremur Titum.) Atq; in tantũ, in-
 quit, seipsos dedidere, ad hoc ut Titum mittendum ad
 uos hac ipsa de causa uenirem, ut nulla in re Macedo-
 nibus inferiores sitis. l ¶ Vt quemadmodũ antè
 cõpisset.) Cõciliat, familiaremq; illis Titum efficit.
 Cõmonstrat enim cum per semetipsum etiam ad eun-
 dum ad Corinthios propensum, ne ipsi Macedonibus
 inferiores essent. Porrò id Titi charitati adscribendũ
 dixerim. Vt quemadmodũ, inquit, prius cõcepit, id est
 proposuit, quòd aduẽtus suus ad uos esset necessarius,
 etiã perficiat: hoc est, id ipsum quod facere conatus est
 compleat. Id enim est, Paratum illum esse in opus: ui-
 delicet, ut uos ad eleemosynam adducat. m ¶ Ira
 & consummaret.) Quemadmodũ reliqua etiam

uobis, inquit, peregit, quæ in præcedentibus testatur. Perpende autem quomodo ubiq; eleemosynam munificentiam nuncupet. Namq; ait, munificentiam hanc.

Sed quemadmodum in omnibus ^aabundatis fide, & sermone, & scientia, & omni diligentia, ^b& ea quæ ex uobis erga nos est charitate, ^cut etiã in hac beneficentia abundetis. ^dNon secundum imperium loquor, ^esed per sollicitudinem aliorum, etiam uestræ dilectionis sinceritatem approbans. ^fNostis enim munificentiam Domini nostri Iesu Christi, ^gquod propter uos pauper factus sit, ^hdiues cum esset, ut uos ⁱpaupertate illius ditesceretis. ^kEt consilium uobis in hoc do: nam hoc uobis cõducit, ^lqui non solum facere, uerum etiam uelle iam cepistis anno superiore: nunc autem etiam illud, quod facere cepistis, perficite: ^mut quemadmodum uoluntas prompta fuit, ita etiam perficiatis ex eo quod potestis.

a ¶ Abundatis fide.) Rursum inspicito cum laudibus exhortationẽ. Affluitis, inquit, hoc est, cum exuberantia omnia habetis: fide quidem, quæ est erga Deum: sermone autẽ, sapientia: scientia uerò, quæ uersatur circa dogmata: & omni studio circa uirtutem reliquã. b ¶ Et ea quæ ex uobis.) Et quẽadmodum, inquit, in dilectione erga me exundatis. Licet enim non eum sic amarent, ut illos ipse, amabãt tamen. Veruntamen uerba hæc adhortantis sunt ad eum sic amandum. c ¶ Ut etiam in hac beneficentia.)

centia.) Iterum eleemosynam beneficentiam uocat. Affluitis sanè plusquam Macedones, qui pauperes sunt. vel, quasi exundatis. d ¶ Non secundum imperium.) Quoniam multum comonestcerat, & Macedones plurimum collaudauerat, ne molestus uideretur, ait, Non iuxta imperium dixerim: hoc est, non quasi imperans, nec quasi cogens. e ¶ Sed per sollicitudinem.) Hoc est, Macedonum studium circa eleemosynam idcirco enarraui, ut illorum studio uos, quos ego diligo, probabiliores reddam. Approbans enim, hoc est, magis magisque uos probatos declarans. PHOTII: Dilectionis siquidè in Deum, si autem uelis, & in Paulum, manifesta demonstratio ac comprobatio est eleemosyna in proximos. Certus sum, inquit, quod & Deus à uobis, & nos propter ipsum amamur: sed syncera huius dilectionis argumentum manifestius, & confirmatio, per eleemosynam in proximos comprobatur. f ¶ Nostis enim munificentiam.) Pauper enim factus est propter carnem nostram: deinde condemnatus fuit, crucique affixus, atque id etiam propter nos, qui eramus indigni. g ¶ Quod propter uos pauper.) Si ergo ille tui gratia, inquit, effectus est pauper, tu uero ne pecunias quidem illius causa elargiris? h ¶ Diues cum esset.) In quantum est atque intelligitur Deus: quasi imperuestigabilis, inexcogitabilis, inuisibilis, & incomprehensibilis: gloriam habens, ad quam accedi non potest, lucem ineffabilem, maiestatem inopinabilem.

bilem. i ¶ *Ut uos paupertate illius.*) Nisi enim ille, inquit, pauper effectus esset, nos diuites euasissimus nunquam. At diuites ob peccatorum remissionem, ob sanctificationem, ob adoptionem, ob ipsum deniq; regnum cœlorum euasimus. k ¶ *Et consilium uobis in hoc.*) Vide quomodo cauet ne sit molestus. Consilium, inquit, do, non autem impono præceptum: atq; id ipsum consilium, quatenus uobis magis quam accipientibus, res ipsa conducat.

l ¶ *Qui non solum facere.*) Ac deinde ipsum promit consilium. Qui non modo, inquit, operis initium habuistis, uerum etiam uoluntatis: spontè uidelicet, ac nullo hortato ad faciendum. Nunc etiam reliquū est, ut opus ipsum re ipsa faciatis: hoc est, illud ipsum quod uelle cœpistis, implete. Hos quoq; nō secus ac Macedones, uoluntatē, eamq; spontaneā, præstare cupit. m ¶ *Ut quæadmodū uoluntas præpta.*) Ne, inquit, intra animi promptitudinē duntaxat opus hoc bonū consistat, sed quemadmodū ex sententia promptitudo facta est, atq; ex libera uoluntate, ita etiam promptitudinis huius cōpletio ex hoc fiat, quod quisq; possidet: id est, ex eorū oblatione qui habent. Quod si quis sanè non habeat, ex ipsa animi promptitudine iam compleuit.

^a Etenim si prius adsit animi promptitudo, ea, iuxta quicquid illud est quod possidet alius, accepta est: non iuxta illud quod non possidet. ^b Non enim ut alijs relaxatio sit, uobis

bis autem angustia: sed ut^e ex æqualitate^d in presenti tempore uestra copia illorum succurrat inopiæ, & illorum copia uestræ succurrat inopiæ, ut fiat æqualitas, ^e quemadmodum scriptum est: Qui multum habebat, huic superfuit nihil: & qui parum habebat, nihilo minus habuit.

Exod. 16.

a ¶ Etenim si prius adsit.) Si enim animi promptitudo adsit, prout habet, Deo acceptus est: licet parum, licet omnino nihil sit. Iuxta enim id, ait, quod quisque possidet, non iuxta id quod non possidet, ab eo exigitur. b ¶ Non enim ut alijs relaxatio sit.) Non enim, ut alij cum remissione ac requie alantur, oportet ut uos supra uires elargiamini, adeò ut uobis ex hoc, & penuria, & afflictio sit. Hoc autem exilitatis, tenuitatisq; illorum causa dixit. Qui enim Macedones, ut qui uires excesserint in dando, laudauerat, nulli dubiũ quin hos quoq; idem facere uoluisset. Deniq; dum condescendere uidetur, sub quadam figura etiam, ut supra uires elargiantur, necessarium esse probat. c ¶ Ex æqualitate.) Pecunijs, inquit, affluitis: at illi quibus eleemosynæ dandæ sunt, fiducia erga Deum exundant. Date ergo illis, quæ uobis supersunt & affluunt, pecunias: & eorum fiduciæ erga Deum accipite copiam. Cùm autẽ ex æqualitate dicit, sensim eos hortatur, ne exundantiam modò, uerum etiam penuriam ipsam dent. Hoc enim est quod inquit: Si exundantiam quidem

dederis, exundantiam quoque recipies: si uero totam prorsus fiduciam erga Deum amplecti uolueris, tu quoque omnia euacuato, da etiam ex ipsamet penuria: aequa enim acceptio dato est. d. ¶ In praesenti.) In praesenti, inquit, tempore: in futuro enim fieri nihil horum potest. Aliter, PHOTII: In praesenti quidem tempore aequalitatem facito: nam in futuro longè exuberantius accipies. Et temporaria quidem est, quae putatur penuria (in praesenti siquidem tempore, ait) diuitiae uero perpetuò duraturae sunt. e. ¶ Quemadmodum scriptum est.) Postquam ostendit, quòd nò solum dent, sed recipiant, maior aequè recipiant (quamuis enim dixerit, ut sit aequalitas, ad largitatè eos incitans id dixerat. Non enim aequale dixerim, cum quis pecunias dat, & fiduciam erga Deum recipit) nunc testimonio id probare conatur, quòd tametsi nihil impartiremini, nihil attamen omnino superesset uobis. accumulantiibus. Nam etsi nihil à uobis acciperent illi, nò idcirco quicquid eis deerit, Haud enim Deus, gratia cuius inopia fatigantur, despiciet eos. Etenim rapinam bonorum uestrorum amplexi cum gaudio estis, ad eos scribens, dicit. Laudabile quippe est quòd ex sese facere sint adorti, cum ad praebendam tantummodo uoluntatè admoniti fuerint. At maius sanè est, quòd ipsa uoluntas ex propria emerferit sententia, ac spontaneam electionem praesetulcrit. Si igitur quod reuera maius est, inquit, ostendistis, etiam quòd minus perficite.

Gratia

^a Gratia autem Deo, qui dedit eandem sollicitudinē pro uobis in corde Titi, ^b qui exhortationem acceperit: imò cum esset sollicitior, sponte sua uenerit ad uos. ^c Misimus autē unā cum eo fratrem illum, ^d cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: ^e nec id solū, uerumetiam electus est ab Ecclesiis comes ^f peregrinationis nostræ, cum hac beneficētia, quæ administratur à nobis ad ipsius Domini gloriam, & promptitudinem uestram: ^h declinantes hoc, ⁱ ne quis nos carpat in hac exuberantia, quæ administratur à nobis, ^k procurantes honesta nō solū coram Domino, sed etiam coram hominibus.

^a ¶ (Gratia autem Deo.) Postquā de eleemosyna quæcunq; necessaria fuerant disseruisset, laudat deinde eos ipsos, qui ad hoc missi fuerant, quò nulli suspicioni haberentur, imò ut ad promptitudinem alliciat offerēdi. Dei porrò dicit opus, quòd Titus in hoc ipsum fuerit incitatus: hoc siquidem pacto fide dignū faciens propter donum. Nisi enim magnus esset, nequitiam à Deo in hoc incitatus fuisset. ^b ¶ (Qui exhortationem acceperit.) Et unde, inquit, manifestum, quòd Deus ipse Titum fuerit adhortatus? Vnde inquam? Quòd exhortationē amplexus est. Hoc est, hortatus quidem fueram ipsum, attamen incitatus ad hoc per semetipsum erat. Quapropter mea quoque exhortatione studiosior, ultrò ipse uenit: hoc est, sponte sua, ac propria animi alacritate. Cæterū sapien-

tiam animaduertito: & Dei opus ipsam dicit Titi
 profektionem, & seipsum eundem fuisse hortatum,
 ac Titum exhortatione nulla indignisse. c ¶ Mi-
 simus autem unâ cum eo.) Complures quidem
 Lucam propter Euangelij descriptionē dicunt: pluri
 mi autē Barnabam (etenim prædicationē quoq; lite-
 ris nō demandatā, dici Euangelium asserunt) quippe
 quod magis etiā uidetur. Quæ enim sequuntur post
 hæc, magis cōgruunt Barnabæ. d ¶ Cuius laus est
 in Euangelio.) Nō modò enim, inquit, prædicat, ue-
 rum etiam laudabiliter. Laus autē nō ab una dunta-
 xat, sed ab omnibus, inquit, Ecclesijs deriuat. Quare
 autē Titi solū nomen dicit, horū autē nequāq;? Quia
 Titū quidē optimè norāt, hos autē ignorabāt: & quia
 tot de eis tantāq; dicit, quot quantāq; ad eorū cōmen-
 dationē satis tantūmodo fuerint: & ut suspicionē de
 usurpandis sibi pecunijs arceat. PHOTII: Non
 modò mirabiliter ac laudabiliter euangelizat & præ-
 dicat, uerū etiam electus est: pro, uerū etiā electus
 fuit. A quibus? Ab Ecclesijs. Ad quid? Ad hoc sanè, ut
 sit comes noster in prædicatione. Item nedum in præ-
 dicatione electus fuit (oportet enim hoc quoq;, quod
 ait, nec id solū, repetere) uerū etiā in hac gratia,
 & quæ sequitur. Hoc est, electus fuit, quemadmodū
 ad hoc, ut sit comes noster, & Euangelij prædicet: ita
 etiā ut eleemosynæ administret. Hac igitur de causa
 nunc quoq; ad huiusmodi subiectum propositum at-
 que institutū missus fuit, ut in superioribus inquit: Ad
 hoc

hoc ordinatus fuit ab Ecclesijs, & nō à nobis nunc temerè impellitur, sed electus: comes noster electus fuit, ut etiam in hac gratia, quæ administratur, seruiat & ministret. e ¶ Nec id solùm.) Non modò autem in euangelizando, inquit, probus reperitur, sed etiam quòd ab Ecclesijs fuerat electus. f ¶ Comes peregrinationis.) Deinde ex ipsa quoq; Ecclesiarū electione atq; iudicio honorat ipsum Barnabam. Nō solùm, inquit, euangelizans probus est, uerùm etiam ab ipsis Ecclesijs electus, ut comes sit peregrinationis nostræ in prædicatione. At qui ad hoc comes est, socius profectò est etiam tentationum ac periculorum unà cum ipso Paulo. Neque peregrinationis nostræ solummodo comes, imò uerò & in hanc ipsam gratiã, quæ suppeditatur à uobis, electus fuit: ad suscipiendas, inquam, pecunias eleemosynæ. OECVMENII: Possunt hæc de ipso quoque Luca accipi. g ¶ Ad ipsius Domini gloriam.) Talis uerò, inquit, est, qui & ad suscipiendas à uobis pecunias ab Ecclesijs electus est, ut ex ijs quæ agit, CHRISTVS etiam glorificetur, uosq; promptiores magis magisq; ad offerendum fiatis. h ¶ Declinantes hoc.) Deuitates propulsantesq;, ad hoc, ut nullus nos carpat. i ¶ Ne quis nos carpat.) Propterea, inquit, misimus hos, cauētes obseruātesq;, ne quis cōtra nos malā habeat suspiciōnē, ut qui pecunias expilemus. In hac, inquit, exundātia: hoc est, p̄ opterea quòd oblatio ipsa, quæ à uobis cōferenda est, & exundās, et diues sit.

Pecuniarum siquidem multitudo idonea est, quæ malam prauis iniiciat de nobis suspicionem, nisi ita electos ad earum perceptionem misissemus. Non autem dixit, Ne de nobis offendatis: quò minus eos percelleret, sed, ne quis. k ¶ (Procurantes honesta.) Indulgentiam animaduertito. Non ait, Conscientia mea cum recta sit, lugeat ipse qui malum quicquam suspicatur. Sed quid? Propterea, inquit, ad cautionem ac diligentiam, eamq; maximam hanc deueni, quoniã procuramus bona, hoc est, bene audire, non modò coram Deo, uerum etiã coram hominibus. Quò enim quisq; infirmior est, inquit, eò magis necesse est ut nos ei & accommodemus, & condescendamus.

^a Misimus autem unam cum illis fratrem nostrum, ^b quem probaueramus in multis sæpe numero diligentem: nunc autem multò diligentiorẽ, ^c ob multam fiduciam erga uos: ^d siue Titi nomine, qui socius meus est, & erga uos adiutor: siue aliorum, qui fratres nostri sunt, & legati Ecclesiarum, & gloria Christi. Proinde ^e documentum charitatis uestræ, & nostræ de uobis gloriationis, erga eos demonstratis, ^f etiam in conspectu Ecclesiarum.

CAPVT IX.

NAM ^h de subministratione in sanctos super uacuum est mihi scribere uobis. ⁱ Noui enim promptitudinem uestram, quam de uobis iacto apud Macedones, ^k quòd Achaia parata est ab anno superiore: ac ^l uestrum studium ^m prouocauit complures.

d ¶ Mis-

a ¶ (Misimus autem.) Ecce & alterum posuit, & hoc non laude uacuum. b ¶ (Quem probaueramus.) Hominem attollit propter experimentū, quod de eo fecerat. Laudis uerò cumulus est, & quòd multis in rebus, & quòd se penumero. c ¶ (Ob multam fiduciam.) Quoniam confidit, inquit, uoti se compotem futurū, si ad uos proficiscatur, studiosior quàm fuerat factus est. d ¶ (Siue Titi nomine.) Post illorum uirtutem monstratam, deinceps pro illis obsecrat, atque in ipsa eos obsecratione laudibus effert, aitq;: Siue Titi nomine, inquit, quicq̃ dicendum est, & asseuerare possum, quòd & socius meus sit, et meus ad uos, & ad uestram salutem ac fidem adiutor. Magna profectò laus. Siue cæterorū nomine, uidelicet dicendū quippiam sit, hoc nimirū dicere auserim, quòd fratres nostri sint, & Ecclesiarum legati, ex delectu uidelicet. e ¶ (Gloria Christi.) Per uitan, inquit, & conuersationem, gloriam CHRISTO apportant. Vt enim uestra, inquit, bona opera contemplati, glorificent patrem uestrū, qui in cœlis est. f ¶ (Documentum charitatis.) Documentum, hoc est, argumentum, ac demonstrationem, probationemq;. Demonstrationē charitatis, qua me amatis: gloriationisq;, qua de uobis gloriamur, in eos ostendite: quòd uidelicet non temerè de uobis ipse gloriatur. Ac si dixerit: Cupitis ne quòd me quidem amatis ostendere, quodq; non iniuria de uobis ipse gloriatur? hos amate, his ostendite beneuolentiam. g ¶ In

conspectu Ecclesiarum.) Hoc est, in honorẽ quo-
 que Ecclesiarum, quæ illos miserunt. Si enim hos ho-
 nore fueritis prosequuti, Ecclesias ipsas, quæ mise-
 runt, honore prosequemini. Non autem hominum
 dixit, sed Ecclesiarum: simul & plus autoritatis ser-
 moni suo tribuens, et eum faciliore qui acceptetur ef-
 ficiens. h ¶ De subministratione.) De submi-
 nistratione, de eleemosyna. De hac igitur eleemosyna
 & cum multa iam dixerit, & multa dicere cupiat,
 nunc, ait, superuacuum mihi est scribere uobis: hoc di-
 cens, quod maiori ea affectu complecterentur. Erube-
 scit enim homo, cum talis de se habeatur opinio, quod
 ne consilio quidem indigeat, si sui hac opinione appa-
 reat minor. i ¶ Noui enim.) Cõfidentis sanè uox
 illa est, Noui: sed & apud alios gloriari, longè am-
 plius. k ¶ Quod Achaia.) Hoc enim est, de quo
 apud Macedones gloriatus sum, quod nõ solũ Corin-
 thus, uerum etiã Achaia uniuersa in eleemosynam sit
 parata. Prouincia quædam Achaia est, sub qua Ca-
 rinthus habetur. Nequaquã uerò dixit, colligit, seu con-
 gregat: sed, parata est: hoc est, prestò est, totumque
 compleuit, ac demum qui administrant, prestolatur.
 l ¶ Ac uestrum studium.) Studium siue emula-
 tio, ad bonũ etiã reperitur. Si uos igitur in causa estis,
 quod alij ad conferendũ prouocentur, quomodo ab-
 surdũ nõ est, si nouissimi stitis? m ¶ Prouocauit cõ-
 plures.) Atqui de Macedonibus quoq; dixit, quod
 ultrò & cũ studio ad hoc uenirẽt: quomodo igitur ait
 nunc

nunc, Aemulatio, ac studiū uestrū eos excitauit? Plurimos, inquam, excitauit, nō omnes. Quòd uerò uoluntarij fuerint atq; ultronei, ita intellige, quòd nec consuluerimus illis, nec eos fuerimus adhortati: sed quòd parati ex præterito iam anno fueritis, laudauimus: & idipsum ad eos excitandos fuit satis.

^aMisi autē fratres, ne gloriatio nostra de uobis inanis fiat, in parte hac, ut^b quemadmodū dicebā, parati sitis: ne^c quo pacto fiat, ut si uenerint mecū Macedones, & offenderint uos imparatos, erubescamus nos, ne^d dicam^o uos, in hoc argumēto gloriationis. Proinde^e necessariū duxi adhortari fratres, ^f ut prius accederent ad uos, & prepararent iam antea promissam benedictionē uestram hanc, ^g ut in promptu ita sit, ^h tanquam benedictio, & non quasi auaritia. Illud autē dico: ⁱ Qui parcē seminat, parcē etiam metet: & qui seminat^k in benedictionibus, in benedictionibus etiā metet. ^l Vnusquisq; secūdū quod proponit in corde, nō^m ex tristitia, aut ex necessitate. ⁿ Hilarem enim *Eccles. 35.* datorē diligit Deus. Potens est autē Deus efficere, ut^o omnis gratia redundans sit erga uos, ut in omnibus semper^p omnem sufficientiā habentes, exūdetis ad omne opus bonum, sicut scriptum est: ^q Dispersit dedit pauperibus, ^r iu *Psal. 111.* stitia eius^s manet in seculum.

^a ¶ Misi autē.) Vide curā Pauli, ac sollicitudinē. Misi, ait, illos, ne gloriatio nostra euanesceret, men-

dacésue ipsi reperiremur, cùm uos in hac parte, uidelicet eleemosynæ, paratos esse attestati fuerimus. Cùm enim dixisset, Ne inanis reddatur gloriatio nostra, intra eleemosynam conclusit illam. **b** ¶ Quē admodum dicebam.) Macedonibus quippe dixerat hoc, Achaïam ex præterito iam anno esse paratam. **c** ¶ Ne quo pacto fiat.) Ex humanis rationibus eos hortatur, qui imbecilliores erant adhuc. Ne fortè, inquit, si (ut uerisimile est) mecū uenerint. **d** ¶ Ne dicamus uos.) Sermonem corrigit. Nos erubescamus, ceu temerè gloriati: ut modestius, inquit, loquamur, ne uos confundendos, ruboreq; suffundendos dicamus: nisi quòd rubor ambobus id futurum sit, ijs quidem uti extremis, huic autē ueluti qui de mendacio fuerit gloriatus. In substantia, inquit, atq; subiecto huius gloriationis. ac si dixisset: De nulla re alia rubore suffundamur, sed ex sola ipsius eleemosynæ gloriatione. **e** ¶ Necessarium duxi.) Necessarium siquidem omnino fuerat, ut & rubore hos, & se mendacio liberaret. **f** ¶ Ut prius accederent.) Quoniam suprà dixerat, Superfluū mihi est scribere de hac ipsa re, tanquam uidelicet qui parati iam fuerint: ne contraria dicere uideretur, nō iam de offerendo, sed de citò, abundè, prompteq; offerendo dixit, per hæc illud quoque perficiens. **g** ¶ Ut in promptu ita sit.) Eleemosyna cum ubertate. **h** ¶ Tanquam benedictio.) Tanquam, hoc est, cum gaudio & studio. Nemo enim cùm benedictionē donūm ue

don
 gitu
 qu
 imp
 mi
 dix
 dei
 tes
 iux
 dun
 ube
 Ad
 den
 uer
 m
 au
 pell
 pra
 aut
 mor
 dun
 spir
 futi
 car
 gna
 imp
 cess
 pen

donumue largitur, uel mœret, uel ex necessitate largitur. Ille enim dolet cum soluit, qui auaritia laborat, quiq; ex necessitate, quæ cumularat, impendit: at nunc impensio hæc, salutis est ansa. **i** ¶ Qui parcè seminat.) Parcè, inquit, ac tenuè. Illud autem quod dixeram de eleemosyna, hoc sese modo habet. Id uerò deinceps semen nuncupauit, quò ad messem respicientes, & quoniam qui multa seminauit, & qui pauca, iuxta proportionè metet, promptiores ad conferendum reddantur. **k** ¶ In benedictionibus.) Cum ubertate, inquit, & exuberantia. **l** ¶ Vnusquisq;.) Ad primū iterum redit, solūm nō inquiring: Quæ quidem de eleemosyna, inquit, dicenda fuerint, hæc sunt: ueruntamen iuxta id quod quisq; proposuit, ita det. **m** ¶ Non ex tristitia.) Non ex tristitia: haud enim auaritia est. Neq; ex necessitate: non enim, inquit, cōpellimus quenquā. Suprà nanq; dixerat, Non iuxta præceptum, siue imperium dico. Rursumq;: Consiliū autem do. **n** ¶ Hilarem enim datorem.) Testimonio etiā roborat, quòd minimè sit cum tristitia dandum. **o** ¶ Ut omnis gratia.) Tam rerū, inquit, spiritualium, quàm etiam carnaliū: idq; adeò, ut possitis ubertim impertiri. Seu quòd potens sit deus, qui carnalia uobis & exigua dantibus, spiritualia, magnaq; rependat, utq; exundenti, faciat: & non modò impleat, inquit, uerum etiā, supra quàm exposcit necessitas, largiatur. **p** ¶ Omnem sufficientiā.) Expendito uerò sapientiam. In carnalibus sufficientiam

illis exoptans, in spiritualibus exundantiam cōpre-
 catur. q ¶ (Disperfit.) Prophetam illis in mediū
 adducit, qui ad liberalitatem hortatur. Disperdere
 nanq; largitatis, liberalitatisq; & affluentiae indica-
 tiuum est. r ¶ (Iustitia eius.) Iustus quippe elec-
 mosyna, non secus ac ignis peccata consumens, efficit.
 s ¶ (Manet in seculum.) Nunq̄ enim extinguitur.

Porro^a qui suppeditat semen seminanti, is
 &^b panem in cibum suppeditet, & multiplicet
 sementem uestram, & ^caugeat proventus iusti-
 tię uestre, ut in omnibus locupletemini in om-
 nem simplicitatem, ^dquę efficit per nos gratia-
 rum actionem Deo. Nam ^efunctio ministerij
 huius ^fnon solum supplet ea, quę desunt san-
 ctis, & uerumeriam exuberat in hoc, quod per
 multos gratiæ aguntur Deo, qui per proba-
 tionem ministerij huius glorificant Deum, su-
 per obedientia cōsensus uestri in Euangelium
 Christi, & de^h simplicitate communicationis
 in ipsos, & in omnes, atq; ⁱin illorum oratione
 pro uobis, qui desiderant uos ^kpropter emi-
 nentem gratiam Dei in uobis. ^lGratia autem
 Deo super inenarrabili ipsius munere.

^a ¶ (Qui suppeditat.) In precis ordine clām in-
 nuit pertimescendum nihil, ne fortè si multa quispiā
 dederit, egenus reperiatur ipse. Nam Deus, qui semē
 illi suppeditat, qui semen terrę demandat sensibile,
 corpusq; pane nutrit, qua ratione fieri potest ut con-
 temnat, obliuioniq; unquā eum tradat, qui semen ia-
 cit spi-

cit spirituales? b ¶ Et panem in cibum.) Sup-
 peditet uobis carnalia affluenter, ut uestra quoque
 eleemosyna augeatur. Hęc enim semen dicit. c ¶ Et
 augeat.) Ex eleemosynę nanq; semine, iustitię ger-
 mina crescent. Tropicę uerò hęc omnia locutus est.
 d ¶ Quę efficit per nos.) In hanc, inquit, simpli-
 citatem ubertatemq; ditescatis, quę per uos Deo gra-
 tiarum peragit actionem. Quid uerò illud est, quod
 alios quoq; gratias Deo agere pro ijs efficit, quę ip-
 si peregeritis? Beneficia dubio procul. Diuites igitur
 ad beneficentiam euadatis. Id enim ut nos quoq;, qui
 accipimus, gratias Deo agamus, efficit. e ¶ Fun-
 ctio ministerij.) Hoc est, liberalitas, & harũ col-
 latio pecuniarum, necnō spirituale ministeriũ, quod
 exhibetur à uobis. f ¶ Non solũm supplet.)
 Non modò, inquit, id peragit, sanctorum penurijs ac
 necessitati suppeditans, uerumetiã ut gratiarũ actio
 erga Deum exundet, dum per multos exhibetur.
 Quantum porrò est cùm alere pauperes, tum ut Deo
 gratię agantur, efficere? Duo nanq; sunt, quę sum-
 mopere laudibus attolluntur. Abundat autē, inquit,
 per approbatam hanc administrationem: hoc est, pro-
 bam, & quę experientia quadam benignitatem præ-
 se ferat, quam ipsi, ait, uobis subministramus.
 g ¶ Verumetiã.) Quo uerò modo gratiarum
 actiones Deo exundant? qua, inquam, ratione? Quòd
 sancti, inquit, Deum glorificant, non solũm pro penu-
 ria eis per eleemosynam recuperatam, uerumetiã

de uestra confessioni Euangelij subiectione. Argumentū enim quòd præceptis euangelicis subditi sitis, est benefacere. Etenim ipse etiā Dominus de elemosyna cōplura differuit. h. ¶ (Et de simplicitate.) Et quoniam per subiectionem & obedientiam Euangelij in hoc etiam subditi estis, in simplicitatem uidelicet erga eos, hoc est, largitatem & cōmunicationem elemosynæ: neq; in eos tantum, imò uerò in omnes. Ipsi enim sancti, pro ijs etiam quæ alijs, inquit, suppeditis, à gratiarum erga Deum actione non uacant. i. ¶ (Atq; in illorum oratione.) Atq; ad hoc gratias, inquit, Deo agunt, quòd ita uos probatos subiectio Euangelij reddiderit, & adeò desideratos amatosq; ut iugiter, & sine ulla intermissione, quò uidere uos possint, precantur. Qui desiderant enim, inquit, uos. k. ¶ (Propter eminentem gratiam.) At uos, inquit, desiderant, non propter pecunias, sed ut gratiā uobis à Deo collatam perspiciāt. Nam propter supereminentem, inquit, gratiā Dei, quæ in uobis est, propterea in quā uidere uos cupiūt, Prudentiā uerò animaduertas. Postquàm eos extulerat, totum demum ad Deum retulit, dum gratiā Dei rem ipsam uocauit. l. ¶ (Gratia autem Deo.) Deinde postquàm Dei gratiā intellexerat, ipse quoque glorificat Deum: Gratia Deo, inquit, superinarrabili ipsius dono. Donum autem hoc in loco dicit, & quòd Euangelio sese Corinthij subdiderūt, & quòd per elemosynā tot nobis dona donata fuerūt, quot

quot ipse recensuit, quodq; in futuro maiora his donaturus sit.

CAPVT. X.

CAeterum ^a ipse ego Paulus obsecro ^b uos per ^c lenitatem & mansuetudinē Christi, ^d qui iuxta faciem quidem humilis sum inter uos, absens autem audax sum erga uos. Rogo autem uos, ^e ne praesens audeam ea fiducia, ^f qua existimor audax fuisse in quosdam, ^g qui putant nos ueluti secundum carnē ambulemus. Nam in carne ambulantes, nō secundum carnem militamus.

^a ¶ Ipse ego Paulus.) Magna quippe dignitas. Ego, inquit, Paulus, id est, Apostolus, & doctor orbis. quemadmodū & alibi: Ecce ego Paulus dico uobis. *Gal. 3.* Completo sermone de eleemosyna, asperiora ac rioraq; uerba aggreditur, tum contra falsos apostolos, tum contra detractores suos: & seipsum necessitate adactum cōmendat, ne ipsa quoque praedicatio uilis haberetur, si quidem ipse propter silentiū tenuis putaretur ac malus: & ipsa egregia collatae sibi ubertim gratiae exponit facinora: necnon suam ipsius tolerantiam, ipsaq; pro CHRISTO gesta certamina.

^b ¶ Obsecro uos.) Hoc autē est quod dicere uult. Rogo uos, ne cogant me detractores ad ea utendum potestate, quam in eos obtineo. Vos autem rogo (ut dicere consueuimus) illis consulite, ne me ad hoc impellant. ^c ¶ Per lenitatem & mansuetudinē Chri

fi.) Magnum quippe id ipsum est, quod Paulus ipse obsecrat. Cum uero per CHRISTI lenitatem rogationem facit, horribilius est. d ¶ Iuxta faciem quidem humilis.) Sanè pcr ironiam id promit, de tractorũ uerbis usus. Dicebant enim præsentiam esse infirmam, epistolas uerò pergrauas. Ait itaque: Rogo uos, qui præsens quidem exilis, ut ipsi effutiunt, sum: absens uerò maiora, quàm meam deceat conditionem, scribere audeo. VEL hoc est quod ait: Humilis quidem sum, de uestra tamen beniuolentia fissus, talia scribere ausim. Quid uerò postulas? Ne audeam, inquit: hoc est, ne profectus ad uos, potestate mea, qua sum audax, coràm quoque utar. Fiduciam siquidem, spiritualem illam potentiam suam uocat, qua aduersarios punire facillimè potest. Quamnam potestate? Ea inquam, qua existimor audax. quasi dixerit: Nondum ea utendum fore duxi, sed adhuc audax existimor, si mea utar potestate.

e ¶ Ne præsens audeam.) Ex quo enim præsentem ipsum pertenuem esse aiebant, infert: Ne præsens eos puniã. f ¶ Qua existimor audax.) Cernis quàm humilis sit? Necesitate etiã coactus ad utendum potestate sua, detrectat ac refugit, remq; ipsam audaciam uocat. Optimi nanque magistri est, dilatione locum præbere pœnitentiæ. g ¶ Qui putant nos.) Contra quos, inquam, coràm spiritali uti præuales potestate? In quosdam sanè, qui nos, perinde atque secundum carnem ambulemus, existimant.

mant. Falsi namq; apostoli, tanquam hypocritam & impostorem ipsum carpebant, & ad hominum ostentationem cuncta factitantiem, aitq;: In carne siquidem ambulantes, haudquaquã secundum carnem militamus: hoc est, ne utique carnaliter uiuimus. Seu de prædicatione ait, militamus. Certamine quippe contra intellectuales, sensibilesq; hostes suscepto, nequaquã carnalibus utimur armis. Id enim dixerim, Non secundum carnem militamus.

Siquidem ^aarma militiæ nostræ nõ sunt carnalia, sed potentia Deo, ad ^bdemolitionem mutationum, quibus cogitationes destruimus, & ^comnem celsitudinem, quæ extollit sese aduersus cognitionem Dei, ^d& captiuã ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo: & ^ein promptu habemus uindictam aduersus omnem inobedientiam, ^fcùm impleta fuerit uestra obedientia. ^gQuæ in conspectu sunt uideris: ^hSi quis de seipso confidit quòd Christi sit, ⁱillud rursus perpendat ex semetipso, quòd quemadmodum ipse Christi est, ^kira & nos Christi sumus. Nam si etiam amplius quippiam glorier^l de potestate nostra, quam dedit Dominus nobis in ædificationem, & non in destructionem uestri, ^mnon pudefiam. ⁿNe uidear quasi perterrefacere uos per epistolas: siquidem epistolæ sanè, inquit, graues sunt ac robustæ, ceterum ^opræsentia corpo-

ris imbecillis, & sermo contemptus. Hoc Preputet qui eiusmodi est, quòd quales sumus sermone per epistolas absentes, tales etiam sumus præsentibus opere.

a ¶ (Arma militiæ nostræ.) Atq; in tantū, inquit, nō secundūm carnē militamus, quòd ipsa quoq; arma, quibus contra aduersarios utimur, carnalia non sunt. Cæterū carnalia essent, diuitiæ, robur, principatus, gloria, & eloquentia. Nos itaq; nequaquam his uincimus, imò contrarijs, penuria inquam, dedecore, infirmitate, atq; insciūtia: quamobrem & potentia Deo ipsa uocat. In hoc etenim admirationem atque uirtutem à Deo obtinent, quòd talia cū sint, orbem superauerūt uniuersum. At huius expedito humilitatē. Non inquit, potentes sumus nos, sed arma nostra, idq; per Deum. Etenim & illis quidem haud nos, uerūm Deus, inquit, potentiam tribuit.

b ¶ (Ad demolitionem.) Potentia, inquit, sunt arma nostra, atq; per ualida ad munitiōnū demolitionē. Pulchrè uerò demolitionē dixit, ostendens quòd machinas minimè ipsi apponamus, sed mox ut aliquid cōtrarium obijcitur, demolimur. Munitiōnum uerò ait, ceu græcicos syllogismos, fallacias eorum, ac supercilium. Præterea ne munitiōnibus auditis, corporale aliquid suspicarentur, ait, Quibus cogitationes demolimur: hoc est, syllogismos, & Græcorum sophismata. Seu quòd eorum cogitationes, & animos ab errore, quo capti fuerant, detrahimus, & ad ueritatem perdu-

perducimus. c ¶ Omnem celsitudinem.) In exhortatione perstitit, quò maiorem efficeret emphasim. Arma, inquit, nostra, licet munitiones dixeris, licet celsitudines, id est, turres quasdam, arcesq; munitas, & licet demum quoduis elatum, & contrarium Dei cognitioni obtinens, hæc omnia per prædicationem diruunt, ac demoliuntur. d ¶ Et captiuã ducimus.) Atq; adeò intellectum quemlibet, cogitationemq; omnem humanam Regi nostro atq; Imperatori CHRISTO subijcimus, quòd de cætero rebel-
lare nusquam, seu repugnare, aut obsistere aliquis ex ijs, qui iam uicti fuerint, queat. Id nanque præ se fert quod dixerat, Captiuam ducentes: quasi captiuos ex maligni tyrannide acceptos, de seruitute in libertatẽ.
e ¶ Et in promptu habemus.) Etiã hoc in loco illos perterrefecit. Vos etenim expectamus, inquit, ut cum per exhortationem atq; doctrinam uos correxerimus, atq; ab illis seiunxerimus, tunc illis duntaxat in infidelitate durantibus plagam inferamus. Parati igitur cum simus, à uobis, dum permixti estis, id facere prohibemur. Veremur enim, inquit, ne plaga ipsa uos quoq; propterea quòd permixti sitis, inuoluat. Id uerò dicens, falsos apostolos, ut resipiscant, utq; corrigantur, clam percutit. f ¶ Cùm impleta fuerit.) Enimvero nunc quoq; obedientes quidem estis, inquit, sed nõ perfectẽ. Idcirco ait: Dum cõpleta fuerit uestra obedientia. g ¶ Quæ in cõspectu sunt.) Falsos perterrefactos apostolos, deinde

etiã durius aggressus increpat. Vos, inquit, ea duntaxat & iudicatis & discernitis, quæ iuxta faciem apparent. Id est, ex ijs sententiam fertis, quæ oculis cõspicamini: ceu si quis sit diues, si quis extollatur, si quis iactet sese, si quis uirtutis larua subornetur. THEODORETI: Per interrogationẽ legendũ est: Quemlibet, inquit, nostrũ probare cupitis, resq; nostras, atq; nos examinare? Igitur magna cum diligẽtia id facite. GENNADII: Per increpatoriam responsionẽ legendum est hoc, pro eo ut diceret: Nõ ex operibus ueritatis indagacionẽ, sed ex ijs quæ superficietenus simpliciter apparẽt, percipitis. h ¶ Si quis de seipso cõfidit.) Nam falsi quoq; apostoli, ueluti ipsius Christi essent, mirũ iactabant. i ¶ Illud rursum perpendat.) Si reuera, inquit, gratiæ Christi particeps est, apud sese id reputet, nec à nobis discere per reprehensionẽ cõtinetur. k ¶ Ira & nos Christi sumus.) Deniq; ait, in hoc cõmunicant nobiscũ, & nihil amplius habet, quàm nos. Haud enim ipsi quidem Christi sunt, nos autem cuiuspiam alterius. Id uerò cum indulgentia quadam dixit: quoniã in sequentibus patefacit, quòd nequaquã illi pari modo, quo & ipse, Christi sint, sed ualde differant. Vnde ait: Si enim plus quippiam gloriarer, quasi dixerit: Sat quippe esset ut diceremus. Ita & nos: atque illic consisteremus. Si enim plus quiddam, quàm hoc sit, gloriarer, nequaquã rubore suffundar: à ueritate nanque, ait, non discedam. l ¶ De potestate nostra.) De reprehensiuasane

sanè & ultrice potestate in eos qui cōtraria sentiunt. Deinde molestiam grauedinemq; sermonis huius moderans & emendans, inquit: In ædificationē, & nō in destructionē uestram, tanq̄ diceret: Potestatem nacti sumus in ædificationem, & fidem uestram, & non in destructionē: non, inquam, ut quempiam puniamus. Quæ igitur ratione (dicat aliquis) nūc etiā potestātē eis minitaris à Christo tibi collatam, superiusq; diximus, in promptu habentes, ut omnē ulciscamur inobedientiam, si non ad ultionem, uerūm ad ædificationē potestātē accepisti? Quoniā illud idem profectō in ædificationē uestrā maximè cedit, cum supplicia è medio, tum scandala auferre: uti est falsos demōliri apostolos. Ad hoc, inquā, nacti sumus, ut ædificemur: at si quis immedicabiliter ægrotet, alia rursus efficacia utimur, illū demolietes. Quasi priore quidē loco ædificatio sit, posteriore autē demolitio. m ¶ Nō pudefiā.) Neutiq̄ sanè uel impostor, uel iactator deprehendar. n ¶ Ne uidear.) Idcirco, ait, ita modestè dixi, Non erubescā: nec magnū quicq̄ locutus fui, ne uos per epistolas perterrefacere uiderer. Postea uerò detractorū suorū uerbis usus est. Et ne iterum dicant, epistole quidē graues sunt, & quæ sequuntur: ea de causa, inquit, ita modestè locutus sum. o ¶ Prefertia cor.) Oblatrabāt enim detractores eius, quòd per epistolas sese iactitaret, & timorem incuteret: si uerò adesset, exilē quendā uideres et cōtemptibile, cūq; nō qualis est dū scribit, deprehēderes. p ¶ Hoc reput.)

Qui talia, inquit, effutiunt, id nouerint, quod & præsentes & absentes iidem sumus: & quales per epistolas, per quos sermones sumus absentes; tales & præsentes re ipsa existimus. Hoc est, non modo dum absumus minamur, sed possumus etiam cum coram adsumus, opere, quæ minati fuerimus, perficere.

^a Non enim audemus inferere aut conferre nos ipsos cum quibusdam, qui se ipsos commendant. Sed ^b isti non intelligunt, quod ipsi inter sese se ipsos metiuntur, & comparant se met sibi ipsis. At nos non in immensum gloriabimur, uerum iuxta mensuram regulæ, qua partitus est nobis Deus, mensura pertingendi etiam usque ad uos.

^a ¶ (Non enim audemus.) Hoc in loco elatos illos esse præsert, eosque suggillat, per ironiam sermonem producens, & ait: Nequaquam audemus nos ipsos inferere, quasi connumerare, & comparare, cum ex aduerso ponere nosmet ipsos quibusdam ex ijs, qui per superbam & iactantiam falsiloquentiam se ipsos commendant. Videntur quo illos modo redarguat? PHOTII: Non audemus, inquit, uel connumerare nosmet ipsos ijs qui se ipsos commendant, uel in comparatione ulla ad eos quicquam, licet parum, illis nos ipsos præferre. Porro audere uocat, etiam fieri tanquam unus ex eis, & omnino habere similitudinem erga eos aliquam: rei absurditatem, & quam sint Deo abominabiles, insinuans. Hac, inquam, de causa non audemus, inquit, quod
pena

poena: perualida huiusmodi maneat. Id uerò dicit,
 quò & Corinthios pariter morbum hunc uitare ad-
 moneat, & ab id genus hominibus seiungat. Enim ue-
 rosi ausi fuerimus nos ipsos, perinde atq; illi, cõmen-
 dare, ne utiquam quales fuerimus per epistolas uerbo
 absentes, tales etiam præsentes erimus: sed hinc inde
 mutaremur, ac per epistolas alij atq; alij, quàm ipsi
 præsentes sumus, fieremus, & necessitatibus & tem-
 poribus nos ipsos accommodaremus, & nunc quidem
 adalatores, nunc uerò terribiles, & eorum sanè qui
 in potestatibus degunt, serui, uoluntatisq; ministri
 essemus: humilium autem, tum domini, tum legistato-
 res. Qui enim se ipsum cõmendat, omnia, ad propriũ
 lucrum spectans, facit: ad suam ipsius cõmoditatẽ &
 utilitatẽ cõmutatur & affirmatur. At nos nequãq;
 uel unus sumus ex illis, nec ad hos societatem ullam
 seu similitudinem retinemus: non enim audemus hu-
 iusmodi fieri. Qua igitur ratione alij sumus per epi-
 stolas absentes, rursumq; præsentes alij? Nõ enim no-
 stra hæc interest, sed eorum duntaxat, qui se ipsos cõ-
 mendent. Nos autem cum nulla ex parte cõmende-
 mus nos ipsos, sed ipsi nos ipsos metimur, quasi exactè
 perscrutamur atq; discutimus, ipsam cõscientiam in-
 quisitoricem constituentes, an quicquã operis patrãtũ
 sit, quòd non deceat, an quicquam absurdi mente uer-
 satum. Et nos ipsos, inquam, comparamus, an ijs quæ
 prædicamus, quæq; denunciamus, contrarium ali-
 quid, an uitæ præteritæ dissonum admittamus. Et cõ-

paramus sanè nobis ipsis, nō ijs cum quibus uitā degimus: nō, inquit, spectaculū eos facientes, cum quibus extrinsecus cōuersamur, nostræ ipsorū cōparationis scrutationisq; sed ipsi nosmetipsos & iudices & præfides cōstituentes: quippe quod ad incorruptū iudiciū spectat. Falsi uerò apostoli, quiq; sese cōmendant, omnino cōtrā, ad ostentationē, et ut uulgo placeāt omnia peragūt: quāobrem neq; seipsos metiuntur, neq; scrutantur: sed illis sat est ad omnē boni opinionē, si multitudini, cum qua pariter uitā uiuunt, placeāt. Quare nos neq; in immensa, ut illi, uel gloriati sumus, uel gloriabimur: ceterū si quid proferimus, facimus, seu per epistolas scribimus, iuxta mensurā regulæ nostræ & dicimus, & facimus, & scribimus. Porro ipse non ait, mensurā nostrā: sed cum dixisset mensurā, appendit, ea mēsurā, qua mensus ac partitus est nobis: ostendens, quod ipsa etiā mensura sua ex Deo sit. VEL etiā ad hūc modū: Ne, cum regulæ mensurā dixi, putares quod ipse mihi mensurā præfixerim: sed illam dico mensurā, qua, hoc est, per quā nobis partitus est deus. Que uerò illa? Et quidē aliāscirca multa, sed interim est pertingendi usq; ad uos, & assequendi, amplectendiq; uos. Hanc mensurā habemus ex Deo, per quam partitus est atq; iussit, ut nos ad uos usq; pertingeremus, prædicaremusq; Euangeliū. VEL certè potest totus hic locus ab illo, nō enim audemus, usq; ad illud, nō intelligunt, cōtrā illos dictus esse, qui superbia & insolentia tumēt. Et illud, sed ipsi intra semet ipsos

ipsos, cōtra eorū causam dictum esse, qui se ipsos cō-
 mendāt: quasi, ipsi enim intra se ipsos semetipsos me-
 tientes & comparantes, nō intelligunt se efferri, seq̄
 ipsos decipere. Sicut enim qui apud semetipsum est
 prudens, mirū insolecit ad modū: ita etiam qui apud
 sese magnus est & excelsus, tum ridiculosissimus, tum
 nouissimus est omnū. *b* ¶ Sed isti nō intelligūt.)
 Illis itaq; qui magni sunt, quiq; nos transcendunt &
 superant, nos ipsos minimē comparare audemus: ue-
 rū ipsi apud nosmetipsos manentes, nos ipsos meti-
 mur, & iuxta mensuram nostram & loquimur, &
 iubemus, & agimus. *c* ¶ Et comparant semet.)
 Et nos quidem, inquit, nos ipsos metimur, illi autē se-
 ipsos sibi met comparantes (non enim cuiquā hominū
 sese, inquit, comparari dignātur, sed ipsi ad semetip-
 sos) non intelligunt, ait, hoc est, non animaduertunt,
 nec sentiunt quā sint uidentibus ridiculi. Neminem
 enim, ait, latuerunt. Siue quōd inter sese mutuo effe-
 runt semetipsos. *d* ¶ At nos non in immen-
 sum gloriamur.) Nos autem, inquit, non in im-
 mensa, ut ipsi, gloriamur. Verisimile enim erat ipsos
 mentientes dicere: Orbem conuertimus uniuersum,
 orbis cura nobis demandata est, ad extrema ter-
 ræ missi ad prædicandum sumus: hæc itaque im-
 mensa dicit, quippe quæ & uires eorum & mensu-
 ram superarent. *e* ¶ Sed iuxta mensuram regū-
 læ.) Perinde atq; uincam, diuidens orbem Deus, no-
 bis, inquit, a postolis partitus est. Iuxta igitur regula

mensurā, qua nobis Deus, inquit, partitus est, & gloriabimur, & loquemur. Quæ uerò tua mensura est? Ad uos usque, ait. ¶ (Mensura pertingendi.) Ex quo igitur ad uos etiam usq; pertingimus, et hæc nobis mensura à Deo collata est, ad uos usque etiam gloriabimur. Repetendum est enim, Gloriabimur.

Non enim quasi nō pertingamus^b usq; ad uos, ^c extendimus nos ipsos supra modum. Nam usq; etiam ad uos peruenimus in ^dEuangelio Christi, non ^ein immensa gloriantes in alienis laboribus: ^fspem autem habentes de succrescenda fide uestra in uobis, & quòd magnificemur iuxta regulam nostram, in exuberantiam: ut ijs ^h quoq; regionibus, quæ ultra uos sunt, euangelizem: non ⁱper alienam regulam, ut de his quæ parata sunt, gloriemur: sed ^kqui gloriatur, in Domino gloriatur. ^lNō enim, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed is quem dominus commendat.

¶ (Non enim quasi nō pertingamus.) Non enim, inquit, dicere quisquam poterit, quòd nō pertingentes ad uos, extenderimus nosmetipsos: ad uos usque pertigisse dicentes, temereq; uerbis iactantes. Reuera enim ad uos usq; peruenimus, idq; in Euangelio CHRISTI: hoc est, non temerè profecti, sed uobis Euangelium annunciantes. ^b ¶ (Usq; ad uos.) Non, inquit, ualentes saltem ad uos usq; accedere, seu pertingere. ^c ¶ (Extendimus nos ipsos.) Quasi pompa uerborum. ^d ¶ (In Euangelio Christi.)

Par nanq; fuit, ut falsi apostoli etiam absq; Euangelij prædicatione profecti fuissent aliquò, & ob id gloriarētur. e ¶ Nō in immensa gloriantes.) Ea, inquit, quæ mensuram ac vires nostras transcendunt, in laboribus alienis. Verisimile quippe est quòd falsi Apostoli, ubi alij prædicassent, illuc temerè profecti sint, sibiq; metipsis ascripserint prædicationē. At nos, inquit, neutiquam in laboribus alienis. f ¶ Spem autem habentes.) Nihil definit, sed speramus, inquit, in Deo. Quantū enim discipulorum augetur fides, tantū cōmendantur magistri. Id enim dixerim, Crescente fide uestra. g ¶ Quòd magnificemur.) Spem, inquit, dum fidei accipiitis incrementa, habemus, futurum esse ut ipsi in uobis magni appareamus, iuxta regulam nostram. In exuberantiā, id est, in uobis, magis q̄ nunc, fore ut magnificemur. Id enim est, in exuberantiā. Iuxta regulam nostrā, id est, iuxta mensurā nostram, quæ nobis à Deo credita est. Eleganter uerò regulam etiam uocat mensuram, non secus ac in possessionē & hereditatem orbis ingressus. h ¶ Vt ihs quoque regionibus.) Atq; adeò in uobis magnificādos nos ipsos speramus, quòd in regionibus etiam quæ ultra uos sunt, euangelizaturi, ac docturi simus: quod reuera etiam fecit. i ¶ Non per alienam regulam.) Et non (quæadmodum, inquit, falsi apostoli) possumus in regula & portione aliena, & ubi aliquis laborauerit, gloriari. Id enim significat, quæ parata sunt: ubi semi-

na, inquit, doctrinæ iacta iam fuerint. **k** ¶ Qui gloriatur.) Illi ergo temerè profectò gloriantur, inquit: at nos ipsi strenuè peractis, hoc est, etiã ad uos usq; & cum egregiè simus acturi, in illis tamen minime gloriatur, sed in Domino duntaxat. Qui enim gloriatur, inquit, in Domino gloriari debet. Hęc etenim ipsam, quam nacti sumus, mensurã ex Deo habemus. **l** ¶ Nō enim qui seipsum cōmendat.) Qui nam sunt qui seipsos cōmendant? Falsi nimirũ apostoli. Et quos cōmendat Dominus? Paulum. Iuxta namq; mensurã regulæ, inquit, quã nobis partitus est Deus. Deus igitur ille est, qui nobis & partitus & mensus est: idem inquam est, qui etiam commendat.

CAPVT. XI.

Vtinã^a tolerassetis me paulisper in insipientia: imò^b & toleratis me. ^cZelotypus enim sum erga uos dei zelo. ^dAptauim enim uos uni uiro, ut uirginem castam ^e exhiberem Christo. ^fSed metuo ne quo pacto fiat, ut quemadmodum serpens Euam decepit & uersutia sua, ita ^h corumpant sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. ⁱNam si is qui uenit aliũ Iesum prædicat, ^kquem non prædicauimus: uel spiritum alium accipitis, ^lquem nō accepistis: aut ^mEuangelium aliud, ⁿquod non accepistis, ^orectè sustinuissetis.

^a ¶ Vtinam tolerassetis me.) Ad proprias laudes uenturus, multa antea usus est correctione, molestiam, quæ de sui ipsius laudatione emergere uideba-

tur, deuitas. Et ad id necessitas quidē subiecti eum im-
 pulit, præsertim quòd uerebatur ne in perniciē cede-
 ret discipulorū, si ipse quidē uilis haberetur, falsi ue-
 rō apostoli magni atq; præclari. Osi me, inquit, susti-
 nuissetis, qui insipientiæ opus, prouinciamq; accipio.
 b ¶ Imò & toleratis me.) Noui enim, inquit, quòd
 me amatis, meaq; omnia toleratis. c ¶ Zelotypus
 enim sum.) Non, inquit, amo: sed quod maius erat,
 zelotypus, inquit, de uobis sum: hoc est, ardens uos
 amo. Ne deinde putarent humanas res, pecunias ui-
 delicet, seu gloriam in causa esse tanti amoris, infert,
 Dei zelotypia. Zelotes autem uocatur Deus, ob ni-
 miam suam in nos charitatem. At zelotypus est, quò
 eis, de quibus zelotypus est, profit. Eundem ad mo-
 dum, inquit, ego etiam huiusmodi erga uos zelo affi-
 cior, quatenus uobis prosum. d ¶ Aptauī em̄ uos
 uni uiro.) Ad ecclesiā sermo illi est omnis. Ipsa enim
 post nuptias uirgo est. Desponsationis uerò tempus
 præsens est: thalamorū autē, futurū, iuxta illud quod
 dicitur: Surrexit sponsus. Quæ uerò sponsalia: Nem-
 pe cælorum regnum. Huius autē desponsationis Da-
 uid etiam longè antè adstipulator fuit, dicens: Audi Psal. 44.
 filia & uide, & inclina aurem tuam. Et Paulus ipse,
 cūm spōsæ ductor esset, aiebat: Pro Christo legatione Cap. 5.
 fungimur, ut spōsam accipiat, inquit. Horum typum
 Abraham gessit, qui seruū misit, ut uxorē filio uirgi-
 nem gentilem acciperet. Et Deus olim misit Prophe-
 tas, nouissimè autē Apostolos, qui filio suo Ecclesiā,

que erat ex Gentibus, desponsarent. e ¶ (Exhibe-
 rem Christo.) Respondi, ait, uos CHRISTO. Igi-
 tur propter illum zelotypus sum, non propter me.
 f ¶ (Sed metuo.) Licet enim perditio ad uos tan-
 tum attineat, cōmunis tamen est timor. Non autē de-
 finit, Vos estis corrupti, ne impudentiores redderet:
 uerū ambiguē dicit, Ne fortē, tametsi corrupti erāt.
 Enim uero ille quoq; maiora quædam pollicitus fue-
 rat, uidelicet protoplastis serpens, non secus ac his fal-
 si apostoli. Ostendit autem ¶ muliebri, ¶ effœmina-
 tum esse, cū quisquam decipitur. g ¶ (Versutia
 sua.) Sed quemadmodū serpentis calliditas nullam
 præbuit ueniam mulieri, ita nec falsorum impostura
 apostolorum uobis præbebit. h ¶ (Ita corrup-
 pantur sensus uestri.) Quasi transferatur à Chri-
 sti simplicitate ad calliditatem externam. Ostendit au-
 tem fidem sincera ueraciq; anima indigere, quæ om-
 nia fide amplectatur, nihilq; humanis rationibus per-
 scrutetur. i ¶ (Nam si is qui uenit.) Tandem
 falsos cōmonstrat apostolos, ¶ aduentiuos, ¶ exter-
 nos esse. Expende autē quòd non dixerit, Plus quid-
 dam loquuntur (par siquidem fuerit nugatos fuisse il-
 los, ¶ uerborum elegantia atq; lepore, uoluptatem
 auditoribus attulisse) sed ait, alium CHRISTVM:
 hoc est, si is, qui aduenit, diuiores uos in donis spiritua-
 libus facit. Sed neutrum horum fūco uerborum eget.
 PHOTII. Veletiam sic: Per deductionē in absurdum,
 ab attentione, quam erga falsos habebant apostolos,
 retrā-

retrahit. quasi: Si enim aliū CHRISTVM falsus apostolus (hunc enim aduenientem dicit, hoc est, superuenientem, & externè accedentē) prædicat, quem à nobis prædicari oportuerat, & non prædicauimus: seu spiritum alium accipere uos oportuerat, & à nobis non accepistis: siue aliud Euangelium necesse uos erat accipere, & à nobis non accepistis, rationabiliter profectò ei adhæsissetis. At si hoc fieri nullo modo potest (haud enim falsi apostoli id proloqui audebūt, sed ne uos quidem ipsi) quomodo non ualde absurdū dixerim, nobis illos præferri, quippe qui nulla in re deteriores, inferioresue, ne uel ipsis quidem sumus, qui mirū quoq; in modū Apostoli sunt? k ¶ Quē nō prædicauimus.) PHOTII: Quē prædicari oportebat, & non prædicauimus. l ¶ Quem non accepistis.) PHOTII: Quem accipere uos oportebat, & non accepistis. m ¶ Euangelium aliud.) Neq; enim reuera externa hoc sapientia, eruditione ue indiget. Scrutare autem, quàm nihil hos perfectius loqui declarat, quàm quæ ipsi locuti fuerimus, inquit. Quem non prædicauimus, ait: quem non accepistis: ac rursum, quod non accepistis: circumstantijs eos nihil plus docere insinuans. Haud enim plura loquentibus, sed uera, animus est adhibendus. n ¶ Quod non accepistis.) Quod oportebat ut acciperetis, & nō accepistis. o ¶ Rectè sustinuissetis.) Quid ais ô Paule? Cùm Galatis scriberes, Si Cap. 1.
quis uobis euāgelizet, aiebas, præter id quod accipi

stis, anathema sit. his scribis, Rectè sustinuissetis? Non
 propterea sustinere erat necessariū, uerū si eadem lo-
 querentur, tunc sanè sustinendū foret. Expende autē:
 magnū enim periculum immineret, nisi immoretur
 quispiam: hæresibus quippe omnibus aditum exhibe-
 beret. Ita falsi iactabant apostoli, ceu Paulus docuerit
 imperfectè, ipsi uerò plus quippiam ac perfectius lo-
 querentur. Externa siquidem utentes disciplina, ue-
 ris dogmatibus nugæ interferebant: quare complu-
 res etiam corrumpebant. Hoc itaque est quod nunc
 ait: Si quidem ipsi perfectius quicquam loquuntur,
 & alium CHRISTVM prædicari oportebat,
 quem ipsi omisimus, rectè sustinuissetis. Ob id enim
 inquit, Quem non prædicauimus. At si eadem, in-
 quit, fidei capita sunt, & nihil amplius eloquuntur
 ipsi, quo ad dogmata, cur illi pluris fiunt à uobis?
 Quantacunq; enim nugentur, inquit, nihil plus di-
 cere possunt, quàm ipsi dixerimus, præterquam uer-
 borum fucos, leporem, atque ornatum. PHOTII:
 Quod uerò ait, Rectè sustinuissetis, nequaquam laudan-
 tis est huiusmodi sententiam, uerum etiam mirum in-
 modum reprehendentis. Siquidem paulò ante exitiū
 dixerat, & hos sustinere, & eis animum adhibere.
 Quid est igitur quod reprehendit? Inexcusabilis, in-
 quit, est hic uester error, quando quidem amborū, no-
 stra uidelicet falsorumq; apostolorū, eadem esse affir-
 metis: & tamen à nobis deficitis, illis uerò adheretis.
 Nequaquam sanè habebitis prætextum nouitatem
 erro

erroris transmigrationemq; atq; immutationem ad dogmatum per fictionem. Assolet namq; nouitas ipsa & decipere, & attrahere simplices: at uobis ne hic quidem pretextus superest.

Arbitror enim nihilo me inferiorem fuisse eximijs Apostolis. Sed licet imperitus sim sermone, non tamen scientia. Verum ubiq; manifesti in omnibus erga uos. Num peccatum admisi, quod me ipsum humiliauerim, ut uos exaltarem in: quod gratuito Dei Euangelium euangelizauerim uobis? Alias & ecclesias deprædatus sum, accepto ab illis stipendio in ministeriū uestri. Et cum præsens apud uos essem, & egerem, nulli onerosus eram.

a ¶ Arbitror enim.) Deinde Petro seipsum componit, insinuare id cupiens: Enim uero licet, inquit, plus illi quam ego norint. etiam illorū in deductionē ad absurdum sermonem ferens. Videas, obsecro, uiri humilitatem. Arbitror enim, inquit: quasi, existimo, puto: nihil affirmatiuum, neque simpliciter Apostolis, uerum etiam supremis illis, Petrum, Iacobum, & Ioannem insinuans. Hoc uero ait, quoniam hoc in presenti indigebat. Alibi uero ait: Qui non sum ido 1. Cor. 15. neus, qui uocer Apostolus. b ¶ Licet imperitus sim.) Quoniam de hac re falsi sese iactabant Apostoli, quod minimè ineruditi essent, ostendit quod ineruditionem non fugiat, imò uero de illa gloriatur: quare illud quoque infert. Verum alibi etiam hoc facit, ubi declarat, sapientia esse præditum,

prædicationi obesse: ueni nanq; ait, non in sublimitate sermonis sapientiæ, ne euacuaretur crux.

c ¶ (Sermone.) PHOTII: Sermo, atq; scientia, non eadem semper apud diuum Paulum præ se ferunt: sed interdum quidem sermonem uocat, donum habere docendi: scientiam uerò, nosse quidem prædicationis rationem, nõ tamen posse alios & afficere utilitate, & docere. Quandoq; sermonẽ quidem dicit, exercitatum, instructumq; esse sapientiã Græcorum, sed diuinæ affecutum nihil: sed argute tantum, & eleganter esse locutum. Porro scientiam, ita perfectum in scientia esse, ut id quoq; ipsum, quod exacte nouerit, idoneus sit qui & alios doceat, & ad CHRISTVM adducat. Item uerò alibi, sermonẽ quidem, simpliciter (ut consueuimus) eloquentem nuncupat: scientiã uerò, peritiam in dogmatibus. Exemplũ quidem primi hoc est: Nam alij quidem datur sermo sapientiæ, alij uerò sermo scientiæ. Secundi autẽ id est quod nũc præ manibus habemus: Ineruditus quidem sermone, sed nõ sciẽtia. Porro tertij: Diuites facti estis in illo, in omni sermone, omniq; scientia: sed in omnibus mani festi. Verbum nanq; deest, sumus: quasi, in omnibus manifesti sumus. Qua uerò ratione uobis manifesti sumus? Quoniam nulla in re eximijs illis Apostolis inferiores sumus: quando quidem scientia nõ sumus rudes, sed idonei qui & doceamus, & fidei perfectionem tradamus: atq; in omnibus absolute cogniti sumus uobis, ac nulla uobis contra nos incusatio, nullusq;

1. Cor. 12.

lusq; ignorantie prae textus relinquitur: nisi forte id
 peccati ansam, praetextumue sumere uelitis, quod
 nihil ipse a uobis acceperim. Id uero ait, ut illos ru-
 bore suffundat, pro eo ut dicat: Nisi forte egregia
 nostra facinora, & ea de quibus alij gloriantur, haec
 ipsa nostra opera peccatum computanda duxeritis:
 & propterea quod operam dedi sublimitati uestrae,
 hoc idem in crimen, accusationemq; nostri conuer-
 tatis. Hoc uero proprium ipsius est Pauli, qui admo-
 dum tum de uita, tum de conuersatione secundum
 Deum confidat: ex quo ipsos comonstrat, nihil con-
 tra seipsum proferre posse: illorumq; ingratiuitudi-
 nem atq; malitiam redarguit, qui cum nihil omnino
 contra eum asserre accusationis possint, imò contra
 quam dignissimè admirari, falsos tamen apostolos ni-
 hilo minus, si nō etiam plus, q̄ ipsum colebant Paulū.
 d ¶ Non tamen scientia.) Falsos clam apostolos
 tangit, quod uidelicet iuxta Dei sapientiā rudes sint:
 quippe quod exitiale est. e ¶ Verum ubiq; ma-
 nifesti.) Clam item falsos suggillat apostolos, quod
 & impostores quidam sint, simulatoresq; ac pietatis
 persona uestiti. Nos uero, inquit, non ita: in quacun-
 que siquidem re, & in omnibus quae agimus, manife-
 sti sumus erga uos. In nulla, inquā, uel duplicitate, uel
 hypocrisi, inquit. f ¶ Num peccatum admisi.)
 Ad reprehensionem usus est uerbo. Defecisse me, in-
 quit, & ad summā redactum angustiam ducitis, &
 ad maximam deuenisse extenuitatem. Peccatū si feci,

meipsum fame discrucians, et nihil à uobis accipiens: hoc, inquit, egi, ut uos ad ea prouheremini, quæ Dei sunt. Dum enim nihil accipere me uidebatis, ædificabamini: si uerò accepissem, offendissetis utique.

g ¶ (Alias Ecclesias.) Atqui dicere profectò poterat, Ex manibus meis cibum mihi conquirebam: uerū ut mordaciorem sermonem faceret, ait: Ab alijs, dum uobis in prædicationē ministrarem accepi. Illud uerò quod ait, Deprædatus sum, quasi expoliaui, ac denuclauui. Nō enim dicit, quòd clāculò acceperit: nequaquā. Stipendiū porrò ipsos sumptus necessarios indicat. Magna sanè eorū est accusatio, quòd neq; ei præbuerint: & quod peius est, ad uestriū, inquit, ministerium. Nam uobis prædicanti, alimētū alij suppeditarunt.

h ¶ (Et cūm præsens apud uos essem.) Triplex crimen est, quòd & apud illos erat, & prædicabat, & necessario indigebat alimēto. Nō modò enim, inquit, aliò nō mihi misistis, quippe quod Macedones effecerunt: sed ne præsentē quidē aluistis. i ¶ (Nulli onerosus eram.) Quasi, debilitatus nō fui, neq; infirmatus, neue deserui patientiā. Hoc enim pacto magis ac magis eorū grauat accusationē, quòd ego, inquit, nō postulauui. OECVM. Vel etiā sic: Et cum his, inquit, destitutus essem, nulli sui onerosus, nihil neglexi, neq; segnior erga prædicationē sui, imò quæcunq; ex me, ad uestriā salutem desiderari poterant, facta sunt, ego tamen penuria, eaq; ingenti premebar.

^a Nam quod mihi deerat suppleuerūt fratres qui

qui uenerāt à Macedonia,^b & in omnibus, ne cui onerosus essem, seruabam me, & seruabo. ^c Est ueritas Christi in me, quòd hæc gloriatio ^d nō interrumpet cōtra me ^e in regionibus Achaia. Quāobrem^f an^g quòd nō diligo uos: deus nouit. Verū ^h quod facio, faciam^h ut amputē occasionē ijs qui uolunt occasionē, ut inⁱ eo de quo gloriant^k, reperiant quēadmodū & nos.

^a ¶ Quod mihi deerat.) Ex eo quod dicit, quod mihi deerat, præ se fert nō oportere, supraq̄ extrema exposcat necessitas, accipere. Miserūt autē ei Philippenses, idcirco ^g nomen posuit, quò eos ad emulationē elemosynæ prouocaret. ^b ¶ Et in om̄ib.) Indicat sanē, quòd graue illis uisum fuisset alimēta ei præbere. Rectē uerò seruabo dixit. Ne enim, inquit, putetis hæc me idcirco dixisse, ut posthac à uobis accipiam: non enim tantum seruauī, sed etiam seruabo.

^c ¶ Est ueritas Christi.) Ne deinde arbitrarentur hæc eum dixisse, quò eos ad impertiendū alliceret, inquit, est ueritas Christi in me: hoc est, ueritatem dico, dum asseuero, quòd gloriatio hæc, uidelicet de non accipiendo. Porro gloriationē idipsum uocat, ne ipsum, propterea quòd nō acceperit, ira permotū existimarent. ^d ¶ Non interrumpetur.) Nō interrumpetur, hoc est, nō incidetur, neq; deficiet. Quo uerò modo nō deficiet? Si de cetero etiā non accipiam. ^e ¶ In regiōib.) Hoc est, in tota prouincia. Seu quòd gloriatio, quæ mihi in Achaia regionibus prouenit,

de gratis uidelicet, ac sine sumptu prædicando, non interruptetur. Valde porro, uti imbecilles, eos redarguit, dum nihil ab eis acceperit. Enimvero si de hac re gloriabatur, nulla unquam ratione accipere oportebat: tametsi alibi scribat, quod ea propter ab eis non acceperit, ceu qui facile impingerent offendiculis. f ¶ An quod non diligo uos.) Quid igitur? odisti nos, & ob id nihil a nobis accipere fers? Deus, inquit, nouit, quod ea ne utiquam fuerit causa, cur accipere nolim. Sed quænam sit, dicit. g ¶ Quod facio.) Facio autem, prædicationem uidelicet absque sumptu, idque faciam semper. h ¶ Ut amputem occasionem.) Causam, ob quam non accipiat, promittit. Obseruabant falsi apostoli, ut si eum deprehenderent accepisse, rem hanc calumnie facerent ansam. Ut hæc ipsam igitur eorum ansam, inquit, amputarem. i ¶ Ut in eo de quo gloriatur.) Forsitan etiam sese non accipere simulabant. quare non ait, De quo faciunt, uerum de quo gloriantur. k Reperiantur.) Item cum falsi apostoli diuitijs abundarent, nihil accipiebant, & de hac re gloriabantur. Ne igitur de quo ipsi gloriantur, de non accipiendo inquam, pares nobis reperiantur, neue ulla in re nobis præstent. Absurdum enim dixerim, cæteris in rebus esse inferiores, hic autem superiores.

^a Quippe istiusmodi falsi sunt apostoli, ^b opere rarij dolosi, ^c sumpta persona apostolorum Christi: ^d atque haud mirum, quandoquidem ipse satanas

tanans transfiguratur in angelū lucis. Non magnum igitur est, si etiam ministri illius personā in se transferunt, ^c quasi sint ministri iustitiæ, ^f quorum finis erit iuxta opera eorum. ^g Iterū dico, ne quis me putet ^h insipientē esse: ⁱ alioquin & iam ut insipientem accipitote me, ut paululum & ego glorier. ^k Quod dico, nō dico secundū Dominum, ^l sed uelut per insipientiā, in hoc argumento gloriationis. Quoniam multi gloriantur ^m secundū carnem, ego etiā gloriabor. ⁿ Libenter enim suffertis insipientes, ^o cū sitis sapientes. Suffertis enim si quis uos in ^p seruitutem adigit, si quis ^q de- uorat, si quis accipit, si quis ^r extollitur, si quis uos in ^s faciem cædit. Iuxta contumeliam lo- quor, perinde ^t quasi nos infirmi fuerimus.

a ¶ Istiusmodi falsi sunt apostoli. Quid dicis? Qui Christum prædicant & Euangelium (Sic enim de illis superius dixeras) falsi sunt apostoli? Sanè, inquit. Hec enim in publico simulant, clam uerò nefanda impiāq; dogmata circunferunt. **b** ¶ Operarij dolosi. Operarij enim sunt: sed ea quæ bene plantata fuerint, euellunt. Veritatis nanq; faciē simulant, ita nocumentum inferunt: ac figura amicti Apostolorum, & pelle tecti ouina, lupi intrinsecus sunt. **c** ¶ Sumpta persona Apostolorum. Non secus ac eorum transfiguratur magister: & ideo multos decipit, ubi, cū tenebrarum sit angelus, in angelum lucis transformatur, decipiens oculos. **d** ¶ Arque

haud mirum.) Si enim admirari oportet, illud nimirum admiratione per dignū est, quoniam pacto diabolus ipse, sumpta audacia, ad hoc ueniat. PHOTII: Non est, inquit, mirum. Quare? quoniam imitari omnino debent magistrum, qui cum sit angelus tenebrarum, lucis se esse simulat. e ¶ Quasi sint ministri iustitiæ.) Ministri iustitiæ sunt sancti Apostoli. Deo namq; ministrant in Euangelio, quippe quod iustificare potest. f ¶ Quorum finis.) Licet uos, inquit, decipiant, non tamen illum CHRISTI oculum, qui nunquam dormitat, latent. g ¶ Iterum dico.) Tametsi multa iam quidem correctione usus sit, non tamen illa sola sufficiunt. h ¶ Me insipientem esse putet.) Atqui supra dixerat, Utinam tolerassetis meam insipientiam: quo igitur modo hic ait, Ne quis me existimet insipientem? Quoniam id ipsum sanè, quòd quisq; seipsum, inquit, collaudat, insipientiæ est: ego autem, inquit, non uelut insipiens his uerbis usus fui, sed actus, quòd uos à falsis apostolis abducam. quare ait: Ne quis me insipientem existimet. Inuitus enim, & necessitate compulsus, in meas ipsius laudes erupi. PHOTII: Est sanè insipientiæ uerbum, cum quispiam illum dicit insipientem, qui neque est, neque ea facit, quæ ad insipientem spectant. Ille siquidem insipiens est, qui frustra uerbis iactat, qui in uanum insolecit, qui ultra quòd insipiens est, uerba etiam insipientiæ promit, & ea patrat quæ insipienti congruunt. Atqui quum magna
de seipso

de seipso, uera tamen loquatur, eaq; ad animarum utilitatem, insipientiae quidem uerba, quantum ad similitudinem prolationis uerborū, proferre uidetur, cum tamen insipiens non sit, sed admodum sapiens: eaq; patret, quae ad sapientissimum spectent: quandoquidem calumniam etiam despexerit irrationabilem, ob aliorum & salutem, & utilitatem. Quamobrem quod paulò antè dixerat, Vtinam tolerassetis meum aliquod insipientiae uerbum, non est ei contrarium quod dicturus est, quodq; nunc profert: Ne quis existimet me insipientem esse. Ne quis igitur existimet me esse insipientem: non enim propter me ipsum, sed propter uos dicam, quae dicturus sum: quod si non fiat, saltem uelut insipientem existimate, & accipite. Non enim detrecto, salutis uestrae gratia, quin insipiens iudicet. Quae enim dicturus sum, ad uestrarum confirmationem animarum, & utilitatem cedent. i ¶ Alioqui.) Quod si non creditis, sed, ipsam etiā spectantes necessitatē, nequaquam me ab insipientia liberū arbitrari, saltem ut insipientē sustinete dicentē quae dico, ut & ego, quem admodum falsi apostoli, gloriatur, inquit. Illi enim in uestri perniciem gloriantes, ad hos me impulere sermones. k ¶ Non dico secundum Dominum.) Gloriarī enim nō est secundū Dominū: nam Dominus iubet ne gloriemur. Verba itaq; à Domino discrepāt, at uerborū scopus mirū in modū est secundum Dominū. l ¶ Sed uelut per insipientem.) Deinde ne, dum senō

secundum Dominum gloriari profitetur, sed per insipientiam, maioris illis preberet calumnie ansam, primum quidem non ait, in insipientia, sed, quasi in insipientia. Deinde inquit, In hac gloriationis substantia: hoc est, iuxta portionem hanc gloriationis, nequaquam secundum Dominum loquor. Ecquenam portio haec? Quoniam gloriatus est, Hebraeus sum, & Israelites, & semen Abrahae: talia enim ad CHRISTI gloriam minimè cedere uidebantur, quamobrem secundum carnem uocat ea. Hanc enim gloriationem dixerim secundum CHRISTVM, nempe mansuetudinem, continentiam, sanctificationem. Hebraeus porro esse, uel Israelites, non est secundum Dominum. Ipsum audi dicentem: Non est Iudaeus, neque Graecus. & In Christo IESVS omnes unum estis. ¶ Secundum carnem: A rebus, inquit, exterioribus: ut à generis nobilitate, à circumcisione, ab hebraismo. n ¶ Libenter enim suffertis insipientes. Vos igitur in causa estis, dum eos toleratis. o ¶ Cum sitis sapientes. Nam si de his, quae reuera sunt bona, gloriari insipientis est, longè magis de ijs quae non ita sunt. Falsos uerò suggillat apostolos: & quod graue est, quòd cum ipsi quoque sapientia polleatis, eos sustinetis. Nam si insipientes quidem essetis, aliqua uenia digni habere mini: nunc autem in scientia & offenditis, & labimini. p ¶ Si quis uos in seruitutem adigit. Perpende obsecro quod multiplicis eos seruitutis accuset, & quod minus falsis subijciantur apostolis. q ¶ Si quis deuorat.)

Cernis

Cernis quòd illud etiã, quod antea dictum fuit, *Ut in eo, de quo gloriatur, reperiantur sicut & ego, uenia quadã dictum sit, & quemadmodũ prima eos facie non redarguat?* Nunc enim cõmonstrat illos se nõ accipere simulasse, cum reuera acciperent. Si quis enim accipit, inquit: & quod maius fuit, Si quis deuorat. Id enim eos præ se fert à falsis subactos ac depressos fuisse apostolis. r ¶ *¶ Si quis extollitur.*) Nequaquam, ait, mediocris uestra seruitus est, neq; humani domini: sed onerosi quidam, & uobis importunè dominantur. Viden in omnibus eorũ & insolentiam & tyrannidem? quodq; ijs, non secus ac mancipijs, abutebantur? s ¶ *¶ Si quis uos in faciem cædit.*) Non quod uerberemini, ait: sed quòd nihil minus, quàm qui in faciem uerberantur, patiamini. tanquam diceret, Ad contumeliam dixerim hoc. Quid igitur hac re fieret turpius? quandoquidem & pecunias ipsas, & libertatem uestram, & honorem ui auferunt: neque sic humani sunt, imò uerò longè contumeliosius, quàm seruis mancipijs uobis utuntur. Vnde ait, Iuxta contumeliam loquor. t ¶ *¶ Quasi nos infirmi fuerimus.*) Obscurum est, quod dictum est. Quoniam enim molestum fuerat, idcirco hoc ita posuit, quò molestiam ipsam obscuritate tollet. Quod enim dicit, tale est: Nunquid enim nõ possumus et nos hæc ipsa facere? Cur istos toleratis, quasi nos facere hæc nõ possimus? ALITER: Cuius rei gratia istos, inquit, fertis ad hæc, perinde atque infirmi

ipsi fuerimus, uel uobis sic abuti nō ualuerimus? Oppidō mordax fuit quod dixerat, quare & obscure. Si enim, inquit, eos propterea honoratis, quod elati contumelijs afficiunt uos, & quasi in faciem uos cædentes, possumus & nos hæc eadem facere: tanquā enim imbecilles adhæc ipsa fuiffemus, illis uos ipsos subdidistis. Vidēs ne quanta id increpatione sit plenum quod dixerat? Omnem uerò illorum arrogantie causam his adscribit. Propter hæc igitur, inquit, cogor, ut uos ab eorum eximam insolentia, non ut me ipsum reddam illustrem.

^a In quocūq; autē quis audet (in insipientia loquor) audeo & ego. ^b Hebræi sunt? & ego: Israëlita sunt? & ego: semen Abrahæ sunt? & ego: ministri Christi sunt? (^c desipiens loquor) plus ego: in laboribus ^d copiosius, in plagis supra modū, in carcerib. abundantius, ^e in mortibus frequenter. Ab Iudæis quinquies quadragenas plagas ^f una minus accepi. ^g Ter uirgis cæsus fui, semel lapidatus fui, ^h ter naufragiū feci, ⁱ noctē ac diem in profundo egi, in itinerib. sæpe, in ^k periculis fluminū, periculis ^l latronū, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis ^m in falsis fratribus.

^a ¶ In quocūq; autem.) Rursum animaduerte eum tot tantisq; correctionibus contentū nō esse, sed nunc rem ipsam audaciam uocare & insipientiā, & quasi dicere, Vi ad hoc uenio actus. Hæc autē facit, ut

nos erudiat, ut nō, nisi necessitate compulsi, erumpamus in sermones huiusmodi: In quocunq; quis audet negotio gloriari. hæc enim subaudienda sunt.

b ¶ (Hebræi sunt.) Haud enim omnes erāt Hebræi, uel Israëlitæ: erant enim & Moabitæ, & Ammonitæ: idcirco suā prompsit nobilitatē. Per interrogacionem uerò legendum est quod ait, ministri Christi sunt? Contra falsorū autē apostolorū sermonem insereus, plus ego, dixit: hoc est, magis ego quàm ipsi. Et iterum id ipsum insipientiam uocat. Aiūt quidam, nequaquam eum cum comparatione ulla sermonem proferre oportuisse, sed modis omnibus CHRISTI ministros esse negare. Verum dicimus, quòd hoc in superioribus fecerat, quando dixerat, Falsi apostoli. Hic enim per comparationē cœptus est sermo, & non oportebat ipsum proferre sententiam: sed ex ipsis operibus præbere demonstrationem, quòd ipse quidem sit, illi uerò non. c ¶ (Desipiens loquor.) Pro eo ut diceret, Etsi nonnullis desipere uidear, dicendo, Plus ego. Sed quænam desipientia profectò? Cùm plus sese, quàm falsos apostolos autumat.

d ¶ (In laboribus copiosius.) Deinde etiã prius dicit charactērē Apostolatus. Quòd uerò ait, copiosius, nō ad falsorū comparationē apostolorū dictum est.

e ¶ (In mortib. freq.) Quotidie enim morior, inquit. Tradiderat nanq; sese periculis, ijsq; mortalib. f ¶ (Quadragenas una minus.) Cur una minus? Lex erat, ut qui plus quàm quadragies uapulasset,

omni prorsus priuaretur honore. Cauebant igitur una minus dare, quò si inter uerberandū plus una uerberator inferret, inferret quadraginta: **g** ¶ **¶** Ter uirgis celsus fui.) Nōne uides nequaquā omnia nobis, quæ Paulus tulit, in Actis descripsisse Lucā? Nō enim ad Pauli gloriā, ambitionem ue, quæ scripta sunt, elaborata fuere: unde cōplura, quæ hoc in loco scribuntur, pertransijt. **h** ¶ **¶** Ter naufragiū feci.) Longa enim, ac transmarina prædicationis causa confecit itinera, & omnia, quæ dicta sunt, pertulit. Noctem uerò diemq; natans, naufragium passus, egit. Exponēs namq; quod dixerat, Ter naufragium pertuli: inquit, quòd tertio natura humana transuadarit: semel in Paradiso per transgressionem, secundo in diluuiò, tertio post acceptam legem. **i** ¶ **¶** Nocte ac die.) Noctem hoc in loco Apostolus uitam illam, conuersationemq; dicit, quæ ante Christi aduentum in tenebroso errore fuit. Diem uerò, normam illam uiuendi, quæ post Christi aduentum lucido in baptisinate agitur. **k** ¶ **¶** In periculis fluminum.) Flumina enim transuadare compulsus fuit. **l** ¶ **¶** Periculis latronum.) Vbiq; certamina exposita erant: ubiq; enim pugnabat diabolus, latrones excitans, gentesq; Græcorum, & cognatos Iudæos, qui grauius etiam bellum ingerebant, propter fidem elaborantes: & nullus ei locus supererat securitatis: non ciuitas, non desertum, nec quicquam prorsus alius. **m** ¶ **¶** Periculis

culis in falsis fratribus.) Alteram quoq; periculorum speciem animaduertito, ex ijs inquam, qui falso nomine fratres uocabantur, ex hypocritis uidelicet, ac subdolis fratribus. Expende autem pericula, labores, & erumnas. Hos rursus pericula excipiebāt, nec respirare poterat.

In labore & molestia, in uigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate, ^b præter ea quæ extrinsecus accidunt, incubens mihi quotidiana ^c cura omnium ecclesiarum. Quis ^d infirmatur, & ego non infirmor? ^e Quis offenditur, & ego non uror? Si gloriari oporteat, de his ^f quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & pater Domini nostri Iesu Christi nouit, qui est benedicendus in secula, quod non mentior. ^g In Damasco gentis præfectus ^h Aretæ regis obseruabat Damascenorum ciuitatem, comprehendere me uolens, & per ⁱ fenestram in sporta demissus fui per mœnia, & effugi manus eius.

^a ¶ In fame & siti.) Quocunq; loco, tam habitabili quam inhabitabili, certamina & stadia aderant, in terra, in mari, intus, extrâ, à domesticis, ab extraneis, à falso nomine fratribus: & ne uel necessarij quidem uictus suppeditabatur facultas, nec tenuis ac uilis uestitus totius orbis doctori: sed nudus pugnabat, ac fame pressus certabat, & nõ solum nõ egrè ferebat, sed gratias certaminũ principi cõfitebatur Christo. Cõsidera obsecro, quod quæcũq; tulerat cū dixis-

set, nequaquam recensuit quos conuerterit, Christoue obtulerit: pariter quidem modestiam retinens, ac pariter docens, quod tanetsi nihil amplius laboranti factum fuerit, etiam sic mercedes sunt copiosae. b ¶ Praeter ea quae extrinsecus accidunt.) Plura siquidem ea fuerunt quae omissa sunt, quam quae enumerata. Imò uero ne ea quidem, quae dicta sunt, speciatim protulit, sed ea duntaxat, quorum numerus comprehendere posset, dixit: Quinquies, ter, itemque; ter, et semel dicens, Porro ea, numerus quorum dici non poterat, subicit, et ait, Abundantius, copiosius, frequenter, ac saepe. Instantias uero, illos dixit impetus, qui à persecutoribus uniuersaliter imminabant: communi quippe consilio, inquit, constituerunt aduersum me. c ¶ Cura omnium Ecclesiae.) Hoc nimirum omnium caput est. Si enim qui unius tantum domus gubernaculum habet, ne uel respirare quidem potest, quid tulisse Apostolum uerisimile est, qui cum tot tantisque periculis uniuersi orbis curam gerebat? d ¶ Quis infirmatur.) Et ne quis dicat, quod curam quidem gerebat, sed non multam: curae intentione ac uehementiam dixit. Quis, inquit, infirmatur quauis infirmitate, tam spiritali quam carnali, et ego non infirmor? Non ait sane, infirmitatis sum particeps: sed, non secus atque ipsemet infirmus sim, ita afficior. Illud autem, quis, licet magnus, inquit, licet sit tenuis. e ¶ Quis offenditur.) Rursum uide, quam doloris expresserit exundantiam. Vror, inquit, et ardeo. et cum alia quoque plurima pateretur, ubi pro Christo se pati ani-

ti animaduverteret, etiã letitia gesticabat. Sic autẽ animo cõficiabatur, ut hoc idem maiorẽ illi dolorẽ afferret. f ¶ De ijs quæ infirmitatis meæ sunt.) Neutiq̃ sanẽ de signis loquitur: illa nanq; donũ Dei erãt: hæc uerò cum Dei robore atq; uirtute, ipsius etiam patientiam prætendebant. Infirmitatem porrò persecutiones, tentationesq; uocat. Enim uero infirmitates hæc sunt humanæ naturæ, fame inquam cruciari, perpeti naufragium, flagris affici. Vel certè infirmitatem nuncupat afflictionem illam, quæ hominum ei infirmitate fiebat. Nam qui offendebantur, quiq; infirmabantur, mirũ cum affligebant in modũ. Hic, inquam, Apostolicus est character: per hæc Euangelium texebatur. g ¶ In Damasco.) Præliũ hoc quantũ sit spectato. Princeps urbem ipse custodit. At nisi Paulus oppidò contra eos, qui ex cõtrario erant affecti, spirasset, nequaq; ad tantã insanã gentis principem succendisset, ut ipsam quoq; ciuitatẽ per se ipse custodiret. h ¶ Areræ regis.) Socer Herodis Arretas erat. i ¶ Et per fenestrã.) Nouerat enim dicitur fuisse, Orate ne intretis in tentationẽ: quocirca **Matth. 26.** nõ precipitauit sese in tentationes, imò uerò per humanos conatus inde euadere non recusauit. Seruauit enim seipsum prædicationi, magisq; discipulorũ salute gaudebat, q̃ sua ipsius. Vnde et alibi dicit: Bonũ **Philip. 1.** est mihi dissolui, & cum Christo esse: permanere autẽ in carne magis necessarium, propter uos. *ἡ ζωὴ ἐστὶν κτήνη* iunceum uas, & est species quædam sportæ.

CAPVT. XII.

GLoriari ^a sanè non ^b expedit mihi: ^c ueniam enim ad uisiones & reuelationes Domini. No ui hominè ^d in Christo ^e ante annos quatuordecim, an ^f in corpore, nescio: an ^g extra corpus, nescio: Deus nouit, raptū huiusmodi usq; in tertium cœlum. ^h Et scio huiusmodi hominem, an in corpore, an extra corpus, nescio, Deus nouit, ⁱ raptum fuisse ^k in paradisum, & audisse ^l arcana uerba, ^m quæ fas non fit homini loqui. ⁿ Pro huiusmodi gloriabor, pro me ipso autem non gloriabor, nisi ^o super infirmis meis. Nam ^p si uoluerō gloriari, nō ero insipiens, ueritatem enim dicam: ^q parco autem, ne quis de me cogitet supra id quod uidet me, aut audit ex me.

a ¶ Gloriari sanè.) Atqui cū multa supra dixisset, quomodo nunc ait, Non expedit mihi? Quoniam ad aliam gloriationis speciem properabat, quæ ipsum reuera illustrem redderet: reuelationem inquam. Ait itaq; Non expedit mihi hoc, ne me in arrogantiam eleuet. Natura enim, si ea quæ apud te sunt in alios etiã absq; rationabili causa effundantur, tumefacere consueuerunt: nō quòd ipse passurus id esset, absit: sed ut nos erudiat eusmodi apud nosmetipsos retinere, ac si ipsamet enarratio ad insolentiã ualeat eleuare. PHOTII: Pro, Gloriari uerò super alijs rebus, præterquàm super ijs, quæ ad meam pertinent infirmitatem, mihi nō conducit. Dixerat enim paulò

paulò antè: Si gloriari oportet, de ijs quæ ad infirmitatem meam spectant, gloriabor. Postea cùm subinde infirmitatis exempla posuisset, addit, ut ad id quod dictum fuerat, responderet, nempe: Quæ uerò infirmitatis nequaquã sunt, sed potius sublimitatis ac potestatis, h. ec, inquit, non mihi conducunt. Ecqua igitur ratione ea etiam prodis? Nolebam sanè: at salutis uestræ gratia, ea etiam quæ nolim, tolero. Cæterũ quæ sapientissimè uitæ tenuerit institutum expendas. Non omnino filet, quò profit: nec apertè loquitur, sed unum atq; idem, et adumbratè, ut sui fugiat gloriatio nem: idq; necessitate sibi à falsis apostolis imposita: instruens per hoc ipsum, ut nihil magnũ, licet uerũ, de nobis, nisi multa necessitate coacti, loquamur.

b ¶ Non expedit mihi.) Seu, Ne quis de nobis maiorem, quàm dignum sit, concipiat opinionẽ. quod nimirum suprà dixit, Ne quis erga me existimet suprà id quod uidet me, uel audit quicquam ex me.

c ¶ Veniam enim.) Magna quippe etiam fuit, quam dixit, reuelatio: attamen cùm plurimas dicere posset, unam hanc dixit. Quòd enim potuerit plurimas enarrare, in superioribus declarat, inquit: Et exundantiareuelationũ. Hac uerò de causa adumbratè hanc posuit, ut ostendat, quòd inuitus loquatur.

d ¶ In Christo.) In CHRISTO addidit, ne falsi oblatrarent apostoli (nihil enim fuisset, quod nõ ausi essent) per demones, ut Simonem, raptũ eum fuisse.

e ¶ Ante annos quatuordecim.) Non incongruè

apponitur tempus, sed duabus ex causis: tum ut ostendat, quod qui per quatuordecim siluit annos, profecto neque nunc, nisi magna astrictus necessitate, dixisset. Ex quo enim magnū quiddā falsi putabatur apostoli, omnesque ad se pertraherent, de cetero compulsus fuit ostendere semetipsum illis prestantiorē, ut eis persuadeat, ut uerbis suis animū intendant. Tum etiā ut clam insinuet, quod qui ante quatuordecim annos tot tantisque dignus sit habitus, qualis post tot ac tantos pro Christo labores sit. f ¶ An in corpore nescio. Quod ait, An in corpore nescio, an extra corpus nescio: bis posuit, nō ut quispiā forte putaret superfluo illū loqui, etiā cum ad eundem raptū posuerit: ceterum semel quidē ad raptū in cœlū, itemque semel ad raptum inde in paradysum. Quod si etiā ad eundem raptum posuisset, haudquaquam superfluum dixerim hanc ipsam elocutionē. Rem enim admirabilē annuncians eximiā, quodāmodo ignorantia suā rememoratione intendit. g ¶ An extra corpus nescio.) Modestia uititur, dum suā ipsius nō celauit ignoracionē. Poterat enim hoc per silentiū præterire. h ¶ Et scio huiusmodi hominem.) Raptus fuit ad tertiū usque cœlum, indeque in paradysum. i ¶ Raptum fuisse.) Cur, inquā, omnino raptus fuit? Ut nulla in re cæteris Apostolis esset inferior, qui cum Domino corporaliter cōuersati fuerāt. k ¶ In paradysum.) Multū sane loci huius nomen sciebatur, unde et latroni hunc pollicitus fuit. l ¶ Arcana uerba.) Nemo enim
 fortassis

fortassis alius homo, præterquam Paulus, talia aptus fuit audire. OECV. Vbi sunt qui falsigrapham scripsere reuelationem? m ¶ Quæ fas non sit.) Vide mansuetudinem ipsius, quomodo tanquam de alio quopiam hæc enarret. Pro eiusmodi enim, inquit, gloriabor. hoc autem facit sermonem adumbrans. Quòd enim ipse fuerit qui raptus fuerat, innuit ubi ait: Si enim uoluerò gloriari, non ero insipiens: ueritatem enim dicam. Et suprâ: Gloriari sanè non expedit mihi. Quæ uerò inutilitas, seu nocuentum, pro alio gloriari, & uera loqui? n ¶ Pro huiusmodi gloriabor.) Et cuius rei gratia alio rapto ipse gloriaris? Manifestum igitur est, quòd de teipso loquaris, licet adumbratè. o ¶ Nisi super infirmitatibus meis.) Hoc est, in afflictionibus, in persecutionibus. p ¶ Nam si uoluerò gloriari.) Et quonam modo suprâ dixerat, Vtinam tolerassetis me paulisper in insipientia? Ad quod respõdemus, quòd nequaquam, quo ad gloriationem ipsam, dixit, Non ero insipiens: sed in quantum non mentiebatur. Vnde addit, Veritatè enim dicam. Rectè uerò ait, Non ero insipiens: haud enim insipientis est, ad salutem utilitatèq; animarum, atq; instante necessitate, iterum atq; iterum gratiam sibi à Deo collatam prædicare: imò uerò etiam admodum sapientis, & beneuolentis, contemnere etiam suspensionem elationis & arrogantia, propter hominum salutem. q ¶ Parco autem.) Parco, misereor, uito. Non ait, credat, uel, dicat: sed,

ne quis existimet suspiceturue, inquit, quippiam maius, quàm mea dignitas ferat. hinc enim ea quæ de se ipso erant, semper & siluit & occultauit: & nusquã, nisi ubi eum urgeret necessitas, quicquã de seipso locutus est: & cum etiam loquebatur, adumbrabat ea, ne de seipso maiorem cõciperent opinionem. Si enim illos propter signorum magnitudinem deos suspicati sunt homines, eisq; tauros immolare uoluerunt, quidnam fecissent obsecro, si ipsas quoq; reuelationes aperuisset, ac de ijs quæ gesserat, gloriatus fuisset?

^a Et ne excellentia reuelationũ extollar, ^b datus fuit mihi stimulus per carnem, ^c nuncius satanæ, ut ^d me colaphis cæderet, ne nimium extollerer. ^e Super hoc ter Dominum rogauit, ut discederet à me, & dixit mihi, ^f Sufficit tibi gratia mea: nam ^g uirtus mea in infirmitate perficitur. ^h Libentissimè igitur potius gloriabor in infirmitatibus meis, ut ⁱ inhabitet super me uirtus Christi.

a ¶ (Et ne excellentia.) Ne, inquit, insolescam, uel ne ab hominib. efferar, glorificerue: quippe quod longè melius. Non enim anima Pauli fræno ullo indigebat, ut non intumesceret. PHOTII: Quòd ait, Et ne excellentia reuelationũ: ad illud aptandum est quod dicit, Veniã enim ad uisiones & reuelationes.

b ¶ (Datus fuit mihi.) Vincula dicit, plagas, lapidationes, custodias. c ¶ (Nuncius satanæ.) Nuncius satanæ, homo ille est, qui aduersario demoni ministrat.

ministrat, Stimulus autem, tentationes ipsæ, afflictio-
 nesq; quas ei huiuscemodi inferebant. IOANNIS:
 Nonnulli sanè de quodam capitis dolore eum dicere
 asserunt, quem ei diabolus intulerit: sed non ita est;
 haud enim Pauli corpus diaboli manibus datum fuit.
 Quid igitur est quod dicitur? Satan uoce Hebræorū
 dicitur aduersarius, & in tertio Regum aduersarios Cap. 5.
 sic appellauit Scriptura, de Salomone narrans: Non
 erat Satan in diebus eius: hoc est, qui aduersaretur, bel-
 lum excitaret, molestiamue inferret. Quod igitur
 ait, tale est: Non permisit Deus ut absq; labore præ-
 dicatio pertransiret, nostram superbiam deprimens;
 sed permisit ut nobis aduersarij opponerentur. Nun-
 cium itaq; satanæ uocat Alexandrum ærarium, Hy-
 menæum, atq; Philetum, qui resurrectionem iam fa-
 ctam esse aiebant, & quotquot prædicationis uerbo
 aduersarentur. THEODORETI: Quidam aiunt
 capitis dolore Paulum affectum: at non est. Nunquã
 enim fieret, ut Pauli corpus satanæ datum sit: quip-
 pe qui quandoq; ipse etiam ei imperauit, ac terminũ
 posuit, cum illum qui fornicatus fuerat ei tradiderit,
 dicens, in interitum carnis, quem diabolus nõ per- 1. Cor. 5.
 transiuit. ALITER: Quid est igitur? Satan dicitur
 uoce Hebræorum aduersarius. Nuncios porrò sata-
 næ, prædicationis aduersarios uocat, ut Alexandrũ,
 Hymenæum, & Philetũ. Quod uerò ait, tale est: Nõ
 inquit, permisit Deus ut absq; labore transigeret præ-
 dicatio: sed permisit, ut malè in corpore afficeremur,

ne maius quicq̄ de nobis homines de finirent, cum tot tantaq̄; uiderent signa, & nullam deinceps tentationem, seu aduersa. Quare aut̄ nō ait, Nuncios satanæ (multi siquidem erāt qui aduersarentur) sed tanquā de uno solo ait, Nuncius satanæ? Quoniam singulo quoq̄; loco unus sanè quispiam qui aduersaretur, ac populum concitaret, reperiebatur, quem ducem ceteri etiam subsequebantur. d ¶ Vt me colaphis cæderet.) Non dixit, Qui colaphis me cæsurus sit: sed ut significet semper se habere qui aduersetur, inquit, Colaphis cæderet. e ¶ Super hoc.) Et hoc inquam, humilitatis est: nempe fateri, non facillè insidias ferre, & postquā se pius preces fuderit, se minime assequutum fuisse. Ter nanque, sepe significat. f ¶ Sufficit tibi.) Quod satis sit habes, nil queras amplius. Nam tibi, inquit, sufficit, quod talem ac tantam gratiam tibi contulerim, ut mortuos suscites, uirtutesq̄; perficias. Ne, inquam, queras ut absque periculis tibi proueniat prædicatio.

g ¶ Nam uirtus mea.) Sed fortè doles, inquit, ne, dum hæc ipse pateris, impotentie, infirmitatisq̄; accusari uidear: hoc ipsum igitur magis magisq̄; potentiam meam indicat: quodq̄; contrarium est, ipsam quoque abscindit & tollit. Virtus enim mea, inquit, in infirmitate perficitur, quando quidem uos, qui persecutionem sustinetis, persecutores ipsos euaditis, ac superatis: quando, inquā, uos ubiq̄; exagitati afflictatiq̄;, uictoriam de ipsis exagitatoribus obtinetis.

netis. Et uideas, aliam rursum causam in mediū attulit, quā obrem stimulus carnis ei datus sit: Ne, inquit, extollar. Sed Deus ipse aliam protulit causam: ut uirtus, inquit, mea, dum uestra apparet infirmitas, patefiat. Finē enim, ac metā suam, per uestrā infirmitatē, uirtus mea nanciscitur. Si enim per sophistas ullos, uel reges, prædicatio administrata fuisset, esset fortassis qui ministrorū potentiæ daret, quòd omnes colla submiserint: nunc autem ministrorū infirmitas uirtutem Dei cōmendat, eamq; perficit: hoc est, perfectionem habere demonstrat. h ¶ Libentissimē.) Ne deplorantis uerba hæc esse arbitrarentur, ait: Libentissimē itaque potius gloriabor. Quare? Quia infirmitas mea & Dei uirtutem demonstrat, & me illustriorem, non secus ac ferrum persecutionibus solidans, reddit. Equidem id petebā quod esset cōtrariū: at postquā talia audiui à Deo, libentissimē in afflictionibus gloriabor. i ¶ Ut inhabitet super me.) Quantò enim tentationes extenduntur, tantò etiam gratia crescit. Inhabitet, tota in toto uidelicet immoretur & incolat.

Quam obrem placeo mihi in infirmitatibus, in cōrumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. b Cū enim infirmus sum, tunc robustus sum. c Factus sum insipiens gloriando. Vos me coëgistis: d ego enim debueram à uobis commendari. e Nulla enim in re inferior fui summis illis Apostolis,

^ftametsi nihil sum. Signa quippe Apostoli per acta fuerunt in uobis, ^gcum omni potentia, & ^hsignis, & prodigijs, & uirtutibus. ⁱNam quid est, in quo inferiores fueritis cæteris Ecclesijs, ^knisi quòd ipse ego non fuerim uobis onerosus? Condonate mihi hanc iniuriam. ^lEcce tertio promptus sum uenire ad uos, nec ero uobis onerosus. Non enim quero quæ uestra sunt, sed uos. Non enim debent filij parentibus thesauros reponere, sed parentes filijs.

a ¶ *In contumelijs.*) Item ne de corporali infirmitate hunc dicere, ueluti de feбри, seu alia, quæ cūque statutis redeunt temporibus, quispiam suspicaretur, inquit: In contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs propter CHRISTVM. Hæc sunt, inquam, quæ infirmitatem uocat. Porro quòd ait, placeo mihi, cupio in ijs uersari, lætorq; significat. Hæc etiam falsos rubore suffundunt apostolos, quippe qui in contrarijs gloriabantur: & his persuadere conatur, ut magistri passionibus non erubescant. Illustria enim omnia hæc sunt, atque suauia, dum pro patiendi fundamento ipsum habeat CHRISTVM. b ¶ *Cum enim infirmus sum.*) Quando enim coniectus in carcerem fuit, tunc carceris fundamenta concussit: cum naufragium passus in barbarorum insulam fuit eiectus, tunc magis apparuit gloriosus: cum uinctus in custodiam introisset, tunc maxime & iudicis manus, & accusatorum euasit. An non uides, quòd quando infirmus fuit, hoc est, quando

quando in periculis uersabatur, in contumelijs atq; plagis, tunc & robustus fuit & clarus? c ¶ Factus sum insipiens.) O excellentiam humilitatis. His adeò admirandis, quibus hominũ aures indignæ erant, peractis, insipientem seipsum uocat. Quo autem modo, dixerit quispiam, te ipsum coëgimus? Cum falsi, inquit, apostoli gloriarentur, si nõ aures uerbis eorũ accommodassetis, inq; perditionem ruiissetis, nequaquã ipse in hæc uerba erupissem. Cernis quòd necessitatem gloriandi, horum perditio fecerit? Nam magnum quiddam falsos ducentes apostolos, adulterina ab ipsis, peruersaq; dogmata perdiscebant.

ALITER: Factus sum insipiens.) Hæc dicens, inquit: (at nõ enunciatiuè hæc dixit: nouerat enim se nihil insipientis dixisse, sed hoc ait ad eos quasi per interrogationẽ, et ambiguitatẽ.) Num propterea quòd hæc profecutus sum, uobis insipiens usus sum? Atqui huius, inquit, rei causa in uos redundat, atq; recurrit. Ipsi enim dum falsis adheretis apostolis, coëgistis. d ¶ Ego enim debueram.) Oportebat, inquit, uos pro meis tum uerbis, tum opinionibus decertare: uerũ dum illis inheretis, ad hos uenire sermones coactus sum. e ¶ Nulla enim in re.) Dixerat superius, Existimo quòd nulla in re inferior sim: nũc autẽ diffinitiuè, In nullo inferior fui, seu quicquam omisi, uel post Petrum ueni. Opportunè autẽ ad Apostolos ueni, ut ostenderẽ, inquit, quòd nõ solum falsis apostolis melior sim, uerum etiam Apostolis ipsis peræqualis.

f ¶ Tamen si nihil sum.) Perinde atq; magnū quid
dam, & quod uires suas excedet, locutus, id ipsum cor
rigit. Porro non ait, Tenuis sum, atq; uilis: sed quod
multò minus, Nihil sum. Tu uerò, inquit, nequaquā
id spectes, quòd nihil sum, sed utrum omnia, quæcūq;
charactèrem exprimunt Apostolatus, executus sim.
g ¶ Cum omni potentia.) Vos, inquit, sermo-
num testes estis. Ego autem Apostoli argumentum ma-
ximè dixerim, omnia generose ferre. Expende autē:
Patientiam, quæ reuera uirtus illius erat, unico uer-
bo posuit: Signa uerò, quæ non illius, sed erant gra-
tiæ Dei, multis exposuit. Ipsam tamen Pauli humili-
tatem animaduerte, quòd tot uincula & carceres, tot
plagas, tot pericula & insidias, tot profluxus tenta-
tionum, tot bella atque certamina, cum interna, tum
externa, unico uerbo patientiæ percurrit. h ¶ Et
signis.) Tot mortuos excitatos, cæcos illuminatos,
leprosos mundatos, fugatos demones innuit, dicens,
In signis, & prodigijs, & uirtutibus: tribus his unum
quoddam determinatum insinuantibus. i ¶ Nam
quid est.) Ne quis diceret, Magnus profectò es, sed
non tanta ac tot peregisti, quanta & quot in reliquis
Ecclesijs cæteri Apostoli: ait, Quid enim est, in quo
fueritis inferiores, id est, minus quàm cæteræ Eccle-
siæ habuistis? Num gratiam, inquit, minorem nacti
fuisstis? k ¶ Nisi quòd ipse ego.) Mordaci usus
est uerbo. Nisi, hoc est, num quisquam hoc mihi obji-
ciat, et quòd quando apud uos moror, ac ueniens ple-
na cum

na cum potestate, uestram procuro salutem: atq; absens per epistolas, ad ea quæ sunt agenda, uiam commostro: & erga nullam rem, quæ ad uestram pertineat utilitatem, negligentia, tam absens quàm præsens, usus sum? Si hac de re iniuriam intuli, hanc mihi donate obsecro, iniuriamq; inferenti remittite.

PHOTII: Nisi quòd ipse non terga uerti, omnia uestri causa faciens, & nulla in re paruipèdens. Num ob id inferiores ulli fuistis? Num hoc iniuriam ducitis? Donate obsecro, mihiq; hanc remittite iniuriam. l. ¶ (Ecce tertio.) Secundò, inquit, ueni: en tertio uenire paratus sum, ac nulla in re, quæ ad uestram spectet salutem, negligens ero. Deinde, ne omnino necessarium esse arbitrarentur, ut si uenerit, alendus uidelicet nunc ab eis sit, præsertim quum de hac re in præcedentibus multa sit prosequutus, hoc in loco præoccupatione quadam præueniens, hanc de medio tollit suspicionem: Quoniam uos, inquit, uolo, non res uestras: uosq; amo, non uestra, quemadmodum falsi apostoli. Itemq; à cõmuni opinione, & natura, fidem facit sermoni: se, inquam, ipsum in ordine patris, hos autem in ordine filiorum collocans.

^a Ego uerò libentissimè impendam & expendar pro animabus uestris, licet ^b plus uos diligens, minus diligar. Sed ^c esto, ipse nõ grauaui uos: sed cū essem astutus, dolo uos cepi. ^d Num per quenq; eorum, quos mihi ad uos, expilauit uos? Rogauit Titum, & unà cum eo mihi fratrem.

Num quid à uobis extorsit Titus? An non eodem spiritu ambulauimus? an non eisdem ue stigijs? Rursum arbitramini quod uobis nos excusemus? In ^h conspectu Dei, in Christo loquimur, sed omnia charissimi ⁱ ad uestram adificationem. ^k Nam metuo, ^l ne forte ueniens, ^m non quales uelim reperiam uos, & ego reperiatur uobis ⁿ qualem nolitis. Ne forte sint ^o contentiones, & emulationes, iræ, ^p cōcertationes, obrectationes, susurri, ^q tumores, seditioes: ^r ne rursum ubi uenero, ^s humiliet me Deus meus apud uos, ^t & lugeam multos eorū qui antè peccauerunt, ^u nec eos pœnituit ^x immun ditia, libidinisq; & impudicitie, quã patrarūt.

a ¶ Ego uerò libentissimè.) An uides quot profunditates habeant excellentiarum Pauli res? Oportebat accipere, cum id iusserit CHRISTVS, & non accepit: ecce una. & cum penuriam pateretur: en al tera. & eisdem prædicaret: ecce tertia. & non modo non accipit, uerumetiam, si quando opus fuerit, carnem ipsam offert: quarta. deinde cum carne, ipsam quoq; animam: quinta. & pro ijs, qui cum non admodum diligebant: sexta. & neque, quum ipse quidem diligat, non autem redametur, intercisionem facit ullam: septima. Porro ego cum patris uicem teneam erga uos, non solum non accipiam, imò uerò præbebo me quoq; ipsum, carnemq; meã, nedum pecunias. Quid enim dixerim, & expendar? hoc est, et si carnem ipsam pro uobis impendere opus fuerit,

NON

nō parcā. b ¶ Licet plus diligens.) Et hæc facio, inquit, pro ijs, quos ualde quidem amo, sed minus ab eis redamor. c ¶ Sed esto.) Per interrogationem producit sermonem, & ait: Hoc sanè, quòd ego uos non grauauerim quicq̄ accipiendò, habetur pro confesso: sed astutus cūm essem, dolo uos cōprehendi, id est, imposturis uos apprehendi, ac iaculis uulneraui. At ego quidem in propria persona nihil accepi: explorete an id per quosdam alios fecerim, quos miserimus, & per illos acceperim. Minimè sane. Qui enim aduenerunt, mea profectò uestigia sunt sequuti. d ¶ Num per quenquam eorum.) Hoc est, per illos. Expende autem: auaritiā uocat, accipere ab inuitis: eosq̄; clanculò carpit & uituperat, ut qui putassent, si Paulum aluissent, expilari sese. e ¶ Num quid à uobis.) Neq̄; hoc cōtumelia, ac probro caret. Non enim misi, inquit, sed rogauī: ut ostendam, quòd tametsi accepisset, nequaquā errasset. Non enim spontè, sed rogatus uenit, nec tamen sic accepit. Miserat enim & alterū quendā simul cum Tito. f ¶ Eodem spiritu.) Hoc est: An nō gratia eadem, qua ego? Hanc uerò dicit spiritū, id est, gratiā spiritualem. Gratiam uerò id ipsum uocat, nempe quòd cūm etiam indigeret, nō acceperit. Per pēde autē quāto studio ipsa quoq̄; opera sua Deo adscribat. g ¶ Iisdem uestigijs.) Hoc est, nulla omnino ex parte exactā diligentiam meā immutauerūt ipsi. Vide autē: nedum ille nō accepit, uerū etiam quos miserat, ut non acciperent,

persuasit. **h** ¶ (In conspectu Dei.) Veritus est ne assentatoris cuiuspiã suspicione inficeretur, quam ob rem superius dixerat, Iterũ nos ipsos cõmedamus: **e** ¶ An egemus cõmendatitijs epistolis? Nõ ergo uobis aduantes, nõsue cõmendãtes hæc loquimur: sed quasi coram Deo, **e** ¶ eo spectante loquimur, **e** ¶ in Christo, hoc est, per Christũ. Qui autẽ coram Deo loquitur, ac per Christũ uerba depromit, quĩ fieri potest ut assentationis gratia loquatur? **i** ¶ (Ad uestrã ædificationem.) Non igitur ad gratiã uel adulationẽ uobis loquimur, sed pro uestra tum ædificatione, tum utilitate: quò falsis uitatis apostolis, nobis solis, nostrisq; sermonibus animũ applicetis. Vel idcirco non accepimus, ne uos, cum sitis infirmi, offenderemus.

k ¶ (Nam metuo.) An uides curam paternã? Alijs peccantibus Paulus perterretur. **l** ¶ (Ne fortẽ.) Ambigit adhuc, nec affirmatiuẽ assueuerat. **m** ¶ (Nõ quales uelim.) Quasi corruptos, atq; deprauatos, **e** ¶ necessariò nõ qualem uelitis, ubi uenero, reperiar. **n** ¶ (Qualem nolitis.) **OECVM.** Hoc est, Vindictã ex eis exposcens, qui morbo laborant immedicabili. **o** ¶ (Ne fortẽ sint cõtentiones.) Ac rursum dicit, quales offendere nollet, ac reperire, cum his uidelicet decemẽtis. Contentionũ uerò idcirco meminit, quò dissiderent. **p** ¶ (Concertationes.) Quasi acerriam pugnam. **q** ¶ (Tumores.) Quia cõtra eum qui nem intumescbãt, falsos uerò apostolos honorabãt. **r** ¶ (Nerursum.) Satis enim, inquit, sunt priora.

s ¶ Humiliet me Deus.) Vltionē ab autoribus exi-
 gere suam ipsius dicit humiliationem, indicans quòd
 neutiq̄ absq; necessitate hanc prouinciam suscepisset.
 Demonstrat autē eorū se gratia omnia ferre, & hu-
 miliari, & lugere, dicendo, Deus meus. Nam illud
 meus, quod appenditur, seruente CHRISTI cha-
 ritatem præ se fert. THEODORETI: Humi-
 liatione sui, eorum transgressionem confirmat, eam
 quam iam antè prædixerat: Quis infirmatur, & ego
 non infirmor? Quis offenditur, & ego non uror?
 t ¶ Et lugeam multos.) Apostolicam uirtutē in-
 spicito. Cum nihil sibi cōsciū esset mali, super alienis
 delictis luget. Non autē dixit, omnes, sed multos: neq;
 hos cōmonstrat, & ut daret pœnitentiæ locū, & ne
 fierent impudentiores. u ¶ Nec eos pœnituit.)
 OECVM. Vbi sunt Nouatiani? x ¶ Immunditiæ.)
 Immunditia dici potest de quouis peccato: Nihil e-
 nim peccato turpius.

CAPVT. XIII.

Hic^a tertius erit aduentus meus ad uos. In
 ore duorum testium, uel trium, stabilietur om Deut. 17.
 ne uerbum.^b Præfatus sum, & prædico, ut præ-
 sens secundo, ita & absens nunc scribo ijs qui
 peccauerunt, & c reliquis omnibus, quòd^d si
 uenero denuò, nō parcam. e Quandoquidem
 experimentum quæritis loquentis in me Chri-
 sti, qui^f erga uos non est infirmus, sed potens
 est in uobis. Nam quamuis crucifixus fuit^g ex
 infirmitate,^h uiuit tamen ex uirtute Dei.

a ¶ (Hic tertius.) *Secundo ueni: si igitur nunc quoque ueniam, tertio uenero. Et quid hoc? Quae modum, inquit, in ore duorum uel trium testimonium, quantumuis ambiguum uerbum, stabilitur, confirmatur, ac terminum accipit: ita etiam per duas tresue profectioes meas quodcumque comminatorium stabilitur uerbum contra uos, terminabiturque. Perpende autem, profectioibus pro testibus cum usum fuisse.* b ¶ (Praefatus sum.) *Et olim praedixi, et nunc praedico, non secus ac cum apud uos essem secundo dixeram, et ecce absens tertio praedico. En tres alij testes. Fuerant sane duae profectioes, et ea quae futura erat: duo erunt, tresque testes. Ecce iterum tres alij testes, quod bis praesens praedixi, et nunc absens semel. Ingeniose autem Scripturam de testibus ad tres profectioes, tresque protestationes accommodauit.* c ¶ (Et reliquis omnibus.) *OECUM. His quidem qui peccauerunt, ut emendentur: reliquis uero omnibus, ut sint testes: quonia nihil, ait, ad me, si ultionem ab ijs expetam, qui poenitentiam non egerunt.* d ¶ (Quod si uenero denuo.) *Quid praedixisti? et nunc etiam quid scribis? Quod si iterum, inquit, uenero (hoc est, adhuc semel) non parca. Expende autem: non dixit, Puniat: sed more patris, Non parca: insinuans, quod adhuc usque parcat, idque errantibus.* e ¶ (Quando quidem exper.) *Experimentum, probationem. Non idcirco autem puniebat, ueluti qui experimentum esset daturus, sed quia peccauerant. Id uero contra eos dictum est, qui praesentiam eius infirmam dicebant. Ex quo, inquit,*

quit, experiri uultis, an in me loquatur Christus. Ita enim me consideratis, ac si à Christo destitutus sim.

THEODORETI: Experimentū sumere (ut uidemini) ipsius Christi, qui in me loquitur, uultis: & quidē postquā eius manifestam didiceritis & potentiā & uirtutem.

PHOTII: Et ipsa quoq; experiendi inquisitionis peccatū erat. Tentare enim, experimētumq; inquirere, p̄sertim post tot ac tanta, ingratorū, stolidorū, ac uacillantū erat. ¶ Qui erga uos nō est infirmus.) Quid sibi uult appendix illa, erga uos, & in uobis? Non enim apud illos tantum potens est Christus, sed ubiq;. Et dicimus, quōd minax est uerbū hoc. quasi dixerit: Experimentū ex ijs, que passi estis, habuistis, quōd Christus nō sit infirmus: uel quōd in uobis, inquit, interim dum etiā emendari potestis, uirtutem potentiāq; demonstrat: eos autē qui morbo laborant immedicabili, illic supplicijs dabit.

¶ Ex infirmitate.) Complures, qui uerborū uim nō attingūt, perturbantur. Expende igitur, tres sunt infirmitatis formulę. Prima quidē corporaliū egritudinum atq; morborū. Secunda, corruptela circa fidem, quemadmodū ipse inquit, Infirmū autē fide suscipite. Tertia, persecutionū ac tentationū. Enim uero hanc etiam infirmitatē Paulus uocat, ut ibi: Nam 2. Cor. 12. uirtus mea in infirmitate perficitur: hoc est, in persecutionibus & periculis. Et rursum: Idcirco placeo mihi ibid. hi in infirmitatibus: idq; interpretans addit, In contumelijs, in persecutionibus, in necessitatibus. Atq; ite-

- Ibid.** rum: Quando infirmor, tunc potens sum: quasi tunc maxime gratia firmor. Iuxta hanc igitur infirmitatis formulam Dominus crucifixus fuit, insidias accusationesq; ferens, periculum, atq; ludibriū: at nullum, inquit, tamen uirtuti eius ac potestati nocumentum attulit hoc. **VEL** sic: Infirmatē, inquit, quæ uidebatur infidelibus. quasi dicat: Licet enim, iuxta infidelium sermonē, ex infirmitate sit crucifixus, id quod permittendo cōcedo: tamen ex uirtute, inquit, Dei uiuit. Cū autem uirtutem Dei, atq; potentiam audis, haud hanc suspiceris impietatem, quod carnem suam ipse ad uitam reuocare nequiuert, & ob id patris eguerit potestate. Si enim Christus Dei est uirtus, & Dei sapientia: qua ratione nequiuisset uirtus ac sapientia, in suam quoq; ipsius carnem hæc facere? quandoquidem alijs etiam, imò uerò omnibus uitam donabat. Ceterū Paulus indifferenter ea, quæ patris sunt, filij dicit: et cōtrā, quæ filij, patris. Quod enim ipsemet Christus eam excitauerit, ipsum audi dicentem: Soluite templum hoc, & ego in diebus tribus excitabo illud. Porro si id reuera, quod per sese filius operatus est, à patre gestū Paulus dicit, ne per-
- IOAN. 17.** turberis: nouerat enim ipsum dixisse, Omnia quæ patris mei sunt, mea sunt. Et cū ad patrē loqueretur: Omnia mea, tua sunt. **PHOT II:** Propter infirmitates enim nostras, atq; peccata, is qui & fortis, et sine peccato erat, cruci affixus fuit. Vel ex infirmitate, ut aie-
- LUC. 23,** bant Iudæi: Alios saluos fecit, seipsum nō potest saluū facere.

facere. Seu ex infirmitate, ut uobis uideri est cōsequēs. Nam si adhuc experimentū queritis, & crucem igitur ex infirmitate tulisse putatis. *h* ¶ Viuit tamen ex uirtute.) THEODORETI: Licet enim crucis passionem, propter mortalem corporis naturam, tulerit, uiuit tamen, ac uiuus est, ut Deus, & Dei filius. ALITER: Pro eo ut diceret: Vti Deus, uti uirtus, ut qui spontē, quē passus est, tulerit. VEL etiam hūc ad modum: Licet, inquit, crucifixus fuerit, ut qui passibilem atq; infirmam naturā suscepit, uiuit tamē, postquam ex mortuis resurrexit, ferens in semetipso naturam omnipotentem, atq; diuinam.

Siquidē^a & nos infirmi sumus in^b illo, sed uiuemus^c cum illo^d ex uirtute Dei erga uos. Vos^e ipsos tentate, num sitis in fide. Vos ipsos probate. An^f non cognoscitis uosmetipsos, quod Iesus Christus in uobis est? & Nisi quoquo modo reprobī estis.^h Spero autem quod cognoscetis nos non esse reprobos. ⁱ Precor autem Deum, ne quid mali faciatis, ^k non ut nos probati appareamus, sed ut uos quod honestum est faciatis, ^l nos uerō ueluti reprobī simus. ^m Non enim possumus quicquā aduersus ueritatem, sed pro ueritate. Gaudemusⁿ enim cū nos infirmi fuerimus, uos autem potentes fueritis. Hoc^o autē insuper precamur, uestram integritatem.

^a ¶ Siquidem & nos.) Vt enim ille, inquit, nullum circa uirtutem atq; potestatem ob crucis affixio

nem pertulit detrimentum: ita nec nos ob persecutio-
 nes ac probra, quæ nobis ingeruntur. Idcirco addit,
 in illo. PHOTII: Quod enim ait, & nos infir-
 mi sumus in illo, uel hoc insinuat, quod ea, quæ pa-
 timur, propter eum patimur: uel quod uobis infirmi
 esse uidemur, ex eo quod uos minimè puniamus: uerū
 & hoc in Christo facimus. Ipse enim nos tolerantiam,
 longanimitatēq; docuit: sed quæadmodū & tolerare,
 & longanimiter ferre, ita etiam super ijs, qui indo-
 lentia sunt affecti, & sensu carent, nec resipiscunt, ul-
 tricem ostendere solet potestatem. Sic enim & ipse fa-
 cit. b ¶ In illo.) In illo, hoc est, propter ipsum, &
 prædicationem ipsius, infirmi sumus, in persecutio-
 nibus atq; periculis: sed sicut in molestijs socij sumus
 illius, ita etiā in gaudijs participes erimus. Vnde ad-
 dit: Sed uiuemus cum ipso. c ¶ Sed uiuemus cum
 illo.) PHOTII: Hoc est, demonstrabimur in uobis
 uiuere, neque id simpliciter, sed cum ipso Christo: &
 neq; id ipsum uiuere tantū, uerū ex uirtute ipsius ui-
 tam habentes, per quam & ipse, morte pessundata,
 atq; inferno dispoliato, resurrexit, ac uiuit. Ipsa ue-
 rò uita & uirtus, ultrix uidelicet eorum est, qui ma-
 ligni opera peragunt, non secus ac salutis effectrix
 eorum, qui resipiscunt. Propter hos autem dicit: Ne
 contemnatis nos, obsecro, tametsi uideatis nos & per-
 secutionibus affici, & millia pati. Ita & Christus, ubi
 cruci affigebatur, despectui erat: at postquam resur-
 rexit, omnia fecit quæcunq; uoluit: & nos quoq; ea
 que

quæ patimur, ipsius causa patimur. Licet itaq; pati-
 tiamur, ille tamen & uiuit, & potens est: nosq; cum
 illo, quasi ipso uolente, & uiuimus, & potentes su-
 mus ad faciendum erga uos quodcumq; uouerimus,
 atq; præsertim in uos: quandoquidem multas habea-
 mus, cum & inobedientes sitis atq; rebelles, iustifica-
 tiones contra uos. d ¶ Ex uirtute Dei.) OECV.
 Eodem modo cum superiori intellectu percipiendū
 est hoc, Sed uiuemus ex uirtute Dei. Quòd uerò ait,
 erga uos, quasi uobis uiuemus, hoc est, ad utilitatem
 uestram, seu propter uos. Postquàm, inquit, uos con-
 uerterimus, tunc sanè uobiscum uiuemus. e ¶ Vos
 ipsos tentate.) Cernis quonam modo probet? Et
 quid aio, inquit, de meipso, quòd Christus in me lo-
 quatur? nam & uos ipsi, nisi forte reprobi effecti estis,
 Christum habetis intra uos ipsos. Quòd si uos, multò,
 inquit, magis ego. De uobis itaq; ipsis periculum faci-
 te, ne quis à rectis dogmatibus per doctrinam falsorū
 apostolorū auertatur. PHOTII: Nunquid nō igi-
 tur, an sitis in fide, uos ipsos tentatis? an non probatis
 uos ipsos? Id ipsum enim, quòd Christi loquentis in me
 adhuc queritis experimentū, & nondum exactè cre-
 ditis quòd Christus in magistro loquatur, quid aliud
 est, quàm uos ipsos tentare an sitis fideles, atq; etiam
 titubare de uobis? Imò uerò omnino etiam ignorare,
 quòd in uobis est IESVS Christus. Si enim Christus
 in magistro nō est, longè minus in discipulis. Sed quo
 modo, inquit, Christum in uobis esse non cognoscitis,

cum uarijs etiam uos ditari uel muneribus? An per ipsa
 opera uestra uos ipsos reprobos efficientes, ab ijs etiã
 excidistis? Id uerò sic accipito, ut dicat: Si uos cha-
 rismata, uirtutemq; contra spiritus immundos acce-
 pistis & obtinetis, (nisi reprobos comprobastis uos,
 ijsq; expoliastis) an non ego longè magis potestatem
 contra eos habeo, qui uoluntates immundorũ demo-
 num perficere satagunt, qui estis uos? VEL etiam sic:
 In me queritis experimentũ. Vos ipsos tentate. Non
 absque obiurgatione uos ipsos examine, an sitis in fi-
 de. Ut enim uidetur, etiam ab hac excidistis: quando
 quidem nec experimentum quaeristis. Deinde ceu
 extenuans uehementiam in crepationis, addit: An nõ
 cognoscitis, inquit, uosmet ipsos, quòd CHRISTVS
 in uobis est? Pro eo ut diceret: Ita uos ego recognos-
 sco, quòd CHRISTVS in uobis est: quod si ipsi igno-
 ratis, uestri sanè est criminis. Vos igitur ipsos repro-
 bos effecistis. Pariterq; etiam increpat, uidelicet: Si
 ego in uobis, inquit, CHRISTVM esse agnosco, si nõ
 estis reprobi effecti, qua ratione eius adhuc in me que-
 ritis experimentum? Et planum est, quòd tripliciter
 locus hic accipi possit: nempe per consilium & ex-
 hortationem, per dubitationem & redargutionem,
 per increpationem & reprehensionem, ut in pre-
 senti loco exponitur. f ¶ An non cognoscitis.)
 Quo uerò pacto cognoscerent? Ex signis quaerē facie-
 bant, si eadem adhuc facerent. g ¶ Nisi quo-
 quo modo.) Hoc in loco ad uitam prauã eos pro-
 lapsos

prolapsos ex obliquo tangit. Opus est enim & fide, & uita, ad signa patranda. Licet itaq; in fide sitis, at nisi uitam fidei congruam habeatis, reprobi, inquit, estis: & Christus in uobis nō est, nec uobis adesse per signa demonstrat. h ¶ Spero autem.) Quōd si reprobi omnino nō estis, spero per ultionē in uos, quōd cognoscetis, quōd reprobi nō simus. Nā alio sanē modo & nosse, et uidere uos oportebat, reprobos nos nō esse: quoniā uerō nō uultis, per uestri ultionē atq; supplicium id ipsum cognoscetis. i ¶ Precor autem.) Meniē inspicio philosopham. Despiciebatur, mordacibus adurebatur uerbis, ut qui nullius esset potestatis, sed per epistolas tantūmodo iactitaret: & nō solū robur & uires suas per ultionē ac supplicium cōtra illos patefacere detrectat, imō uerō ut nunq; in hoc incidant etiam precatur, ut hanc ostendere cogatur.

PHOTII: Quo igitur modo probus etiā speras ut uidearis, rursumq; ne id fiat precaris? Precor quidē ut ipsi proficiatis in melius, & ego in uos ultione uti nō egeam, nec probus in hac parte manifestet. Hoc est quod rogo, in hoc gaudio. At si in peccato perduratis uindictam contemnentis, angens quidem, molesteq; ferens, puniam tamen. Id nanq; perfacile mihi est sperare. k ¶ Non ut nos probati appareamus.) Ex hoc enim, quōd, nisi ipsi peccarent, ultricem illam potestatem suam minimē iam ostenderet, itemq; perinde ac reprobis & impotens haberetur. l ¶ Nos uerō ueluti reprobi.) Pul-

chrè ait, Quasi reprobi sumus. Non enim id reuera eueniret, quando quidem eos, qui non peccassent, nequaquam puniret, ut reprobus fieret, uerum etiam maxime probus: ceterum iuxta uulgi opinionem dixit, Quasi reprobi sumus. *m* ¶ Non enim possumus quicquam. Si quis, ait, uerè ac piè uiuit. (Veritatem enim hoc in loco pietatem dicit, ut pote impij uita notata existente.) Neque enim, licet uellemus, supplicium inferre possemus: haud enim cooperaretur Deus. Nò enim contra ueritatem, hoc est, contra pietatem, religionemque quicquam possumus. Potestas quippe nostra pro hac ipsa est, ut eos, qui nò secundum ipsam uiuunt, per supplicium hanc suscipere compellamus.

n ¶ Gaudemus enim. Quid igitur? an propterea quòd, licet uellem, contra ueritatem nullam habeo potestatem, egrè fero ac doleo? Nequaquam sanè. Gaudeo enim cum infirmi et imbecilles idcirco existimantur, quòd supplicium nullum inferimus: uos autem fortes, quòd sitis inexpugnabiles, inaccessibilesque huic meae ultrici potestati: hoc ex eo, quòd rectam uiuendi normam teneatis. *o* ¶ Hoc autem insuper precamur. Num igitur gaudemus tantummodo? Imò et uestram quidem perfectionem precamur, hoc est, approbationem, et ut perfecti absolutique, et in uita, et in bonis dogmatibus euadatis. Vel, dum ab errantibus pœnas exigimus, potentes esse putemur.

¶ Propterea hæc absens scribo, ne cum præsens

sens fuero rigiditate utar, ^b iuxta potestatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem. ^c Quod superest fratres, ^d gaudete, ^e integri este, ^f consolationem habete, idem sapite, in ^g pace agite, & ^h Deus charitatis ac pacis erit uobiscum. Salutate uos mutuò in ⁱ sancto osculo. ^k Salutant uos sancti omnes. ^l Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti spiritus sit cum omnibus uobis, Amen.

a ¶ (Propterea hæc absens.) Ex quo ualde eis ubiq; minatus fuerat, sed præsertim in calce epistolæ, nunc rationem pro his reddit, atq; ait: Idcirco ita scripsi, quòd intra epistolas rigorem manere uelim, & non per opera prodire in lucem. *b* ¶ (Iuxta potestatem.) Licet itaq; poenas exigam, inquit, ne uti quam ego sum qui poenas exigo, sed CHRISTVS ipse per me, qui hanc mihi impertitus est potestatem. Cæterum animaduerte: dum satisfacit, rationemq; reddit, magis magisq; terribilem reddit sermonem. Quid igitur? (dicat ei quispiam) num propterea nactus es potestatem, ut homines, qui ad imaginem Dei facti sunt, supplicijs des, teq; ad hoc omnino benignus constituit CHRISTVS? Nequaquã, inquit, ad destructionem, exituumue animarũ potestatem accepi: imò ad ædificationem. Ipsum enim reorum supplicium Ecclesiæ ædificatio est, cum cæteri per ipsa supplicia tutiores, probatior esq; reddantur. *c* ¶ (Quod superest fratres.) Postquàm omnia, quæ mea inter-

erant, fecerim, inquit, uidelicet consuluerim, ac minatus fuerim, reliquum est ut uos quoque ea in medium cōferatis, quæ uestra sunt. Id namque est, Gaudete. Gaudebitis autem, si uos ipsos emendaueritis, & in presenti, & in futuro. d ¶ Gaudete.) Discentes, quod quæ minatus sum, non ut faciam sum minatus, neque id uoluntatis meæ est, uerum etiam à factō abstineo. Minatus sum autem, ut correcti nihil molestiæ patiamini: quapropter gaudete. e ¶ Integri este.) Quasi: Este perfecti, quæ desunt adimplete. In uirtute perfecti estote, ac reliqua perficite. Nam si hæc ipsi correxeritis, non modò molestiæ nihil subiacebitis, uerum etiam Deus charitatis ac pacis erit uobiscum. f ¶ Consolationem habete.) Quoniam tentationes multe erant, inquit, consolationem accipite, tum à uobis ipsis, tum ab alijs: adhuc etiam à conscientia ad meliorem mutationem consolationem accipite. g ¶ In pace agite.) Hoc etiam in prioribus epistola in ipsis procemijs postulauit. Dissentiebant enim inter se mutuo. Quid uerò significat, & idem sapite, & pacem habete? Quoniam fieri quidem potest, ut idem saperent in dogmatibus, inter sese uerò dissentirent. h ¶ Deus charitatis.) Deus, charitatis Deus ideo nuncupatur, quod nos dilexerit: pacis autem, quod & quæ in cœlo, & quæ in terra sunt pacificauerit. Ex charitate autem pax oritur. Si hæc, inquit, feceritis, Deus erit uobiscum. Vel certè bene precatur. i ¶ In sancto osculo.) Nequaquam, inquit

quit, ficto ac falso, ut Iudas. Idcirco enim osculū exhibemus, atq; accipimus, ut magis ac magis alter in alterum mutuam accendamus charitatem. k ¶ Salurant uos sancti.) Præsentem quidem osculo, absentes uerò salutatione coniungit. Ex eodem enim ore, tam osculum, quàm saluatio proficiscitur.

l ¶ Gratia Domini Iesu.) Postquàm omnes coniunxerat, iuxta morem illum suum nunc quoq; agit. Optat, inquam, comprecaturq; illis gratiam filij, per quam salutem operatus fuit, gratia & non operibus nostris occisus. Et patris charitatē, qua, tradito pro nobis suo ipsius unigenito, nos dilexit. Et cōmunicationem spiritus sancti, hoc est, participium eius atque influxum, per quod omnes in paracleti Dei spiritus aduentu sanctificamur.

AD CORINTHIOS POSTERIORIS
epistolæ finis, quæ scripta fuit è Phi-
lippis per Titum & Lucam.



